

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
30 K
7



DEFENSIO ASSERTIONVM THEOLOGICARVM DE VERA ET

Sacrosancta CHRISTI, quam habet in terris, Ecclesia militante, quas Grætij, die 30. mensis Ianuarij Anni M. D. LXXV,

HENRICVS BLYSSEMIVS SOCIETATIS IESV *Theologus in disputationem publicam proposuit atq; defendit:*

CONTRA

Disputationem oppositam, quam Tubingensis quidam nuper aduersus easdem edidit.



PSALMO CXVIII.

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speraui in sermonibus tuis.

INGOLSTADII Excudebat Dauid Sartorius.

M. D. LXXVII.



SERENISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO CAROLO, ARCHIDVCI

Austriæ, Duci Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Principi Sueuiæ, Marchioni Sacri Romani Imperij, &c. Comiti Habspurgi, Tyrolis, Goritiæ, &c. Lantgrauio Alsatiæ, Domino Marchiæ Sclauonicæ &c. Patrono amplissimo, benignissimoq; Henricus Blyssemius Theologus

S. P. D.



VOD Apostolus Ioannes in Apocalypsi sua commemorat, Sereniss. Princeps, Draconem magnũ & rufum ante mulierem amictam sole, stetisse, donec pareret, vt, cùm peperisset, filium eius deuoraret: id eiusdem Draconis satellites, quos in terris suarum technarum ac deceptionum sedulos ac indefessos habet administros, assiduè factitant, dum pios conatus eorum, qui meritò satagunt alios ad iustitiam erudire, passim impediunt, dum veneranda Catholicæ pietatis dogmata calumniantur, dum seducendis ac scandali- Apocalyp. 12. Daniel. 12.

Matth. 18. *zandis pusillis, qui credunt in Christum, omne studium suum die noctuq; conferunt ac procaciter impendunt. Quo fit, vt sub sole nihil ita bonum, vtile, sanctum, ac necessarium inueniatur, quod illius Draconis Ministri nõ corrumpant, atq; in alienum sensum & abusum, malitiosè traducant: Adeò, qui sunt ex patre Diabolo, nunquàm non sui patris opera perficere conantur: Adeò, quamprimùm bonum semen, per legitimos Christi ministros fuerit in terram iactum, mox inimicus homo zizaniis superseminatis, illud opprimere studet: Adeò deniq; Draconis illius quasi iurati milites, nedum similes, sed peiores etiam sunt venenatis araneis, quæ dulcem ac salubrem sua natura succum, quem ex optimis floribus hauriunt, non in salutare nutrimentum, sed in perniciosum & exitiale toxicum subitò conuertunt, vt alios etiam infectos interimere poßint. Est enim hæc, sicut ipsius veneni, ita venenatorum hominum verißima proprietas ac ratio, vt nequaquàm sua contenti sorte, sese intra limites suos continere poßint. Sed quemadmodùm Apostolus ait de hæreticis, quorum sermo tanquàm*

Nihil tam bonum quod mali non attentent peruertere.

Ioan. 8.

Matth. 13.

Impostores quibus similes.

2. Timot. 2.

quàm cancer ſerpit: ſic illi corruptelas ſuas, vti peſtilentes contagiones, in alios diffundunt. Quod vt præſtent efficaciùs, ſe ſuosq́ dolos mira quadam calliditate falſoq́ pietatis ac veritatis colore, quin et fraudulento verbi Diuini ſeu Euangelij fuco, hominibus imperitis & incautis inſinuant, ingerunt & cõmendant more ſcorpionum, qui dum pedibus & capite beneuolentiam præ ſe ferunt, cauda tamen crudeliter pungunt, & inficiunt eos, quibuſcum iocantur & ludunt. Quod cùm Hilarius experientia de ſuorum temporum hæreticis eſſe veriſſimum comperîſſet, de eis in hæc verba locutus eſt: Peſtifera contagione inquinati, non ceſſant ore impio, & ſacrilego animo Euangeliorum ſynceritatem corrumpere, & rectam Apoſtolorum regulã deprauare; diuinos Prophetas nõ intelligunt, callidi & aſtuti, artificio quodã vtuntur: incluſam pernitioſam corruptelam, exquiſitorum verborum velamine cõtegunt, non priùs venenatum virus infundũt, quàm ſimplices & innocentes ſub prætextu nominis Chriſtiani captos atq́ irretitos inuoluãt, ne ſoli pereant, ſed participes horrẽdi criminis

Hilarius in lib. ad Conſtantium.

Calliditas et aſtutia, impoſtorum.

 ſui

Ignatius epist. 2. quæ est ad Trallianos.

sui reos faciant. Ad eundem sensum D. Ignatius vir Apostolicus, aliquot sæculis antiquior Hilario scripsit de primitiuæ Ecclesiæ hæreticis: Sunt enim quidam, ait, vaniloqui, & mẽtis seductores, non Christiani, sed Christum mercantes, seductione circumferentes nomen Christi, & cauponantes verbum Euangelij, & venenum erroris commiscentes dulci blandimento, sicut puro melli virus admiscentes, vt qui biberit illius potus sensuales illecebras, dulcedine captus inobseruanter morti addicatur. Quod licet variis etiam horum temporum exemplis abundè queat demonstrari; ne tamen prolixitate mea Sereniß. Celsitud. Vestræ fastidium, vel molestia concilietur, nihil alienum à præsenti negotio, nec quicquam altiùs quidem petitum huc adferam, sed ad rem ipsam rectà progrediar: non solùm propterea, quòd oporteat Epistolam hanc esse perbreuem: Verùm etiam, ne modum excedam Apologiæ, quæ non permittit, vt nunc ad longum & ex professo (quod operis esset immensi) religionis controuersiæ pertractentur: sed id tantùm postulat, vt errores cuiusdam aduersarij mei, si non

Apologiæ huius modus.

omnes,

omnes, saltem præcipui, quàm breuissimè detegantur & confutentur. Cùm igitur anno superiori (quemadmodùm Sereniss. Celsitud. Vestra quàm optimè nouit ac meminit) non vllo priuati commodi desiderio, nec etiam vllius quæstus aut philautiæ causa, sed fidei tuendæ, sed veritatis illustrandæ, sed vtilitatis publicæ gratia, legitimè vocatus & missus ex Bohemia Gratium venissem, atque, sicut Societatis nostræ viri passim facere consueuerunt, instituissem vocationis ac professionis nostræ rationem publicitus declarare, Catholicas & Orthodoxas de vera Christi, quam habet in terris, Ecclesia militante, Assertiones in publicam disputationem proposui. Quæ quidem Assertiones licet nullam peregrinam, vel nouam aut suspectam, sed omninò probatam, veram, & Orthodoxis Patribus atque adeò sacris Scripturis conformem & consonam Doctrinam continerent, ac proinde salutares omnibus omnium Doctorum & bonorum Virorum calculis iudicarentur, inuentus est tamen sciolus quidam & superciliosus linguatarius Tubingensis, qui præsumpsit verbosas antitheses (ad Causa.

refutan-

refutandas nimirùm Assertiones Catholicas) edere: quibus, si quas posset, illarum veritati nebulas offundere niteretur. Quæ quidem Antitheses simulatq́ prodierunt in lucem (quamuis mihi nuperrimè & quidem seriùs, quàm voluissem, nec citra magnam difficultatem exhibitæ fuerunt) profectò viri sapientes, vehementer obstupuerũt ob Tubingensis illius tantam præsumptionem, qua fuerit ausus (licet frustrà) clarissimo sacræ Scripturæ Euangelicæq́ veritatis & Ecclesiæ Catholicæ splendori, ceu ardenti lucernæ figmentorum suorum tenebras opponere, nec exhorruerit sæpissimè crimen falsi committere: dum Scripturas sacras passim corruptè citauit: dum sanctorum Patrum sententias in alienum & prauum sensum cõtra mentem ipsorum, detorsit: dum frequenter veritatem corrupit: dum incautis lectoribus (nam viri sapientes facilè dolos eius vident, quandoquidem frustra iacitur retè ante oculos pennatorum) otioso verborum lenocinio, ad subuersionem composito, fraudulenter imposuit. Quod vt longè verissimum est, sic cuiuis ob oculos luce clarius cõspiciendum proponam

Aduersarij temeritas.

Ioann. 5.

Dolus malus.

Prouer. 1.

ponam

ponam hac nimirùm Apologia, quæ ad fraudes Rom. 12.
eius detegendas, necessariò mihi fuit edenda: Apologiæ huius scopus & finis.
Non quidem, vt malum pro malo (quod absit) reddere, vel quasi calumnias licet iniustissimè ab ipso in me passim cõgestas inuitus sustinerem, (cum beati pronuncientur à Domino, qui persequutionem propter iustitiam et Euangelium Matth. 5.
patiuntur) sed quòd maioribus meis ac sapientibus viris ita fuerit visum, vt veritati testi- Ioan. 1.
monium perhiberẽ, et quas Tubingensis aspersit maculas, eas minimè negligerẽ, sed acuratiùs respondendo detergerẽ. Quamuis enim iniurias nobis illatas animo patienti, & affectu Chri- Matth. 5. Luc. 6.
stiano tolerare, & pro persequentibus nos orare docti ac paratisimus: Cùm tamen de cognitione Iniuria quatenus vindicanda.
veritatis, de proximorum salute, deq; promouenda Dei gloria (nõ autem de nobis ipsis) agitur, profectò non solùm studium atq; operam nostram, nec tantùm lucubrationes et scriptiones, sed etiam sanguinem, vitam, atq; adeò nos 2. Cor. 12.
totos impendere & superimpendere conuenit et necessum est. Non igitur in hac Apologia quicquã curabo Tubingensis illius calumnias, quibus in me propter Assertiones Catholicas petu-

lanter inuehitur, nec facilè cõuitia pellam conuitiis. Est enim mihi pro minimo ab humano die iudicari. Scio generosum esse, ac semper fuisse iudicatum, malè nimirùm audire cum rectè feceris. Scio non minorẽ esse laudem, displicuisse malis, quàm bonis placuisse, Cùm teste Seneca, sit argumentum recti, malis displicere. Scio deniq; calumniam tam miseram tamq; infœlicem esse, vt dum alios canino veluti dente rodit, seipsam conficiat & crudeliter interimat; virtutem autem alienam non solùm nihil obscuret, sed illustret etiam magis: Perinde vt flamma, quæ profectò, quantò crudeliùs et vehementiùs grassatur, tantò puriùs & perfectiùs reddit, quod fortè corripit, aurũ. Quod appositis valdè benè similitudinibus declarauit S. Athanasius, dum ait: Quemadmodùm, si quis serpentem appræhendat manu, dumq; conatur in alterum proijcere, prorsus ipse mordeatur, vel si quis ignem manu tenens, dum vult hostem lædere nõ intelligat, quòd ipse prorsus exuritur: Sic malitia militat aduersùs eos, qui ipsa vtũtur, magisq; lædit eos, à quibus habetur, quam eos, in quos intruditur. Ad quem etiam modum sic ait

2. Corinth. 4.

Calumnia non alijs sed sibi nocet.

S. Athanasius de passione Domini.

ait D. Augustinus: Tanquam si quispiam veneni calicem prepararet alicui, et oblitus bibit. Et tanquam si foueam quis fodiat, in quam quisquam inimicus eius in tenebris incidat, & oblitus, quod foderat ambulet ea via, prius illuc cadat: ita credite, ita certi estote, videte, prospicite, quia nemo sibi proprius nocet. Sic enim putate malitiam esse, quo modo ignem. Incendere vis aliquid aliud, illud quod admoues prius ardet, nisi ardeat, non incendit: facula est, hanc faculam apponis, vt aliquid incendat, nunquid non ipsa facula quam apponis prior ardet, vt aliquid possit accendere? Malitia autem procedit ex te, et quem prius vastat nisi te? Quo profundit ramum, lædit, vbi radicem habet, non lædit? Equidem dico, quod malitia tua, vt alteri non noceat fieri potest, vt autem tibi non noceat, fieri non potest. Hæc ille. Valeat igitur infœlix calumnia, quæ nulli profuit vnquam, sed multis frequenter obfuit. Valeant pestifera conuitia, quibus læditur atque tollitur Christiana charitas. Valeant iniquæ detractiones importunorum hominũ, in quorum capita more spuentium in cœlum, quæcun-

Augusti. in Psal. 34 super hæc verba; Et captio quam occultauerunt, comprehendat.

que in alios proijciunt, tanquàm sua ipsorum tela recidunt, vt meritò dictum sit: Qui mittit in altum lapidem, super caput eius cadet. Quod si diligentiùs Tubingensis perpendisset, certè mecum, à quo nunquàm læsus fuerat, modestiùs egisset. Itaq; quantúmuis non leui prouocatus iniuria, non me tamen purgabo, nec defendam, nec par pari referam, nec Tubingensem vicißim, quibus dignus est, modis tractabo, suisq; depingã coloribus, sed potiùs Diuinæ gratiæ confidentia subnixus, malum in bono vincam, cùm præsertim patiens viro forti melior prædicetur. Verùm enimuerò, cùm ille non me solùm, sed multò magis Catholicam Ecclesiam atq; Romanum Pontificem, iniustis calumnijs, ac conuitijs mordacibus cõtra manifestum Dei Verbum, impudenter proscindat & odiosè traducat, prætermittere nec potui, nec debui, quin S. Matrem Ecclesiam, et ipsam veritatem Catholicam, ab eo plus nimio violatam nonnihil vindicarem, atque fallaces eius deceptiones, quibus incautis insidiatur, detegerem, & omnibus manifestas redderem; Tubingensem interim, quisquis ille sit, obsecrans

Autoris in aduersarium modestia.

Roman. 12.

Prouer. 16.

Ecclesiæ ac veritatis defensio necessaria.

atq;

atq; cohortans, ne deinceps pro libidine sua veritati contradicere, nec S. Matri Ecclesiæ, tanquàm contumax, rebellis, ac degener filius, insultare, ac principi populi Dei, petulanter maledicere periculo damnoq; suo pergat. Quod vt faciliùs consequatur, ex animo precor illi non vertiginis, non erroris, non contradictionis Spiritum, quo sub Euangelij fucato prætextu nunc exagitatur, sed affectum verè Christianum, Euangelica charitate, lenitate & humilitate conditum, quò cordis oculos illuminatos habeat, atque perueniat ad veram cognitionem Filij Dei, cuius voluntas non est, vt quiuis homo priuatus, qui legitimè vocatus non est, de religionis ac fidei rebus statuat atque definiat. Sed hæc est Filij Dei voluntas, vt audiamus Apostolos, & eorum Successores, quos Deus in Ecclesia posuit: vt audiamus Ecclesiam, quam qui contemnit, tanquàm Ethnicus & Publicanus est habendus: vt obediamus præpositis nostris, & eis subijciamur, cùm ipsi peruigilent, quasi rationem pro animabus nostris reddituri.

Act. 23. Exod. 22. Esaiæ 9. 1. Tim. 4. Ephes. 1. Non est cuiusuis de Fide iudicare. Hebr. 5. Luc. 10. Ephes. 4. Matth. 18. Hebr. 13.

Quod autem spectat ad methodum, quam

Apologiæ methodus.

 in hac

in hac Apologia, ſequor, vt pius Lector & meum in reſpondendo candorem, & Tubingenſis illius manifeſtos ac pernitioſos errores luculentiùs perſpiciat; Primùm præfationem eius & antitheſes verbotenus (ne Iota quidem, quod ſciam, prætermiſſo) bona fide poſui. Deinde reſponſionem Apologeticam ſubiunxi, quandoquidem (vt ait ille) contraria iuxta ſe poſita magis illuceſcũt. Verbis autem Aduerſarij, nomen Tubingenſis; meis autem Catholici nomen appoſui, quandoquidem in hac Apologia nihil aſſerere conſtitui, quod non doctrinam Catholicam ſapiat, vel potiùs, omninò ſit Catholicum.

Sereniſs. Archid. Carolo, cur hæc Apologia dedicetur.

Porrò multis ac grauibus adductus rationibus Apologiam hanc Sereniſs. Celſit. Veſtræ dedicare volui: ſicut ex officio debui, præſertim cum Aſſertiones Catholicæ, cõtra quas Tubingenſis diſputationem oppoſitam edidit, etiam Sereniſs. Celſ. Veſtræ (nec immeritò) tanquàm huius Archiducalis Collegij ſui Patrono Clementiſſimo, nec non Zeloſiſſimo Catholicæ pietatis ac Religionis protectori fuerint inſcriptæ: nihil hæſitans, quin eam pro innata clementia in patro-

in patrocinium suum admittere, et contra maleuolorum hominum calumnias protegere dignabitur. Quamuis enim variis Argumentorum generibus vndiq; sit munitissima, et ipsam veritatem habeat protectricem, quam aduersarij quidem oppugnare, sed expugnare nequaquam possunt, permagnum tamen et ornamentum & patrocinium ei conciliabit Sereniss. Celsit. Vestræ autoritas, quam obtrectatores (nihil dubito) reuerebuntur, nisi prorsus omnis pudoris expertes videri velint. Dominus IESVS *Sereniss. Celsit. V. ab omni malo conseruet, & spiritualibus gratiæ suæ donis ornet, augeat & confirmet, ac tandem immarcessibili cœlestis gloriæ corona donet. Quod cum fratribus meis, totaq; adeò licet humillima* IESV *Societate, ex animo precor ac semper precabor. Gratij ex Archiducali Societatis* IESV *Collegio, anno à salutifero Virginis partu* 1576.

Veritas inexpugnabilis.

GENEROSIS ET MAGNIFICIS PIETATE, VIRTVTE, ET SAPIENTIA CONſpicuis Viris, Dominis Præſidibus Prouincialibus, totique Ordini Nobilium Illuſtris Styriæ laudatiſsimo, Dominis ſuis officioſè Colendis. S.

TVBINGENSIS

NVPER ex patria rediens M. Primus, attulit mihi exemplar Diſputationis de Eccleſia Chriſti &c. Gratij à Ieſuita habitæ, ſibi ab Autore datum. In qua hoc vnicè agit, & euincere omnibus viribus conatur: ſolum illum cœtum, qui Romanum agnoſcit Pontificem, & ſic Romanam, veram eſſe Catholicam ſaluandorum Eccleſiam: Nos verò, noſtramq; Sectariorũ conuenticula &c. Quòd in illa olim ſyncera floruerit Religio ſub pijs Epiſcopis, quorum hi ſint Succeſſores: Et quia notas illas habeat, quibus iam olim Eccleſia in Symbolo Conſtantinopolitano ſit deſcripta: Quarè ad huius gremium omnibus, qui ſeruari cupiant, confugiendum. Extra hanc nullam eſſe ſalutem, &c. Hæc magnificis, & ſeſquipedalibus ſuo more verbis prædicant, teſtimonijs quoque ex Patrum ſcriptis productis, vt fucum imperitis faciant, & minùs cordatos tanquàm Gorgonis Capite monſtrato terreant.

IN CALVMNIOSAM ET ERRONEAM CVIVSDAM TVBINGENSIS præfationem Apologetica & refutatoria Catholici RESPONSIO.

CATHOLICVS

INTER alia, quæ ſuæ præfationis initio ſugillat aduerſarius, in primis miror cur id vitio mihi vertat, quòd Aſſertiones Catholicas ſanctorum Patrum teſtimonijs munitas propoſuerim, quò fucum (ſicut ait) imperitis facerem. Equidem nullum hac in parte fucum imperitis feci, quòd præter Scripturas S. quas minimè prætermiſi, teſtimonia quoq; Patrum non quorúmuis, ſed antiquiſsimorum, probatiſsimorum & doctiſsimorũ adhibuerim. Sciebam enim hinc faciliùs conſtare, veritatem Aſſertionum iſtarum minimè nouam, nec à me nuper excogitatam eſſe, ſed omnibus ſæculis ac locis cognitam, creditam ac defenſam fuiſſe, quippè, quæ à maioribus noſtris, toto terrarum orbe diſperſis, integra inuariataque nobis tradita fuerit, ac pro-

Quorum Patrum teſtimonijs. cur, & quomodò Autor ſit vſus.

ac proinde, Catholica meritò censeri debeat. Non ergo debuit ab aduersario rideri, quod ab aliis tanquàm rectissimè factum laudatur: Præsertim, cùm à me Patrum sententiæ, non corruptè (vt hæreticis in more positū est) non truncatim, non alieno sensu (quod nec Tubingēsis diffiteri potest) sed integrè, bonaq; fide & iuxta germanam & genuinam eorum intentionem ac mentem semper & vbique fuerint adductę. Interrogaui maiores nostros, (ad quos me Scriptura sacra direxit) de vera Christi, quam habet in terris, militante Ecclesia, quò faciliùs aliis eam ignorantibus commonstrarem. Interrogaui Patres de semitis antiquis, vt mecum in eis ambularent proximi mei. Quod profectò, licet nemo nisi rationis expers, contra prophetica præcepta facilè reprehēderit: Tubingensis tamen (nescio quam ob causam) id nullo modo probare vult, sed etiā insimulare non erubescit. Si legisset ille, Vincentij Lyrinensis libellum verè aureum, sciret vtique, quanta sit, fueritq; semper in Ecclesia Sanctorum Patrum autoritas. Sciret, inquā, quemadmodum Patres in rebus controuersis nobis audiendi sunt, atq; sequendi. Sciret profectò, quæ, quàm multiplices, quamq; absurdæ hæreses concordibus Patrum sentētiis, fuerint extinctę & suppressæ, adeò vt ipsum Deum contemnant, qui Patrum vnanimem consensum contemnunt. Si quoque legisset ille D. Augustinum, haberet exploratum, nō solùm quantum ille Patribus honorem detulit, dum per eos confutauit Pelagianos & complures alios hęreticos; sed etiam, quemadmodùm sancti Patres in rebus fidei controuersis, sint integri & incorrupti Iudices. Si porrò consuluisset Basilium Magnum, de Patribus cādidiùs sentire didicisset, cùm ille suam erga Patres debitam reuerentiam his verbis meritò declarauerit: Nos verò, ait, fidem neq; ab aliis scriptam nobis nouitiam admittimus, neq; ipsa mentis nostrę germina siue cogitationes tradere audem⁹, vt verba Religionis, humana commenta esse nō existimentur: Verùm quæ à Sanctis Patribus edocti sumus, ea interrogantibus nos, annunciamus. Si deniq; perpendisset ille, quando legit Socratem, nō ignoraret quantum honorem Patribus non solùm Nectarius Episcopus, sed ipse quoque Theodosius Imp.

Deut. 32.

Hierem. 6.

Patrum autoritas vindicatur.

Vincentius Lyrinensis, Libro aduersùs prophanas omnium hęresum nouitates.

Aug. libr. 1. contra Iulianum Pelagianum cap. 2.

Basilius Magnus ad Antiochenos.

Socrates li. 5. c. 10. Ecclesiast. Histor.

C Catholi-

Catholicissimus tribuerit, & quomodò per autoritatem Patrũ, hæretici dissentientes inter sese, confusi causa ceciderint.
Lucæ 10. Verùm fortassis aduersarius de Patrum autoritate, requirit Sacrę scripturę testimonia? Audiat ergo Christum de Patribus sic nobis pręcipientem: Qui vos audit, me audit; Qui vos spernit, me spernit. Quæ Christi Verba, non de solis Apostolis, sed de omnibus in vniuersum Ecclesiasticis præpositis, qui vicaria quadam ordinatione succedunt Apostolis, esse dicta testatur
Lib. 4. Epistola 9. Cyprianus. Audiat quoq; loquentem Apostolum: Et ipse dedit
Ephes. 4. quosdam quidem Apostolos, quosdam autẽ Prophetas: alios verò Euangelistas: alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorũ, in opus ministerij &c. Sed quorsum eos Deus in Ecclesia nobis dedit, nisi vt eorum veram & Or-
Ephes. 4. thodoxam audiamus doctrinam, & sancta vestigia sequamur, nec perpetuò simus tanquàm paruuli fluctuantes & omni vento doctrinæ circumferamur?

TVBINGENSIS

Ingeminata subinde voce Ecclesiæ: quo & in officio vtcunque suos augustissimo hoc titulo & nomine retineant, & ad se alios alliciant.

CATHOLICVS

Nec boni consulit ille, quòd veram Christi militantem in terris Ecclesiam agnoscimus, reueremur, & populo Dei cõ-
Matth. 18. mendamus, quam tamen nobis audiendam præcepit Christus. Verùm si rem penitus introspiciamus, mirum non est, si
Ecclesiæ nomen cur Hæreticis inuisum. tàm huic Tubingensi, quàm aliis quoque Sectariis, Ecclesiæ nomen supra modum inuisum, suspectum, odiosum, & abominabile semper fuerit: quandoquidem Ecclesia Catholica, videlicet Romana, Dei ciuitas est, & inexpugnabilis illa ma-
Matth. 16. china, contra quam inferorum portæ nũquam præualuerunt, sed nec aliquando præualere poterũt, & quod est amplius, per Ecclesiam, omnes omnium hæreticorum seductiones & imposturæ semper profligatæ & proscriptę fuerũt. Nónne Ecclesia per Concilium Nicænum Arianos, per Concilium Ephesinum Nestorianos, per Chalcedonense Eutychianos damnauit, explosit, exterminauit? Nónne sic per Ecclesiæ doctrinam & autoritatem Irenæus Valẽtinum, Tertullianus Marcionem, Celsum Origenes, Cyprianus Nouatum, Iouinianum Hieronymus, Augustinus Donatistas, aliosq́ue plures Hæresiarchas

conuicit & proſtrauit? Quod aduerſarius conſiderans, ſibique propterea metuens, peiùs cane & angue videtur Eccleſiã eandem odiſſe, vt ne quidem eius nomen audire iam poſsit. Vnde nec mirum videtur, ſi contra manifeſtum Dei verbum, Eccleſiam (quam vt Matrem venerari nobiſcum meritò debuiſſet) tam iniquis conuitiis temerè proſcindat atq; traducat.

TVBINGENSIS

Verùm, tantùm abeſt, vt pij, qui Chriſto nomen dederunt, iſtis clamoribus moueantur, quin potiùs Aſinum Cumanum malè Leonina tectum rudentem agnoſcant, atq; pro Antichriſtiana colluuie cœtum illum habeant & Babylone, è qua egredi populus Dei, ni in æternum perire malit, iubetur. Notas enim veræ Chriſti Eccleſiæ non habet. Et quibus ſe ornare & pingere cupit coloribus, non ipſius ſunt proprij, ſed alienis pennis inſtar corniculæ Æſopicæ ſe ornat: ideoq; furtiuis nudanda coloribus, vt omnibus eius turpitudo conſpicienda monſtretur; quo manifeſtum fiat Romanam Eccleſiam hodie, nihil minùs quàm Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam eſſe.

CATHOLICVS

Profectò qui pij ſunt & cordati Chriſtiani facilè perſpiciunt aſini Cumani Æſopicæque corniculæ fabulas, non in Romanam Eccleſiam, ſicut aduerſarius calumniatur, ſed in ipſum ipſiusque cœtum quamoptimè quadrare. Nam Eccleſia Romana (quæ eadem Apoſtolica & Catholica eſt) nullis Leonum exuuiis contegitur, ſed quemadmodùm à Chriſto per Apoſtolos inchoata, per Apoſtolorum legitimos ſucceſſores aucta, atque in vniuerſo orbe terrarum propagata, ad præſentem vſque Epiſcopatum conſeruata eſt: Sic in ea ſola verus eſt Dei cultus, vera fides, veritas Catholica, legitimus Sacramentorum vſus, verum ac purum Dei verbum, vera Scripturarum intelligentia, variaque Chariſmatum dona ſunt, quę Deus per eam, ſuis & eius filiis benignè concedit ac largitur. Itaque non indiget illa, qua tegatur, Leonina, nec vt alienis ſe pennis ornet; quippe cum ſponſa exiſtat, quam ſibi Chriſtus in miſericordia & miſerationibus ſponſauit, quamque inter filias Hieruſalem ſpecioſam & decoram nimis ac totam pulchram, in qua macula non ſit vlla, quam denique Reginam aſsiſtentem dextræ ſponſi in veſtimento deaurato & circundatam varietate, Scriptura diuina deprædicat. Quòd verò Romana Eccleſia & nulla prorſus alia, ſit vera ac ſola Chriſti ſpõſa, in huius

*Aduerſarij Calumniæ in ipſum retorquentur.

Rom. 1.

Iren. libr. 3. cap. 3.
Hieron. ad Damaſum.

Oſeæ 2.
Cant. 4.
Pſal. 44.

Apologiæ progreſſu, cùm ex profeſſo de Eccleſia eiuſq; notis agetur (licet aliàs id liquidò conſtet) ita luculenter, propitio Deo, ꝓbabitur, vt niſi quis omnino ſit excors & cæcus, id oculis videre, manibusq; palpare queat. Cùm igitur Tubingenſis à vera Chriſti Eccleſia, ſemetipſum abſciderit ac ſeparauerit; certè nec veram Scripturarum intelligentiam, nec legitimum Sacramētorum vſum, nec verum Dei verbum habet, nec Sanctos Eccleſię Patres intelligit:& quemadmodū nec Eccleſiam habet veram, ſi nec verū Chriſtum habet, vel prædicar. Verùm dū nihilominus hęc omnia pro libitu ſuo fingit ac plenis buccis crepat; nónne ſemetipſum Aſinum Cumanū declarat, quē leoninis verbi diuini, Eccleſię Chriſti, Euāgelij puri, ac Sacramentorum exuuiis tectum, ſed malè ac ineptè rudētem agnoſcimus? Nónne ſeipſum ille probat Æſopicā corniculam eſſe, quando pennis alienis, ac furtiuis coloribus ornatus in publicum ridendus prodit? Nam ſi cætus illius, non Antichriſti colluuies, ſed vera Chriſti eſt Eccleſia, quemadmodū ſibi perſuadet, oſtendat, ex qua autoritate prodierit, edat originem illius Eccleſiæ, euoluat ordinem Epiſcoporum ſuorum, reddat originem Cathedræ ſuæ, confingat ſaltem aliquid de ſucceſsione ſua: ſed nec quod confingat, habet. Quomodò enim poteſt ille cætus Eccleſia Chriſti & non malignantium cenſeri, in quo nulla, vel Epiſcoporum, vel Paſtorum & Doctorum legitima ſucceſsio, imò nullus vnquam Epiſcopus, nullum ſacerdotium, nullum ſacrificium, nullus ordo fuit vnquam; ſed quiuis laicus abſque legitima Vocatione ſacris profana miſcet, mutatque quadrata rotundis? Nam ſi legitimè vocati ſunt eorum miniſtri, (quos vocant) oſtendant, à quo vocati & miſsi ſunt. Si Dei habent Verbum, ſicut & Sacramenta, declarent à quo hæc illis concredita fuerint? Non omnes qui prophetant, veri ſunt Prophetæ; nec omnes, qui Verbum Dei iactitant, ſerui Dei ſunt ad prædicandum miſsi. Quod vel ipſe Dominus teſtatur, dum ait: Prophetæ (falſi) vaticinantur in nomine meo; non miſi eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos. Viſionem mendacem, & diuinationem fraudulentam, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis.

Aduerſarius vtitur exuuiis Leoninis.

Tertullianus libr. de præſcript.

Aduerſarij cætus nullam habet Succeſsionem.

Pſeudoprophetæ nec vocati, nec miſsi veniunt.
Hierem, 14.

Et alibi

Et alibi: Nolite, inquit, audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos. Visionem cordis sui loquuntur, & non de ore Domini. Dicunt his qui blasphemant me: Locutus est Dominus: Pax erit vobis. Ac paulò pòst dicit eos furari verba sua. Quem locum D. Hieronymus ad falsos vtriusque Testamẽti prophetas pertinere scribit, ne circumueniamur nos ab hæreticis, sicut à Pseudoprophetis maiores nostri fuerunt decepti: Semper enim, inquit, imitatur mendacium veritatem, & nisi habuerit aliquam similitudinem recti, decipere non potest innocentes: Quò faciliùs autem decipiant, tanquam Asini Cumani, leonis vtuntur exuuiis, tanquam lupi rapaces, ouium velleribus obuoluuntur, tanquam simię, veros Prophetas imitantur, tanquam vespę, fauos colligere videri volunt, dum clamitant: Verbum Domini, Verbum Domini, Euangeliũ, Euangeliũ. Hęc dicit Dominus, Sic scribit Paulus, Hæc est Christiana libertas, Non videbitis gladium, & fames nõ erit in vobis: Pax, pax, & non erat pax. Vnde sicut olim Pseudoprophetę, sic nunc hæretici consuunt puluillos sub omni cubitu manus, & faciũt ceruicalia sub capita vniuersę ętatis ad capiẽdas animas. Quoniam igitur Aduersarius cum suis cõplicibus, qui tamen paucissimi sunt, propter intestinas ipsorum dissensiones, suæ vocationis aut missionis nullum legitimum testimonium, vel alicuius reuelationis, vel Scripturę S. vel Ecclesiasticę potestatis dare possunt, certè numerabuntur inter falsos Prophetas, qui veniunt (intellige proprio motu vel instinctu Satanæ, non missi à Deo) in vestimẽtis ouium. Hoc enim vocationis ac missionis testimonium ad veros Prophetas à falsis discernendos, vt est necessarium, sic nec immeritò tàm ab hominibus, quàm à Deo, præsertim in Ecclesiasticis ministeriis requiritur. Bone Deus, quæ rerum est perturbatio? In officiis ac statibus humanis, secundùm ordinem omnia fiunt, nec quisquam sibi sumit honorem & administrationem vt fiat Senator, Consul, Iudex, Pretor, nisi legitimè fuerit electus, constitutus ac confirmatus? in domo Dei, in ciuitate sancta super montem posita, in Ecclesia Christi, nullus erit ordo? nulla rerum vel officiorũ dispositio? nullũ personarũ ac ministrorum discrimen? Ima ne

Hierem. 23.
Ibidem.
Hæretici similes Asino Cumanorum.
Exuuiæ quibus vtuntur hæretici.
Hierem. 6. 8.
Ezech. 13.
Matth. 7.
Cyprianus ad Iobaianum.
Tertull. lib. 4 contra Marcionem.
Hierem. 14.
Hæreticorum puluilli quales.
Aduersarius conuincitur falsus Propheta.
Matth. 7.
1. Timoth. 3.
Matth. 5.

1.Cor.12. summis, sacra profanis, turpibus honesta semper miscebuntur? Ergóne omnes Apostoli, omnes Euangelistæ, omnes Doctores & Pastores? At Tubingensis est Doctor, est Pastor, est Euangelista. Sed vnde probat? Quis illum in his gradibus & officiis constituit? Si nominat Apostatam aliquem, quæritur à quo potestatem talem acceperit ille? Si Lutherum appellat, & hoc ipsum à Luthero quæritur. Verùm hic iubet Plato quiescere, cùm vlteriùs progredi nequeat aduersarius. Lutherus à nullo missus est, sed à semetipso venit, vsurpans sibi, quam non acceperat, potestatem aduersùs omnia Iura, quod à suis etiam vel inuitus audire fuit coactus. Quòd si dicat se vocatū sicut Arrius, Donatus, Macedonius, Iouinianus & hęretici cęteri vocati fuerunt, (certè nec aliter dicere potest) iam satisqualis eius sit vocatio cognoscitur. Cùm ergo queadmodùm ædificium, quod falsis ac putridis fundamentis nititur, subsistere diu non potest, sed necessariò corruit: sic aduersarij Cœtus, Doctoratus, Pastoratus & Prædicatio, cùm legitimo vocationis, misſionis, & ordinationis diuinæ fundamento careant, à Deo non sunt, Dei plantatio nō sunt, Dei agricultura non sunt. Vnde nec diu subsistere poterunt. Quandoquidem omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus (ait Seruator noster) eradicabitur. Neque diu asinus Cumanus sub leonina poterit latere, quin rudenti voce sese ridendum omnibus prodat. Sic & cornicula pennis alienis subtractis, & ablatis furtiuis coloribus, magis contemptibilis ac despicabilis propediem euadet. Quòd si nihilominus Aduersarius perget angularem suum, & nuper quocunque modo conuocatum cœtum Ecclesiam Christi vocitare, nemini mirum aut nouum id videri debet. Nam id hæreticorum semper fuit, & est proprium, vt quamprimùm, semetipsos suo ipsorum iudicio condemnatos, à vera Christi congregatione præciderint, Christi Ecclesias vocitent. Sic autore Lactantio ante Mille trecentos annos, quilibet Hæresiarchæ se tantùm Christianos, & suas illorum colluuies Ecclesias vocitabant. Sic eo vetustior Cyprianus de Nouato hæretico scripsit, quòd quemadmodùm simiæ, cùm homines non sint, homines tamen imitantur: sic Nouatus, cùm in Ecclesia non esset,

Aduersarij pastoratus ruiturus.

Matth. 15.
1.Corinth. 3.

Matth. 15.

Hæretici cœtus suos semper Ecclesias, sed perperàm vocàrunt.

Tit. 3.

Apocal. 2.

Lactant. lib. 4. diuinarum Institut. cap. 30.

Cyp ad Iubaianū Epist. 73.

esset, imò rebellis aduersùs Ecclesiam existeret, nihilominus apud se veram Ecclesiã, ac cæteros dicebat hæreticos esse. Sic narrat D. Hilarius, quòd illorum temporum hæretici suas & Satanę synagogas Christi Ecclesias mentirentur. Sic Augustinus scribit, Donatistas contendisse, veram Christi Ecclesiam non per orbem Christianum diffusam, sed ad solam Aphricam alligatam, nec ad eam quidem totam, sed ad vnam illius duntaxat partem, quam occupabat Donatus. Sic Bernardi temporibus fuerunt, qui se vocabant Apostolicos, & Ecclesiam apud se tantùm esse clamabant. Quid igitur mirum, si nostris quoq; temporibus Lutherani molles Vvitenbergensem cœtum, rigidi Magdeburgensem, Osiander Prutenicum, Tigurinum Zuinglius, Kemnitius Brunsuicensem, Geneuensem Caluinus, & aduersarius Tubingẽsem Christi vocet Ecclesiam: Postquàm enim Catholicam Ecclesiam deseruerunt excusso obedientiæ iugo noui facti sunt Magistri, noua contrariaque dogmata profitentes, necessum fuit, vt nouas quoque cohortes, mentito Ecclesiæ nomine congregarent, quæ sicut earum duces & magistri, sic & ipsæ cohortes inter sese perpetuò dissentiant. De quibus grauiter conqueritur D. Hieronymus, dum ait: Sit vna Eua mater cunctorum viuentium, & vna Ecclesia parens omnium Christianorum. Sicut illam maledictus Lamech, in duas diuisit vxores, sic hanc Hæretici in plures Ecclesias, lacerant quæ iuxta Apocalypsin Ioannis, Synagogę magis Diaboli appellandæ sunt, quàm Christi conciliabula.

Hilar. ad Constantium.

Augustinus Epist. 50. 166.

Bernard. serm. 66. in Cantic. Cantic.

Hæreticorum dissensiones vnde.

Hieronymus ad Gerontiã de Monogamia epist. 11.

Genes. 3. Genes. 4. Apocal. 2.

TVBINGENSIS

Confidimus quidem, multos adhuc hinc inde sub signis & auspiciis Romani Episcopi militantes, extera illa specie, splendore, pompa, consuetudine longi temporis, successione loci, & similibus captos, qui tamen non omnes illius errores approbent; sed in fundamento nobiscum, de gratuita fidei per solum Christum iustificatione, Sacramentis, & aliis doctrinæ Christianæ capitibus, facere; præsertim verò in vitæ fine omnium istorum errorum, & nugarum Pontificiarum, Missarum, Exequiarum, Vigiliarum, meritorum propriorum, & alienorum oblitos, ad vnicũ Christi meritum cum D. Bernardo confugere.

CATHOLICVS

Confidit aduersarius multos sub signis Romani Episcopi militãtes, hoc est, Papistas aut Catholicos in præcipuis fidei dogma-

dogmatibus esse Lutheranos. Confidit ille quidem, sed super arundine & confracto baculo confidit. Quandoquidem, qui solent alios ex ingenio suo iudicare, plerunq; falluntur, & turpiter errāt. Nos autem de Catholicis eiusmodi, sub signis Romani Episcopi militantibus, meliora & viciniora saluti confidimus. Nam si propter externam pompam & splendorem se Catholicos fingunt, cùm interim sint hæretici, non possunt illi tanquàm Euangelici, vel boni Christiani censeri, quippe, qui sunt homines duplicis cordis, qui aliud sentiunt, aliud loquūtur; qui claudicant in duas partes; qui negant & affirmant, qui denique nec calidi, nec tegidi, sed tepidi sunt, vt euomantur ex ore Dei, maximè cùm erubescant Christum, & Christi fidem coràm hominibus confiteri. Ecce quales Euangelicos viros fingit aduersarius secum videlicet in fundamento sentientes. Sed esto, quòd talis hominum dispositio & eiusmodi mores Euangelio Lutherano benè quadrent: Absit tamen à Catholicis, qui sub signis Romani Episcopi militant, tàm sinistra tetricaque suspicio, qua tamen eos prægrauat aduersarius. Norunt illi & agnoscunt Pastorem animarum suarum Christum Dominum, agnoscunt etiam & audiunt eius in terris Vicarium Episcopum Romanum D. Petri successorem legitimum, iuxta D. Hieronymi doctrinam & exemplum, ita loquentis: Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedrę Petri cōmunione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio: Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est: Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Et paulò pòst: Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunq; tecum non colligit, spargit; Qui Christi non est, Antichristi est. Quid mirum, si quicunque Catholicus sub signis Romani Episcopi militans, in eadē prorumpat Hieronymi verba: Non noui Lutherum, Caluinum respuo, ignoro Tubingensem. Quicunque cum Episcopo Romano non colligit, spargit. Qui non sequitur eum, Antichristi est. Verùm quod, obsecro, iustificationis & aliorū dogmatum fundamentum apud aduersarium eiusque similes esse potest, postquàm apud eos adeò nullum est fundamentum, vt potiùs

Hebr. 6.
Eccles. 2.
Iaco. 1. & 4.
3. Reg. 18.
Hæreticorum duplicitas.
Apocal. 3.
Matth. 10.
Luc. 9. 12.
Catholicorum synceritas.
Petr. 2. & 5.
Luc. 10.
Ioannis 10.
Hieron. Epist. ad Damasum.
Sectariorum fundamentum quale.

tiùs ſint apud eos, quot homines, tot ſententiæ, & ſicut ait Hilarius, tot fides fabricantur, quot exiſtunt voluntates, vt nũc apud eos fidibus ludatur. Quod longè verißimum eſſe, clariùs quàm expedit, cognoſcet, quicunque Lutheranorum rigidorum & mollium, Oſiandri, & Oecolampadij & Zuinglij & Caluini & Serueti, & aliorum de iuſtificatione hominis, aliiſque fidei dogmatibus ſcripta cõtraria legerit. Nec eſſet difficile mihi, contradictiones illorum infinitas, & manifeſtas proferre, niſi Apologię ratio id fieri hoc loco prohiberet, & niſi cuiuis iã notiores eſſent, quàm vt exemplis probari debeant. Sed quorſum contra manifeſtum Dei verbum ſacrificium Miſſæ, exequias, vigilias, bonorum operum merita, pontificias nugas aduerſarius vocat? Neſcit verbo Dei hæc omnia ſtabilita & probata luculenter haberi? Vtinam nunc hos campos ingredi liceret, vt cum eo ſigillatim de ſingulis concertare poſsim. Nã qui Scripturas ſacras, Eccleſiæ Patres & Concilia Oecumenica de his legere voluerit, nihil (ſat ſcio) dubitauerit ampliùs. Sed quod de Bernardo dicat, audiamus.

Hilarius ad Conſtantium Auguſt.

Contradictiones hæreticorum.

Calumniæ reiiciuntur.

TVBINGENSIS

Hic enim vt maximè & quidem ſeuerißimè ordinem monaſticum à ſe inſtitutum obſeruâſſet, ieiuniis frequentibus, precibus aßiduis, Vigiliis et laboribus maximis et continuis ſe macerâſſet, adeò vt illis exhauſtus, ægrè à ſuis fratribus ampliùs ferri poſſet: tamen cùm moriendũ iam illi eſſet, in tantùm non eſt confiſus ſuæ monaſticæ, vt diceret: Tempus meum perdidi, quia perditè vixi; peccaui peccatũ grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor: Meum proinde meritũ miſeratio Domini. Quid enim ſi multorum ſim mihi conſcius delictorum? Nempe vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. Et ſi miſericordiæ Domini ab æterno & in æternum, ego quoque miſericordias Domini in æternũ cantabo. Nunquid iuſtitias meas? Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius. Ipſa eſt enim mea, nempe factus es mihi tu iuſtitia à Deo.

Bernar. in Cant. Cantic. ſerm. 43.

CATHOLICVS

Quàm infœliciter aduerſarius in D. Bernhardo ſit verſatus, vel hinc inprimis poteſt conſtare, quòd falsò dixerit, Bernardum ordinem monaſticum à ſe inſtitutum obſeruaſſe. Nullum enim D. Bernhardus nouum ordinem inſtituit, ſed cùm eſſet quaſi 22. annorum cum 30. ſociis aliis, ſub Abbate Stephano, ordinem Ciſtercienſem ingreſſus eſt. Deinde ne Iota quidẽ

In vita S. Bernardi cap. 4.

Aliquot aduerſarij errores circa D. Bernardum commiſsi.

D ex Bernar-

exBernardo,vel aliunde produci poteſt, vnde probetur illum (quod abſit) circa finem à fide Catholica, aut à doctrina antè à ſe ſcripto tradita, defeciſſe,quod illi tamen aduerſarius non hoc ſolùm, ſed etiam præcedenti loco fraudulenter imponit. Cùm igitur in Catholica & Orthodoxa fide Bernardus perpetuò vixerit,& ſanctè pieque perſeuerans,beatam animam Deo reddiderit,vt propterea diuinis clarus miraculis,per Apoſtolicam (quam aduerſarius Pontificiam vocat) canonizationem, ſancti titulum & honorem ſit conſecutus,quod & ipſe Tubingẽſis fatetur: profectò grauem viro ſancto calumniam intulit: quippe qui Dei ſeruum in apoſtatam & hæreticum hominem transformare petulanter attentauerit. Quod profectò nunquam ab eo factum putarem,ſi Diuum Bernardum ex ſuis & alienis ſcriptis rectiùs cognouiſſet. Nam quid diuus Bernardus de Miſsis,Exequiis, Vigiliis,& bonorum operum meritis ſenſerit,ſcripſerit ac prædicauerit,cùm ex ipſius libris, tùm ex eo, qui vitam eius bona fide deſcripſit, abundè liquet; maximè quando D. Bernardus quendam Henricum Monachum apoſtatam eadem hæc(quæ Tubingenſis ridet)irridentem & Pontificias nugas vocitantem, egregiè confutârit, ſtrenueque coarguerit. Verùm neque verba hæc (tempus meum perdidi, quia perditè vixi) nec eo loco, quem aduerſarius citauit, nec aliis Bernardi libris inueniuntur. Imò nec illa verba, quæ ſequuntur: Peccaui peccatum grande &c. bona fide citantur ab eo; cùm ſermone 43. In Cantica canticorum, nihil eiuſmodi à Bernardo ſit dictum. Et quamuis alibi D. Bernardus verba ſimilia ſcripſerit,non ea tamen Tubingenſis integrè plenoque ſenſu,ſed truncatim & corruptè,conglomerauit, adeoq; contra mentem eius in alienũ ſenſum detorſit,inſinuans D. Bernardũ merita bonorum operũ (à quò certè errore vir ille ſemper fuit alieniſsimus) oppugnare voluiſſe. Nam licet ille prædictis ſermonibus,& alibi ſæpiùs Chriſti Dñi paſsionem & meritum vehementer,ſicut par eſt,& omnes alij Catholici meritò faciũt,commẽdet,honoret & extollat,& ad Domini miſerationes confugiat,& iuſtitię Domini ſolius memoretur,adeoq; meritum ſuũ dicat,eſſe miſerationes Domini &c. non tamen propte-

Impius aduerſarij conatus.

Bernard. in vita Malach. Epiſt. & ſerm.66. in Cant. Lib.3.cap.5.in vita S. Bernard.& in epiſt. 241.ad Hildefonſum,& ſer. 66. in Cantica.

Matth. 15. Luc.6. Roman. 2.

Pſalm. 102. Pſalm.70.

propterea(quod falsò putat aduersarius)bonorum operũ merita negat;sed tantùm quod res est, affirmat,absq; Dñi miseratione nulla esse merita nostra, & ex Dñi miseratione, meritis nostris,suã efficaciã,quã habent,accedere,& quicquid in operibus nostris est meriti,miserationib⁹ Domini acceptũ id referẽdum esse.Hic D.Bernardi sensus manifestè colligitur,ex verbis sequentibus,quæ studiosè Tubingensis prætermisit. Postq̃ enim dixisset D. Bernardus: Meum proinde meritũ miseratio Domini est, mox subiunxit: Nõ planè sum meriti inops,quàm diu ille miserationũ non fuerit.Quòd si misericordiæ Domini multæ,multus nihilominùs ego in meritis sum &c.Hæc ille.Ex quib⁹ liquet D. Bernardum non tollere meritum operum,sed causam & origenem omnis meriti declarare,ac prohibere,ne gloriemur in meritis tanquam nostris, quasi nostra propriaq; virtute paratis: sed nos tanquam seruos inutiles semper reputantes,soli Deo gloriam demus.Quò spectant etiam D. Bernardi verba,quibus se Prophetam imitari testatur,dum ait:Ego quoq; misericordias Domini in æternum cantabo. Nunquid iustitias meas? Domine,memorabor iustitię tuæ solius.Ipsa est mea.Ecce D.Bernardus, Dñi iustitiam vocat suam,hac nimirũ ratione,quòd per Domini gratiam sit eam consecutus. Hanc porrò,D.Bernardi de meritis bonorũ operum sententiam,sibi cum omnibus aliis Catholicis & Orthodoxis fidelibus esse cõmunem, ex eiusdem D. Bernardi verbis aliunde petitis manifestè cõuincitur. Sic enim ait:Gratia non solùm peccata lauat, sed etiam merita donat. Et alibi testatur, penultimam Dei misericordiã esse,gratiam promerendi.Rursus alibi sic ait: Nolo meritum,quod gratiam excludit.Et iterum:Sicut ad meritum satis est de meritis non præsumere, sic carere meritis, satis est ad iudicium. Porrò infantum renatorum neminem carere meritis, sed Christi habere merita, quibus se tamen indignos reddunt, si sua iungere non nequiuerint, sed neglexerint. Quod quidem periculum iam adultæ ætatis est. Merita proinde habere cures; habita, donata noueris. Pernitiosa paupertas, penuria meritorum. Et paulò pòst: Fœlix Ecclesia, cui nec merita sine præsumptione, nec præsumptio absque

Bernardi sententia de meritis operum.

Bernard. serm. 61. in Cantica.

Luc. 17. Psalm. 67.

Psalm. 88. Psalm. 70.

Bernar. serm. 1. de nuptiis in Cana Galilæa.

Serm. 2. de 7. panibus.

Serm. 67. in Cantica Canticorum.

Serm. 68.

meritis deeſt. Ex his & ſimilibus locis abundè colligitur, quàm Catholicè D. Bernardus de meritis bonorum operum ſenſerit, & quantam aduerſarius illi viro contumeliam intulerit, dum eius verba perperàm interpretatus ſit; nec candidè ſententiam autoris citauerit. Si tamen (caſu poſito) D. Bernardus aliquid eiuſmodi de meritis operum dixiſſet, non tamen propterea voluiſſet orationes, ieiunia, vigilias & obſeruationes monaſticas traducere, cùm ad eas perpetuò fratres ſuos excitare & inflãmare conſueuerit. Sed eſſent illa intelligenda vel de vita ipſius pręterita, in ſtatu ſęculari tranſacta, vel de negligentiis ac minutis peccatis in religione commiſsis, quæ viri ſancti nõ minùs, quã alij homines grauiſsima crimina deplorare ſolent. Sic D. Hieronymus teſtatur, Paulam leuia peccata tanto dolore defleuiſſe, vt eam quis grauiſsimorum criminum ream credere potuiſſet. Et quamuis D. Bernardus ex humilitate de ſe ita ſenſerit (cùm iuſtus primus ſit accuſator ſui ipſius) & idẽ Apoſtolus Paulus fecerit, quando poſt iuſtificationem ſe primum inter peccatores nominat; non tamen ita de Bernardo ſenſerunt alij, nec ita de aliis ipſe ſenſit, quod ſpectat ad ſanctorum hominum merita, vt patet ex vita Malachiæ ab ipſo deſcripta, & ex ſermonibus eius de B. Virgine, S. Petro, Paulo, Andrea, Victore &c. Nec cum aduerſario iam id cõtendo, quanti quiſque ſua merita facere debeat, ſed quid ſentiendum ſit de meritis iuſtorũ hominum &c. Nec poſſum hoc loco diffiteri, quòd & ipſi viri ſancti nonnunquam vel neceſsitate vel vtilitate magna coacti fecerunt, vt rectè facta ſua coràm Deo & hominibus (citra falſitatem & iactantiam) commemorauerint, ſicut Regẽ Ezechiam, Iob, Dauidem, Samuelem, Neëmiam, Apoſtolum Paulum feciſſe conſtat. Quorum exempla videtur imitatus D. Bernardus eodem Dei Spiritu motus. Etenim quanta confidentia fretus, diem vltimum clauſerit, luculẽter teſtatur eius teſtamentum, quod poſt eius vitam breui carmine comprehenſum extat. Quærenti enim:

Hieronymus in epitaph. S. Paulæ.

Eſa 38. 4. Reg. 20. Iob. 31. Pſal. 17. 118. 131. 1. Reg. 12. Neem. 5. 13. 2 Corin. 11. 12. 2. Timoth. 4.

Quæ vitæ forma, qui mores, quæ ſacra norma?
Quid deceat, quid non, inſtrue ſancte pater:

Reſpõdit Bernardus:

Quæ

Quæ feci primò, vobis facienda relinquo.
Nullum turbaui, discordes pacificaui,
Læsus sustinui, nec mihi complacui.

Tantùm abest, vt ille Sãctus, cùm esset moriendũ, monasticæ suæ diffideret; quod vitæ genus tot encomiis celebrauerat.

Tales ergo, nostra si legerent scripta, dubium non est, per Dei gratiam, plurimis agnitis erroribus Ecclesiæ Pontificiæ, rectiùs de multis doctrinæ partibus sensuros esse. Sed arcentur multi à nostrorum lectione scriptorum. Alij præoccupati opinionibus nescio quibus conceptis, priùs damnant nostra, posteà demùm legunt. De quibus rectè illud piorum Episcoporum responsum Apostatæ Iuliano datum dici potest; Cum enim hic de libro Apollinarij ad se scripto dixisset: Legi, intellexi, condemnaui: Responderunt illi: Legisti, sed non intellexisti. Si enim intellexisses, non vtique condemnâsses. TVBINGENSIS

Tales profectò vestra si legerent scripta, dubium non est, quin per curiosas nouitates ac deceptiones, quibus scripta vestra scatent, in graues errores & perniciosas hæreses inciderent. Quod quidem periculum cùm Apostolus incautis fidelibus (præsertim ex corruptis & curiosis libris) imminere cerneret, Corinthiis atque fidelibus omnibus metuens, salubriter cauit, dum ait: Timeo autem, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita & corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quę est in Christo. Cur Eua decepta fuit, & excidit à simplicitate Dei? Quia curiosum & exitiale colloquium cum serpente miscuit. Cur hoc etiam tempore filij Euæ decipiuntur, vt excidant ab eadem simplicitate? Quia sicut Euam seduxit serpens astutia sua, sic homines serpentini (quod maximè fit per corruptos & fallaces libros) seducũt simplices & incautos, vt ex ouibus Pastores, ex laicis Sacerdotes, ex subditis Præpositi fieri velint, atque sic excidant à simplicitate, quæ est in Christo. Vnde quemadmodùm Apostolus hæreticum hominem post vnam atq; alteram admonitionem deuitandum pręcepit, atque viri quoque Apostolici libros curiosos, ne possent aliis obesse, igne combusserunt; sic Ecclesia Catholica cũctis fermè sæculis libros hæreticorum, nec absque grauissima excommunicationis pœna voluit interdictos esse. Certè in

CATHOLICVS

1. Ad Tim. 6. cap.

2. Cor. 11.

Genes. 3.

Librorum hæreticorum periculũ.

Tit. 3. cap.
Actor. 19.

Niceph.li. 8.ca. 18. Sexta Synodus Action. 14. Septima Synodus Action. 5. Socrates hist. Tripart. lib. 2. cap. 15. Niceph. li. 8. ca. 15. & 25. Lege Damnato. in cod. Tit De hæret. & Manich. Epistola 1., Synodali apud Cyrillũ Alexand. Cod. Theodosiano libr. 16. Tit. 4. leg. 24. In cod. leg. Quicunq; Tit. hæreticis & Manich. Epist. 93. ad Turribium. Nouella 42. Niceph. lib. 17. ca. 9. Actione 1. quintæ Synodi generalis. Lib. 1. de Sacram. altaris. Gelas. in decreto de scripturis apocryphis in fine. Concil Constant. Sess 8.

Concilio Niceno Arij scripta damnata, & igni mandata; & in tertia Constantinopolitana Synodo, ac rursus in secundo Niceno Concilio, libelli suspecti & curiosi anathematizati fuerunt. Sic Constantinus Imperator sententiam capitis tulit in eos, qui libros interdictos occultâssent aut nõ combusissent. Sic Theodosius Iunior & Valentinianus Imperatores ad petitionem Ephesinæ Synodi sub pœna extremi supplicij, libros Nestorij cõburi iusserunt. Sic Arcadius & Honorius Augusti, sub pœna capitis, Eunomianorum & Montanistarum libros, igne cremandos præceperũt. Sic Apollinistarum & Eutychianorum libros, Martianus & Valentinianus Imperatores, seuerissimè damnârunt ad ignem. Sic Leo Magnus iussit, vt apocryphi quidã libri & quos Priscillianistę, corruperant igne cremarentur. Sic Iustinianus Imperator, seuerè vel potiùs salubriter mãdauit vt Seueri libri sub capitis pœna comburerẽtur. Sic Berengarius Romę cõuersus, libros hęreticos à se scriptos manu propria proiecit in ignẽ comburendos sub Nicolao secundo, vt Guidmũdus testatur. Sic Gelasius Pontifex libros hæreticorũ in vniuersum omninò prohibitos & damnatos voluit. Sic Constãtiensis Synodus libros Vvickleffi publicè comburi mandauit. Sic Pontifices nostro quoque sæculo, frequenter ac seuerissimè prohibuerunt omnia hæreticorum scripta, præsertim ea, quibus religionis ac fidei dogmata peruerterunt; ne scilicet incauti lectores, exitiale virus ex illis hauriant, ac tandem falsa dogmata, pro veris amplectantur & credant. Sic Carolus Quintus nostra ætate graui edicto, per omnes ditiones suas hæreditarias, omnibus interdixit lectione librorum Lutheri, & quorumcunque aliorum hæreticorum, & immorigeros pœna graui puniẽdos decreuit. Sic deniq; anno 1553. Galli apud Metenses libros Lutheri diligentissimè per ciuium domos quæsierunt & inuentos carnifici publicè comburendos tradiderunt. Quis igitur nunc tàm erit insulsus & excors, qui grauiter id ferat, vel etiam miretur, & non gaudeat potiùs, si libros hæreticorum his quoq; temporibus nostris prohiberi, abiici, vel cremari viderit? Certè Gentiles & Ethnici homines olim, ne plura de Christianis dicam, sic expedire, & adeò fore

Lutheri & Lutheranorũ libri prohibiti.

necessarium

necessarium intellexerunt, & proinde libros omnes, religionem innouantes igne comburendos iudicarent. Hinc Cicero sic ait: Abderites Protagoras Sophistes, cùm in principio libri sic posuisset: De diuis neq; vt sint, neq; vt nō sint, habeo dicere: Atheniensiū iussu, vrbe atq; agro est exterminatus, libriq; eius in concione combusti. Hinc Plutarchus de Numa Pompilio scribit, libros sacros cum eo sepultos fuisse, inuentos autem post 400. ferè annos. Quos cùm legisset Petillius Prætor, & ad Senatum retulisset, non videri sibi, neq; fas, neque pium ait, vt quæ in libris scripta essent, audirentur à multitudine. Proinde delati illi in comitium, igni traditi sunt. Sed de his satis. Et quamuis olim Augustinus, Dionysius, Hieronymus aliiq; Patres Ecclesiæ, libros hæreticorum legerint, atq; nunc etiam id sapientibus ac doctis viris permittatur, vt nimirùm ipsorum errores & certiùs intelligant, & solidiùs efficaciusque redarguant, & confutent: non tamen expedit idcircò, vt fidelibus omnibus indiscriminatim eorum lectio permittatur. Neque enim sunt omnes eo iudicio præditi, vt possint à vero semper falsum secernere, ac de controuersis fidei dogmatibus tutò iudicare. Vnde plurimi sicut hamo pisces, & aues laqueis, sic insidiosissima hæreticorum librorum lectione decepti & irretiti, ex erroribus in errores, tanquam captiui miserè pertrahuntur. Nam hæreticorum sermo, siue sit auditus, siue lectus, tanquam cancer serpit, donec ipsius studiosi penitus seducantur, seducti corrumpantur, corrupti suo ipsorum iudicio damnentur; atque tandem errantes & alios in errorem mittentes, fiant hostes veritatis, & inimici Crucis Christi, ac cum Alexandro & Hymenæo contra Deum, Ecclesiam, & Pontifices Ecclesiasticos, assuescant iugiter blasphemare. Quamobrem rectissimè faciunt, omniq; honore digni sunt illi Pontifices, Imperatores, Reges, & Magistratus, qui libros hęreticorū dānant ac damnatos comburunt, aut proscribunt, & cauent modis omnibus, ne per illos eorum subditi corrupti & infecti miserrimè pereant. Vnde quid mirum ô Tubingensis, si tua quoque tuorumque scripta tanquàm prohibita & perniciosa legi non permittantur? Quippe quæ non Orthodoxam & Catholicam veritatem

Lib. 1. de Natura Deorum.

Qui tutò possint libros hæreticorū legere.

Eccles. 9.
1. Tim. 4.

1. Thess. 3.
Tit. 3.
1. Tim. 4.

Philip. 3.
1. Timoth.

1. Timoth. 6.
2. Timoth. 2.

veritatem continent, sed profanas rerum nouitates, & peregrinas suspectas, ac perniciosas corruptelas vbique spirant, vel potiùs olent? Quid mirũ, inquam, si vobis idem eueniat, quod à vobis alij, licet non optimo semper iure, patiuntur? Nónne vos discipulis vestris Catholicorum & Orthodoxorum virorum libros, sed perperam, interdicitis? Nónne eis vestra tantùm scripta, tàm seuerè commendatis, & præcipitis legenda, vt ab eis nec latum quidem vnguem discedere possint? Nónne vos aliorum quoq; Sectariorum, qui vobiscum non sentiunt, libros damnatis, exploditis, exterminatis? Quòd verò scripta tua, præsertim autem præsentes antitheses, (nam de aliorum sectariorum contradictionibus & erroribus, nullus iam tractandi locus est) meritò debeant omnibus interdici, facilè cõstabit ex hac Apologia nostra, qua candidis lectoribus non solùm intolerabiles errores tui, sed plurima quoque & manifesta falsi crimina deteguntur. Ergo qui sapiunt, tua scripta tanquam exitialia Toxica fugiant iuxta illud:

Hæretici prohibent Catholica scripta.
Sua tantùm obtrudunt.
Hæretici aliorũ Hæreticorũ scripta damnant.
Cur aduersarij scripta non legenda.

Virgil. Egl. 3. in Bucol.

Qui legitis flores, & humi nascentia fraga,
Frigidus, ò pueri fugite hinc, latet anguis in herba.

Ecclesiastici 12.

Huc quoque spectat Sapientis dictum: Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestiis?

TVBINGENSIS

Cum igitur Iesuita suam illam Serenissimo Archiduci Austriæ Carolo Disputationem inscripserit: mihi verò ad eius Celsitudinem aditus non pateat: vobis Generosi ac Magnifici Domini, meam hanc, qua illius refutaui Scripturæ sacræ testimoniis, dedicare visum est, vt antidotũ habeatis. Commẽdari enim à multis fide dignis iam olim audio insignem vestram pietatem, & zelum erga religionem Christianam synceram, quem etiam opere & facto declarâstis, extructa, & aperta Schola noua, templo ampliato, confeßione publica, quæ lucet in toto Imperio Romano: quæ veræ sunt laudes, ornamenta, insignia nobilitatis, ac imagines militum Christianorum, quales multos olim fouit Ecclesia primitiua in aulis Impp. Ethnicorum, qui tanquam stellæ cœli, & Filij Dei lucebant in medio nationis prauæ atque peruersæ. Magnæ sunt & egregiæ laudes vestræ gentis, propter bellicas virtutes, fortitudinem & magnanimitatem, qua in perpetua statione, contra hostem potentißimum

potentißimum verſatur, murus eſt Dei beneficio contra irruptiones Turcicas. Sed non minor eſt virtus, ſicut & longè maius animi robur requiritur, aduersùs ſpirituales aſtutias in cœleſtibus pugnare, vbi opus eſt gladio Spiritus, quod eſt verbum Dei; quo tela omnia nequißimi ignea ſunt excutienda & extinguenda. In hoc certamine, cùm hactenus gratia Spiritus ſancti vobis aßiſtente, inſignia ediderits ſpecimina & tyrocinia; hac diſputatione nomini veſtro illuſtri inſcripta, conatus veſtros pios & ſanctos, pro meo munere, quo fungor in Eccleſia filij Dei, iuuare volui. Speroq́ meam hanc qualemcunque operam, vobis non ingratam fore. Studium certè meum probare vobis cupio, quorum filios, cognatos, & affines plures, hîc apud nos literis operam dantes per annos aliquot, in meo conuictu & domo habui.

CATHOLICVS

Dum aduerſarius variis lenociniis voluit generoſis Stiriæ Baronibus, quin etiam Sereniſsimo Archiduci Carolo blādiri & facere fucum, grauiter in vtroſque præter ſuam ipſius voluntatem, vt arbitror, impegit. Nam & Serenis. Archiducem Carolum Imperatoribus Ethnicis ſeu Idololatris, & Magnificos Dominos Stiriæ Barones veteribus papiſtis comparauit. Ac ne pluribus hoc loco perſequar tam inſignem iniuriam, quam intulit Sereniſsimo Principi noſtrò, cuius in Eccleſia modò viget ſemperq; vigebit, tanta pietatis ac virtutum omnium laus, vt nec illius, nec aliorum Sectariorum, imò nec infernalium furiarum, quibuſcunque calumniis & obtrectationibus vllo modo poſsit vnquam obſcurari. Quid illi, obſecro, venit in mentem, vt generoſos Stiriæ Barones antiquis papiſtis eſſe ſimiles dixerit? Cùm tamen omnes Papiſtas cane peiùs oderit, & variis conuitiis onerare ſoleat? Nam apud Imperatores Ethnicos nulli prorſus, niſi vel infideles, vel hæretici, vel certè Papiſtæ aulici fuerunt. Cùm igitur prædictos Stiriæ Barones nec infidelibus, nec hæreticis, ſat ſcio, comparare voluerit, quid certius ex verbis eius ſequitur, quàm vt eos aſsimilauerit Papiſtis, qui tanquàm ſtellæ cœli, Filij Dei (ſicut ait) tunc lucebant in medio nationis prauæ atque peruerſæ? In qua re, ſi Tubingenſis illius verbis aſſentiuntur Domini Barones, nec eius improbo conſilium, & illorum ſaluti plurimùm in Domino congratulor. Sic enim non cum eo, ſed nobiſcum in omnibus ſentient & credent. Nam quòd in Eccleſia primitiua

Archidux Carolus ab aduerſario cōparatur Ethnicis Impp.

Philip. 2.

nec Augustana Confessio nec Euangelium Lutheri cognitum fuerit, certo certius constat, quando hæc anno 44. primùm esse ceperunt, nec ab Apostolis, aut Apostolicis viris, sed à Luthero & Melanchtone suam originem traxerunt. Quòd verò Papistæ moderni cum primitiuis Papistis in omnibus fidei ac religionis articulis prorsus idem sentiant, credant, confiteantur, ac doceant, id notissimum est omnibus, qui fidem Catholicam modernorum Papistarum, vel primis labris gustârunt, vel ex Concilio Tridentino cognoscere volunt, & Apostolicorum etiam fidelium ac veterum Papistarum & sanctorum Patrum libros ac historias legerunt. Adeò fuit semper & vbique concors, & vna Papistarum omnium fides, etiam eorum, qui fuerunt in aulis Imperatorum Ethnicorum, & modernorum, qui modò viuunt: Adeò fidem Catholicam, quam Papistę modò profitentur eandem olim omnes Christi martyres, voce, morib⁹, libris scriptis, vita, morte, & sanguine professi ac protestati sunt: Adeò ipsi etiam Apostoli re ipsa (licet nomen Papisticum sit nouum & nuper ab aduersariis inuentum, & odiosè vel ex contemptu Catholicis impositum) & Apostolici viri, & veteres Patres & omnes Martyres & Confessores, omnes etiam Sancti, & Sanctæ Dei Papistæ, hoc est Catholici sub Romano Pontifice tanquam legitimo Pastore semper fuerunt, vt meritò possimus ac debeamus hoc nomine gloriari: Adeò denique in Papatu (quod ipse Lutherus fatetur) vera scriptura sacra, verus Baptismus, verum Sacramentum altaris, veræ claues ad remissionem peccatorum, verum prędicandi officium, verus Catechismus, veri articuli fidei, vera Christianitas, imò verus nucleus Christianitatis est, ac semper fuit. Quod igitur aduersarius Magnificos Dominos Stiriæ Prouinciales, Papistis assimulauerit, sicut euidenter ex eius verbis conuincitur, nō equidem doleo, nec grauiter fero, dummodò non illi grauiter ferant; sed gaudeo, atq; vt eis fœlix faustumq; sit, ex animo precor. Sic enim & Heroicis Maiorum suorum vestigiis insistent, vt veri Christiani, veriquè Euangelici fiant, & saluti suæ, nedum existimationi ac dignitati quamoptimè consulēt, denique laudem suarum virtutum immortalem post se relinquent, ad maiorem Dei gloriam.

Ioānes Mathesius concione 8. de vita Lutheri.

Papistæ primitiui ac moderni credunt, & semper crediderunt eadē.

Papistæ qui, cur, quando vocati.

Papisticum nomē gloriosum.

Luth. in libro de Anabaptismo.

Papatus habet vera Dei ministeria ac dona.

Papistæ veri Heroici, Euangelici Christiani.

Atque

TVBINGENSIS

Atque vtinam Sereniss. Archidux Austriæ Carolus &c. hanc quoque Disputationem cum ardenti Dei inuocatione, attentè legat, argumentorum vim perpendat, & ad normam sacrosanctæ Scripturæ examinet: quod sanè ab ipsius Celsitudine Illustrissima non foret alienum. Hoc ipsum enim, & alij summi Monarchæ, Impp. Christiani fecerunt olim, qui religionis controuersias grauissimas cognouerunt. Fecit hoc nunquam satis laudatus Imp. Constantinus verè nomine & re magnus. Fecit hoc Martianus Imper. fecit idem Theodosius. Determinata enim die, cuiusq; religionis Episcopi ad aulam ipsius vocati, conueniunt. Aderant igitur Nectarius, & Agelius Homousianæ fidei antistites: Arianæ vero Demophilus; Eunomianæ ipse Eunomius: Macedonianæ Eleusius Cyzicenus. Vbi conuenissent, excipit eos Imperator, & accepto cuiusq; dogmatis scripto seorsim Deum impensè orat, vt se ad eligendam veritatem adiuuet. Deinde lecto cuiusque dogmatis scripto, reliqua omnia tanquam separationem sanctæ Triadis inducentia, reprehendit ac rumpit. Solum verò quod Homousianam fidem continebat, laudat, & amplectitur.

Socrat. Hist. Eccl. lib. 5. ca. 10.

Theod. lib. 9. cap. 18. 19.

CATHOLICVS

Quòd aduersarius Serenissimo & Catholico Principi persuadere nititur, vt antitheses suas (in aëre absq; vllo veritatis fundamento fabricatas) attentè legat, argumentorum vim perpendat, & ad sacræ Scripturæ normam examinet, atq; tandem vt sese, (quod insinuat) Iudicem & arbitrum in fidei controuersiis constituat, in eo frustrà desudat. Nouit enim pientissimus Archidux aduersariorũ esse perniciosa dogmata, quæ sicut posteà declarabitur, ab antiquis hæreticis accepta, nec solùm nuper ab Oecumenico Concilio Tridentino, sed olim etiam à S. Patribus & conciliis, ad normam sacrosanctæ Scripturæ diligenter ac maturo iudicio examinata & grauissima totius orbis sẽtẽtia, tanquàm falsa, hæretica & cum Scriptura sacra ex diametro pugnãtia reiecta, explosa, & anathematizata esse. Nouit bonas horas malè collocari, quæ scriptis eiusmodi, virorum obscurorum & non Catholicorum legendis consumuntur. Nouit deniq; sui officij non esse in rebus de fide controuersis & maximè post rem iamdiu ac sæpè iudicatam, se Iudicem & arbitrum constituere, contra piam maiorum suorum & Christianorum Principum Catholicorum consuetudinem, qui nunquàm eam autoritatem sibi sumere vel vsurpare

voluerunt. Vnde non poterit aduersarius effugere crimen falsi, quòd Christianorum Imperatorum Constantini, Martiani, Theodosij facta non bona fide citauerit, sed in peruersum & corruptum sensum detorserit, sicut iam luce clariùs demonstrabitur. Absit enim à Christianis ac piis Principibus tanta temeritas ac præsumptio, qua falcem suam, cōtra manifestum Dei verbum, in messem alienam extendentes, rerum, personarum & officiorum ordinē in Ecclesia voluerint, aut aliquando velint perturbare. Absit vt iis, quæ sunt Episcoporum & Sacerdotum secundùm Dei suauem dispositionem propria, præsumant illi, sese cum graui periculo suo leuiter ingerere. Quod profectò plerisq; Regibus aliquādo pessimè cessit. Nouerant enim veteres Monarchę, nec etiam nunc ignorant Orthodoxi Principes, cognitionem, examen & iudicium de rebus circa fidem & religionem controuersis, ad Apostolicum Magistratum, ad Senatum Ecclesiasticū, ad Pontifices, Episcopos, Prophetas, Pastores & Doctores, ad Oecumenica cōcilia (quando legitimè congregata celebrantur à viris ac præpositis Ecclesiasticis) omninò spectare. Nouerant illi duplicem à Deo potestatem in Ecclesia constitutam esse, nimirùm Ecclesiasticam & Politicā: Vnde duplex quoq; Ius, Canonicū videlicet ac Ciuile: Hoc quidem à potestate ciuili seu Imperiali, illud verò ab Ecclesiastica prodierit. Nouerant optimè Deum ita pręcepisse, vt quemadmodùm in humano corpore multa quidem membra habemus, omnia autem membra nō eundem actum habent; Sic in Ecclesia donationes quoq; secūdùm gratiam, quæ data est nobis, esse differētes; siue prophetiam secundùm rationem fidei, siue ministerium in ministrādo; siue qui docet, in doctrina; qui exhortatur in exhortando &c. & quòd omnia honestè, & secundùm ordinē fieri debeant. Verùm vt quiuis intelligat, quàm falsò corrupteque citauerit aduersarius trium Catholicissimorum Imperatorum, Constantini, Martiani & Theodosij præclara piaque facta seu exempla, de singulis per ordinem dicam. Et primùm quidem ridiculum videtur, quòd Theodoreti caput 18. & 19. libr. 9. in medium adduxit, vt inde probet Imperatores prædictos religionis controuersias cognouisse, ac diiu-

Iudicare de controuersiis religionis, ad quos pertinet.

Actor. 2. Actor. 15. Actor. 20.

Ephes. 4.

Duplex in Ecclesia potestas vnde.

Ius canonicum & ius ciuile vnde.

Rom. 12. 1. Cor. 12.

Ordo in Ecclesia necessarius probatur.

1. Cor. 14.

Aduersarius corruptè citauit exēpla Imperatorum.

Aduersarij ridicula citatio Theodoreti, pro Socrate in tripar. hist.

ac diiudicasse. Certè Theodoretus lib. 9. cap. 18. & 19. ne Iota quidem de illis scripsit, imò nec maiorem de illis, quàm Aristoteles lib. 12. Physicorum de iisdem Imperatoribus fecit mẽtionem. Vnde colligitur abũdè, quantùm hac in re cęcutiuerit Tubingensis; quippe qui librum nonum Theodoreti citauerit, cùm non plures quàm 5. libros ille scripserit, & quantùm deinceps Aduersarij citationibus tribuere conueniat. Porrò Socrates, quem etiam de prædictis Impp. allegasse videtur lib. 5. cap. 10. de Constantino ac Martiano Imperatoribus, nullam omninò, sed de solo Theodosio talem narrat historiam, quæ nihil etiam fulciendis aduersarij figmentis patrocinatur. Vt igitur quiuis luculenter perspiciat, quantùm Imperatores prędicti (quos aduersarius omine satis infausto vocauit in testes, vt nimirùm suo veluti gladio iugulatus miserè caderet) tã perniciosam ac detestabilem præsumptionem semper à se depulerint, eosdem ego iam in aciem produco, strenuè militaturos aduersùs Tubingensem, vt sese vindicent ipsi, suamque quam habent in Ecclesia laudem, tàm insigni temeritatis, ne dicam, stultitiæ nota liberent. Prodeat ergo primus, quem & ille primo loco citauit, Imperator Constantinus, qui cùm venisset ad Concilium Nicenum, vt refert Eusebius, postremus omnium est ingressus cœtum 318. Episcoporum, & posita quadam humili sede, non priùs cõsedit, quàm annuissent Episcopi. In quo sanè Concilio nihil Constantinus de causis religionis cognouit, nihil iudicauit, nihil decidit; sed postquàm nonnulla piè de Episcoporum pace atque concordia fuisset locutus, omnem dogmatum inquisitionem atque tractationem Episcoporum sententiæ, iudicioque transigendam prorsus reliquit. In quo etiam Concilio, licet omnes Episcopi subscripsisse legantur; nulla tamen Imperatoris subscriptio reperitur. Et quamuis subscripsisset, non id tamen ab eo factum fuisset, quasi religionis quæstiones decidisset; sed vt dogmata ab Episcopis declarata, ipse quoque agnosceret, & rata haberet, quorum obseruationes tanquam Christianus ac pius Princeps commendare subditis suis vellet, sicut ab aliis Imperatoribus esse factitatum infrà liquebit. Sciebat namque Constantinus Imperatorum

Euseb. lib. 3. de vita Constantini ca. 10. & Theodor. lib. 1. cap. 7.

Constantinus in Concilio quomodò se gesserit.

Cõstãtinus causas religionis non cognouit.

Constantinus in Concilio cur fuerit, & quid egerit.

officiū esse,patrocinio & autoritate sua cauere,ne dissensiones vel tumultus in Conciliis propter hæreticos oriantur. Quod etiam Socrates & Theodoretus de eo manifestè testatur: quorum hic ait;Imperatorem Nicæam venisse, tùm quòd Episcoporum cupiebat videre multitudinem, tùm quòd cócordiam inter eos constituere desiderabat;ille verò scribit Imperatoris fuisse studium, non vt religionis quæstiones cognosceret aut decideret(sicut vult aduersarius)sed vt ad pacem tuendam incumberet,quoniam concordiæ Ecclesiæ permagnam curam habebat. Simile testimonium Constantino reddit Augustinus. Nam vt refert ille,cùm Donatistæ causam Cæciliani Constantino(sed perperàm diiudicandam detulissent,non fuit ausus,Episcopi causam iudicare,vel etiam cognoscere,sed discutiendam & decidendam aliquot Episcopis Romę congregatis eam tradidit,quod & factum est,Præside Melchiade Pont. Romano. Ad eundem planè modum de Constantino narrat Ruffinus historiam memoratu dignissimam. Nam cùm Episcopi, qui fuerant in Concilio Niceno congregati, libellos illi quosdā obtulissent,quibus se mutuò traducebant,& calumniabantur,ille quidem oblatos libellos, suscepit,sed nō legit,imò nec aperuit quidem, sed mox exustis illis,ne cuipiam,Episcoporū contentiones innotescerent;eos his verbis allocutus est:Deus vos cōstituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit nos quoq; iudicandi,& ideò nos à vobis rectè iudicamur:Vos autem non potestis ab hominibus iudicari,propter quod,Dei solius inter vos expectate iudicium,& vestra iurgia,quæcunq; sunt,ad illud diuinum reseruentur examen. Vos nobis à Deo dati estis Dij, & conueniens non est,vt homo iudicet Deos; sed ille solus, de quo scriptum est:Deus stetit in synagoga Deorū, in medio aūt Deos discernit,& ideò iis omissis,illa,quæ ad fidem Dei pertinent,absq; vlla animorum cōtentione distinguite.Hęc autore Ruffino Cōstantinus Impetator;quibus abundè maculā ab aduersario sibi petulanter aspersam,iā deterserit. Quòd etiā Imperator Theodosius,hæc Prędecessoris sui præclara vestigia secutus,nunquam sic arrogans,aut demēs fuerit,vt attētaret religionis controuersias definire,sed Episcoporū præscriptum & consilium

Theodor. li. 1. c. 7.

Socrates lib. 1. ca. 7. secundùm nouā translat. Ioannis. Christophorsoni Episcopi Cicestrēsis.quam sequor. aliis cap. 10.

August. epi. 166. & 48.

Constātinus causam Episcopi, tradidit Episcopis iudicandam.

Ruffin. lib. 1. ca. 2.

Constantini reuerentia erga viros Ecclesiasticos.

Psalm. 81.

Theodosius Imperator vindicatur.

consilium tantũ sit executus, iam iã vt omnibus manifestissimũ euadat, efficiam. Quãuis enim, quod vrget aduersarius, Theodosius hæreticorum, perinde ac Catholicorum, diuersa cõtrariaq; scripta collegerit, ac sese concluserit in locum separatũ, & obnixè Deum rogauerit, vt ad eliciẽdam veritatem opem ferre vellet, ac postremò, dogmate cuiusq; perlecto, cętera omnia vtpotè Trinitatis vnitatem dirimentia damnârit ac lacerârit, solã autem consubstantialis fidem laudârit & approbârit; nihil minùs hæc omnia conuincunt, q̃ quòd Theodosius religionis controuersias tanquã Ecclesiasticus Iudex deciderit, aut etiam cognouerit; sed id tantùm probant, quòd tanq̃ strenuus & zelosus Episcopalium decretorum executor, hęreticos, videlicet Arianos, Eunomianos & Macedonianos compresserit, eorũq; falsa dogmata iam aliàs ab Episcopis damnata sustulerit, atq; sic Ecclesiæ pacem & vnitatem restituerit. Ad quam rem fœliciùs exequendam, quid mirum, si nonnihil ab aliis recesserit, si diuinam opem implorauerit, cùm non solùm Christus omnibus in rebus primũ Dei regnum esse quærẽdum docuerit, sed & Plato (qui etiã propterea diuinus appellatur) docuerit, absq; diis immortalibus nullum ritè formari exordium, nec quicq̃ auspicatò geri posse. Quòd.n. Imperator nihil de fide Catholica vel Nicęni Cõcilij decreto dubitauerit, nec ideo fecerit animo, quasi Nicænam Synodum in dubium reuocare cogitaret, id abundè probauit lege, quã cũ Gratiano & Valentiniano initio Imperij tulit: Cunctos populos &c. & ꝙ Baptizari tantũ ab Episcopo Nicenæ fidei voluit, teste historia Tripartita, & quòd Arianos vrbe Cõstantinopoli expulerit, coëgeritq; Ecclesias, quas 40. annis vi tenuerant, relinquere; vt ex ea hist. Tripar. cõuincitur. Quã quidem sententiam etiam D. Ambrosius confirmat, dum Imperatori Valentiniano, qui simul imperabat cum Theodosio, in hæc verba scripsisse legitur: Quando audisti Imperator, in causa fidei laicos de Episcopo iudicasse? Et paulò pòst: Si docendus est Episcopus à laico, quid sequatur? Laicus ergo disputet & Episcopus audiat? Episcopus discat à laico. Et certè, si vel Scripturarum seriem diuinarum, vel cætera tẽpora retractem, quis est, qui abnuat in causa fidei Episcopos solere

Socrat. li. 5. ca. 10.

Theodosius non Iudex, sed executor decretorum.

Matth. 6.

Plato.

Sozom. li. 7 ca. 4. Cod. Tit de sum. Trinitat. & fide Catholica.

Li. 9 cap. 6. ex Socrate lib. 5. cap. 6. Lib. 9 cap. 10. ex Socrat lib. 5. ca. 7.

Ambr ad Valentinianum iuniorem Imperatorem. lib. 5. epist. 32.

Germanus Theodosij sensus probatur.

de Impp. Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare? Quæ ꝑfectò verba non potuisset Ambrosius Valētiniano scribere, si factū id priùs à Theodosio fuisset. Nā potuisset Valentinianus Ambrosio Theodosij factum istud non immeritò obiicere, si quippiā eiusmodi temerè patrâsset. Hinc cùm eius nepos Theodosius iunior ad Synodum Ephesinā ablegâsset Cādidianū, tanq̄ Legatum suum; ad hunc modū Synodi Patribus scripsit: Deputatus est, inquit, Cādidianus Magnificus Comes strenuorum domesticorum, transire vsq; ad sanctiss. Synodum vestram, ac in nullo quidem, quæ facienda sunt de piis dogmatibus, quæstiones cōmunicare. Illicitum est namq; eum, qui nō sit ex ordine sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus. Ad eundem modum idem Theodosius ad Proclum Asiæ Proconsulem scripsit. Atque vt de pluribus aliis eiusdem Imperatoris testimoniis, consultò taceam, nónne hæc manifestissima quoque sunt ipsius Theodosij verba, ad Cyrillum Episcopum scripta? Nos sanè non patiemur, vt simul & vrbes & Ecclesiæ turbentur, neque vt inexcussa vobis sit ea doctrina, cui diiudicandæ præfici oportet eos, qui circumquaque Sacerdotio præsident, & per quos in sententia veritatis firmiores & sumus, & posthac erimus. Ecce quàm luculenter Theodosius testatur, religionis controuersias cognoscere vel iudicare non ad se, sed ad eos pertinere, qui circumquaque Sacerdotio præsident. Accedit huc insuper, quòd vel aduersarius hoc errore Confessioni Augustanæ manifestè resistit; aut ab ea grauiter confutatur ac redarguitur. Sic enim habet illa: Et præstantissimi Imperatores Constantinus ac Theodosius etiam in rebus non valde obscuris & dogmatibus absurdis, tamen sine Synodo nihil constituere voluerunt, vt Ecclesię libertatem in iudiciis dogmatum conseruarent. Et honestissimum est Cæsari, illorum optimorum Principum exemplum imitari. Videt aduersarius, quantū discrepat ab Augustana cōfessione sua, quę nō affirmat ab Imperatoribus illis grauissimas religionis cōtrouersias cognitas, sed ad Synodū delatas fuisse. Dolosè igitur monet sereniss. Archiducem Carolum, vt illorū exemplo nunc controuersa fidei dogmata cognoscat, quę pridem ꝑ Synodum Tridentinā cognita ac decisa habet & sequitur.

Epist. 4. quæ habetur in Tomo 4. operum Cyrilli.

Artic. 21. Augustana confessio redarguit aduersarium.

Aduersari⁹ dolosè monet Archiducē Carolum.

Verùm

Verùm cùm aduersarius nec Martiano quidem Imperatori pepercerit, sed eandem falsitatis maculam fraudulenter asperserit, & ille mihi, sed breuiter ab hac ignominia, vindicandus est. Vult igitur aduersarius intelligere, quòd Martianus Imperator nunquàm religionis controuersias, tanquàm Iudex cognouerit, aut definiendas susceperit; sed ab Episcopis cognitas, ac definitas duntaxat ratas habuerit, & per imperialem potestatem executioni mãdauerit? Audiat Martianum ipsum, cum esset in Synodo Chalcedonensi, pro se loquentem. Nam vt refert Liberatus, hanc ipse reddit præsentiæ suæ rationem: Ad confirmandam, inquit, fidem, non ad ostendendam virtutem, vt nunc per hanc sanctam Synodum deposita nebula, quæ in his paucis annis, ex prauitate quorundam, & auaritia visa est exoriri, semper seruentur, quæ statuta sunt. Hinc igitur manifestum euadit, Martianum non ad religionis dogmata definienda, vel etiam tractanda interfuisse Synodo, sed vt quæ decreta fuerant à Synodo, ea cõfirmaret, nimirùm rata habendo, & cæteris fidelibus (quod Imperatoris officium ad meram executionem pertinebat) per leges obseruanda præcipiendo. Quô spectat, quòd idem Martianus legem tulerit, ne quis ea, quæ semel per Concilium Generale statuta sunt, rursus in controuersiam vocare præsumat. Adeò noluit ille sibi iudicium Ecclesiasticum arrogare. Adeò cognouit ac testatum reliquit, religionis cõtrouersias ad Ecclesiasticum tribunal pertinere: Adeò noluit priuatis ac laicis hominibus cuiuscunq; dignitatis essent permittere, vt tãquàm Iudices Ecclesiasticis sese tractatibus immiscerent, vt id per legem seriò fieri prohibuerit. Atq; id prohibere, Imperatorum ac Principum esse proprium, declarat Augustinus, dum sic ait: Reges cùm in errore sunt, pro ipso errore, leges cõtra veritatem ferunt; cùm in veritate sunt, similiter contra errorem pro ipsa veritate decernunt. Ita & legibus malis, probantur boni, & legibus bonis, emendãtur mali. Cùm igitur Principes ita solummodò fidem cõfirment, cur secùs de his sensit & scripsit aduersarius? Hanc tam insignem ac pernitiosam temeritatem, ac præsumptuosam cognoscendarum religionis controuersiarum arrogantiam, non solùm

Martianus vindicatur ab aduersarij calumnia.

Liberatus in suo Breuiario cap. 3.

Quid Martianus egerit in Cõcilio.

Habetur Actione 3. Cõcil. Chalced.

August. lib. 3. contra Creſcon. c. 51.

politana quarta, licet prædicto modo post Episcopos subscripserit; quò tamen declararet, quàm nihil ad ipsum iudicium Ecclesiasticum pertineret, sic laicos in Concilio præsentes est allocutus: De vobis autem laicis tàm qui in dignitatibus, quàm qui absolutè conuersamini, quid ampliùs dicam non habeo, quàm quòd nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis caussis sermonem mouere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & vniuersali Synodo aduersari. Hæc enim inuestigare & quærere, Patriarcharum, Pōtificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui soluendi & ligandi potestatem habent, qui Ecclesiasticas & cœlestes adepti sunt claues; non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel ligamento solui egemus. Quantæcunque enim religionis & sapientiæ laicus existat, vel etiamsi vniuersa virtute interiùs polleat, donec laicus est, ouis vocari non desinet: rursusque Episcopus, quantacunque sit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec Anthistes est, & veritatis Verbum rectè prædicauerit, Pastoris vocationis, & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo nobis ratio est in ordine ouium constitutis, Pastores verborum subtilitate discutiendi, & ea, quæ supra nos sunt, quærendi & ambigendi? Oportet ergo nos cum timore & fide syncera hos audire, & facies eorum vereri, (cùm sint ministri DOMINI Omnipotentis, & huius formam possideant:) & nihil ampliùs quàm ea, quæ nostri Ordinis sunt, requirere. Hæc ille. Nónne hæc, licet Aduersario repugnet & displiceat, Imperatore tamen Christiano sententia dignissima est? quam certè didicerat à Gregorio Nazianzeno, qui sic etiam de Laicis ait: Vos oues nolite pascere Pastores; neque super terminos eorum eleuemini, Satis est enim vobis, si rectè pascimini. Nolite iudicare Iudices, nec Legem feratis Legislatoribus. DEVS enim nequaquàm Deus est seditionis & confusionis, sed ordinis & pacis. Istorum Imperatorum exempla saluberrima Carolus V. Imperator pientissimus cum summa laude secutus est, quando in Imperialibus Comitijs Augustæ habitis, Religionis controuersias à Protestantibus sibi propositas nec

[Margin notes:]
nodi 8. Generali in oratione ad ipsam Synodum.

Basilij præclarum testimonium contra aduersarium.

Matth. 18.

Matth. 16.

Notet Aduersari*.

1. Cor. 4.
2. Cor. 3.

Gregorius Nazianzenus oratione 6. qua se excusat, quarè ab Ecclesiastica functione tamdiu abstinuerit.

Carolus V. nō cognouit controuersias Religionis, sed ad summū Pont. remisit.

nec iudicauit, nec quidem cognouit, ſed aliquoties & humiliter eos ad Summum Pont. ſeu Apoſtolicam ſedem retulit, promiſitq; ſe daturum operam apud Pont. Romanum, vt generale Concilium cogeretur, in quo religionis diſsidia componerentur. Quod etiam Auguſtanæ Confeſsionis autores, qui id temporis eô temeritatis, quô nunc Tubingenſis, nondum ſanè proceſſerant, vt quamprimùm fieret, inſtantiſsimè petiuerũt. Idem feciſſe conſtat Sigiſmundum Poloniæ Regem. Nam cùm ab eo quidam peterent, vt in regno ſuo purum Euangelium prædicari permitteret, reſpondit id ſui muneris non eſſe de puritate verbi cognoſcere: ad Epiſcoporum officium id pertinere, quorum iudicio libenter ipſe ſeſe ſubmitteret. Aliter, nec abſq; ſumma temeritate fecit olim Conſtantius hæreticus Imperator iuxta conſilium videlicet aduerſarij, quando res Eccleſiaſticas cognoſcere ac iudicare præſumeret. Vnde S. Athanaſius ad hunc modum de eo ſcripſiſſe legitur: Quis, inquit, videns eum (Conſtantium) in decernendo Principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere iudicijs Eccleſiaſticis, non meritò dicat illum, eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt: Hæc ille. Verùm neq; quenquam mouere debet, quòd Ambroſius videatur populo de fide ac religione iudicium permiſiſſe, cùm ille de priuato liberoque populi iudicio loquatur; quo ſecum quilibet perpendit, diſcernit ac ſtatuit, Vtrum Arianus eſſe vel Catholicus, & num potiùs Catholicum an Arianum Epiſcopum, audire ac ſequi velit: Idque dixit Ambroſius eo tẽpore, quo tàm Imperatoribus, quàm alijs plurimis ad Arianiſmum ſeductis, magna credendi docendiq; libertas erat; & ad populum ſuum dixit, quem eſſe Catholicum, & in obedientia Catholicæ Fidei perſeueraturum nouerat. Nullo modo voluit Ambroſius, vt populus de cauſſa fidei publicum ſuſciperet iudicium aut controuerſas religionis cauſas cognoſceret, ac dijudicaret, quod tamen Aduerſarius ſed malè, faciendum omnibus indiſcriminatim ſuadet, & nos illicitum & periculoſum ſupradictis exemplis comprobauimus, cùm præſertim illud publicum religionis iudicium ad Epiſcopos propriè ſpectet. Quod nec improbat imò confirmat

SIGISMVNDVS Rex Poloniæ noluit de puritate Euangelij iudicare.

Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, circa finẽ.

Epiſtola 32.

firmat his verbis Augustana Confessio. Secundùm Euangelium, seu, vt loquuntur, de iure diuino, nulla iurisdictio competit Episcopis, vt Episcopis, nisi remittere peccata, item cognoscere doctrinam, & Doctrinam ab Euangelio dissentientem reijcere, & impios quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesiæ, sine vi humana sed verbo. Hîc necessariò & de iure diuino debent eis Ecclesię pręstare obedientiam, iuxta illud: Qui vos audit, me audit. Hęc Augustana Confessio. Quæ si ita habent. Quid aliud facit aduersarius, quàm quòd contra ius diuinum & ipsum Euangelium, contra Confessionem Augustanam, contraque rationem ipsam, hortetur Serenniss. Archiducem Carolum, vt temerè (quod absit) alienam iurisdictionem inuadat? Articulo vltimo.

TVBINGENSIS

Hæc exempla magnates si imitarentur, meliùs proculdubiò Religio & res Christianorum habituræ essent, quàm cùm sacra lectio ab ijs negligitur, & in alios, quasi ea nihil ad ipsos, reijcitur: alienis oculis videntes, & interdum duces cæcos sequentes. Quarè in foueam eos cadere, mirùm non est. Deum æternum, Patrem liberatoris nostri IESV Christi, qui Regum & Principum, adeoq; omnium hominum corda, in sua manu habet, & quocunque voluerit inclinat: ex animo precor, vt salutarem & synceram Verbi sui lucem accensam in Ecclesia, hîc & isthic, atque omnibus in locis, depulsis tenebris, conseruet; vires, robur, & constantiam in agnita veritate suppeditet, & qui cœpit opus bonum in vobis, & nobis, perficiat vsque in diem aduentus ipsius, vt perpetua cum ipso consuetudine fruamur. Cui sit honor, laus & gloria in æternum Amen. Datæ Tubingæ April. 20. Anno Domini 1575. Iacobus Herbrandus Doctor & Professor Theologiæ, in Academia Tubingensi.

CATHOLICVS

Aduersarius suo gladio iugulatur.

Profectò sic res habet (sed contrario sensu) quemadmodùm Tubingensis ait: Nam si moderni Principes exempla maiorum suorum, quos supra commemoraui, nimirùm Cõstantini, Theodosij, Martiani, Valentiniani, & aliorum circa fidei controuersias imitarentur, esset & melior Ecclesiæ status, nec tot sectis proscinderetur vnitas Fidei, nec cuilibet ad libitum quidlibet credendi, docendi, audiendique libertas permitteretur; sed pulsis & exterminatis hæresibus, tanquam fratres

 habita-

Psal. 132. Roman. 15. Philip. 2. Ephes. 4.

habitaremus in vnum, & vnanimes, vnoque corde & ore glorificaremus Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi, vnanimes idipsum sentiremus: esset vnus Spiritus, vna Fides, vnum Baptisma: Non apparerent tot hæresium monstra, nec hi Lutherani, siue molles siue rigidi, nec alij Caluinistæ vel Pickhardi, vel Anabaptistæ, vel Trinitarij, nec tot monstrosa hæresium portēta passim existerent; sed omnes Catholici, omnes vnius moris in domo Dei ambularemus, cum consensu, præstantibus id nimirùm Christianis Principibus, & strenuè maiores suos imitantibus. Nam quid studiosiùs maiorique zelo laborārūt suprà memorati Principes ac Imperatores, quàm vt profligatis suorum temporum hæresibus, in Ecclesia Dei pacem & concordiam conseruarent? atque ea, quæ in sanctiss. Concilijs à Patribus sancita fuerant, sarta tectaque retinerent? Nónne Cōstantinus Imperator, Arium cum asseclis suis in exilium relegauit, quòd Concilio Nicæno nollet acquiescere? Nónne Constantinus idem, lege prohibuit, ne conuentus, à Nouatianis, Valentinianis, Marcionistis, Paulianis, Cataphrygis, & alijs hæreticis fierent? Nónne quoque Domos, in quibus illi conueniebant, è medio tolli iussit? Nónne Theodosius senior lege saluberrima sanciuit, vt hæretici nec Ecclesias haberent, neq; de Fide docerent, neque Episcopos ordinarent, sed è ciuitatibus eijcerentur, & sine honore tanquàm infames essent? Nónne Theodosius idem, Amphilochij consilio & rogatu legem protulit, qua hæreticorum conuenticula prohiberentur? Hæreticorum autem vocabulo continentur, inquit, & latis aduersùs eos sanctionibus succumbere debent, qui vel pro leui argumento à iudicio Catholicæ religionis vel tramite, detecti fuerint deuiare. Nónne Arcadius, Honorius & Theodosius iunior Manichæos, quòd Ecclesiæ Catholicæ, circa fidei controuersias non obedirent, omnium bonorum possessione, omnique successione priuauit? Nónne idem Theodosius Augustus, & Valentinianus decreuerunt, ne Manichæi in solo Romano, conueniendi commorandique facultatem haberent, sed vt vltimo supplicio traderentur? Nónne præcepit idem Theodosius, vt Nestorianorum libri diligenter vndique conquisiti publicè

Psalm. 67. Psalm. 54.

Imperatores pij profligatis hæreticis pacem Ecclesiæ conseruārunt.

Ruffin. lib. 1. Ecclesiast. cap. 5. Socrates li. 1. hist. Eccles. ca. 5. alij 8. & hist. tripar. li. 2. cap. 9.

Eusebius lib. 3. de vita ipsius ca. 65. & 66.

Hist. tripart. lib. 9. cap. 19 ex Sozom. lib. 7. cap. 12.

Hist tripart. lib. 9. cap. 25. ex Theodoreto li. 5. ca. 16.

Theodos. Valētinia. & Grat. AA l. omnes. tit. de hæret. & Manich. in Cod.

L. Manich. ibid.

ibidem l. Ariani.

L. Damnato. ibid.

publicè comburentur? Nónne Valentinianus & Martianus Impp. diuersi nominis hæreticos damnârunt, atque perpetua deportatione dignos pronunciârunt, qui libros contra Chalcedonense Concilium Scriptos tenerent, & alios, qui docerent illicita, coërcendos vltimo supplicio iusserunt?

Valentinianus & Martianus tit. eodem l. quicunq.

Videt Aduersarius, quis rerum euentus esset futurus, si moderni Principes, exempla maiorum suorum, vt monet, imitarentur. Profectò nec ipse quidem sic atrociter insultaret Romanæ Ecclesiæ, quam Impp. prædicti tanquàm matrem semper amârunt, audierunt, coluerunt, ac modis omnibus propugnârunt, nec tam impijs calumnijs proscinderet Romanum Pontificem, cuius illi sese tanquàm Christi in terris Vicarij ac legitimi sui Pastoris oues, ingenuè professi ac protestati sunt; adeoque subditos suos eidem Pastori subesse atque adhærere voluerunt. Hinc saluberrimum illud Gratiani, Valentiniani, & Theodosij Imperatorum extat Decretum: Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus Religione versari, quam D. Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, &c. Hinc Iustinianus Epistola quadam ad Ioannem Pontificem Romanum data, sic eum alloquitur: Reddentes honorem Apostolicæ Sedi & vestræ Sanctitati (quod semper nobis in voto & fuit & est) & vt decet, Patrem honorantes Vestram beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre Vestræ Sanctitatis, &c. Et paulò pòst: Nec enim patimur quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum & indubitatum sit, quod monetur, vt non etiam vestræ innotescat Sanctitati, QVÆ CAPVT EST OMNIVM SANCTARVM ECCLESIARVM. Hinc idem Iustinianus sic ait: Vt legum originem anterior Roma sortita est; ita & summi Pontificatus apicem apud eam esse, nemo est qui dubitet. Et alibi: Sancimus vt secundùm quatuor Synodorum definitiones, sanctiss. veteris Romæ Papa primus omnium Sacerdotum sit.

Imperatores prædicti defenderunt Rom. Ecclesiam.

Defenderũt quoque Rom. Pontificem.

Lib. 1. C. De Sum. Trini. & Fide Catholica.

Saluberrimũ Imp. decretum.

Sozom. lib. 7. hist. Ecclesca. 5.

Habetur inter leges Codicis, tit. de sum. Trinit. l. vlt.

Iustinianus Imperator agnoscit Rom. Pont.

Omnia refert ad Rom. Pont.

Roman. Pont. Caput omnium Ecclesiarum.

Iustin. in Authen. vt Ecclesia Rom. cent. an. gaud: prescript. fine nouella constit. 1 0.

Constitut. 1 3 1. ex nouellis, siue in Autheut. de Ecclesiasticis Canon.

Verùm ne ſim longior referendis pluribus Imperatorum veterum encomijs, quibus illi, nec immeritò, tàm Rom. Pontificem, quàm Eccleſiam Romanam prædicant & extollunt: hîc Tubingenſis oculos aperi & conſidera diligenter, quàm tu non ſolùm illis, ſed etiam tibimetipſi diſsimilis ac planè contrarius videaris. Illi Pontificem Romanum, vt venerabilem Patrem agnoſcunt, & venerantur; tu illum Antichriſtum nuncupas, traducis & deteſtaris. Illi ſeſe Pontifici Romano tanquàm oues Paſtori ſuo legitimo humiliter ſubijciunt, vocem eius audientes: Tu illum quaſi lupum, aut Babylonicam beſtiam fugis ac alijs fugiendum ſuades. Illi denique Romanum Pontificem, Caput omnium ſanctarum Eccleſiarum, & Eccleſiam Romanam, ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Chriſti Eccleſiam prædicant: Tu illam Pontificiam, Satanicam & Antichriſtianam impudenter vocare non erubeſcis. Quomodò mones igitur Magnates horum temporum, vt imitentur vetuſtos & Chriſtianos Imperatores, quos ipſe tu non imitaris, imò nec imitandos plenis buccis concrepas, re ipſa manifeſtè declaras? Dum alios doces, quomodò teipſum non doces? Sed ais fortè:

Aduerſarius Impijs & ſibiipſi cõtrarius.

Roman. 2.

Video meliora, proboq́;
Deteriora ſequor:

Profectò deteriora ſequeris. Sed nec probas meliora, quando Verbis & Scriptis petulanter inueheris in Eccleſiam Romanam, quam cum antiquis & Orthodoxis Imperatoribus ac Patribus vt Matrem amare, reuereri & audire deberes. Inſuper immeritò reprehendis modernos Chriſtianorum Magnates, quod in religionis ac Fidei cauſsis ipſi non proprijs, ſed alienis nimirùm Epiſcoporum oculis videant. In quo Magnates illi, qui ſic faciunt, cùm rectiſsimè faciant, profectò nullo vituperio, ſed immortali potiùs laude digni ſunt. Cur igitur rectè facta coarguis, Propheticæ comminationis immemor: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, Ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Verùm ne mihi quæſo, ſuccenſeas: Non ego hoc tibi denuncio, ſed ipſe Deus per Verbum ſuum

Quod non proprijs ſed alienis oculis videndum.

Eſaiæ 5.

Aduerſarius dicit malum bonum, et bonum malum.

ſuum (cui reſiſtere non poteris) & per ſtupenda miracula, perque grauiſsimas punitiones tibi, aliiſque ſectariis plùs ſatis inculcatum voluit, quàm grauiter peccent Magnates, cùm in religionis, aut fidei vel ſacris Dei negotiis, non alienis, ſed propriis oculis vident, ac ſeſe miniſteriis & myſteriis ſacris arroganter immiſcent & ingerunt. Quod cùm tu faciendum ſuadeas, nónne reus eiuſdem pœnæ, qua illi, cenſeberis? quandoquidem non ſolùm facientes, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus (multò magis qui ſuadent & vrgent, vt faciant) morte digni iudicantur. Sed audi & diligenter perpende miraculoſa Dei facta, quibus propterea Magnates aliquot, grauiſsimè puniti ſunt, quòd ea temeritate, quam tu ſuades, in ſacris tractandis oculos non alienos, ſed proprios adhibuerunt. Profectò Chore, Dathã, & Abiron, eò quòd nollent alienis (Moyſi & Aaron Sacerdotum) oculis videre, ſed ſpretis illis, oculos proprios ſequerentur, immiſcentes ſeſe rebus ſacris, viui in infernum diuina punitione deſcenderunt. Saul quoque cùm paruulus eſſet in oculis ſuis, caput in Tribubus Iſraël factus & vnctus à Domino fuit in Regem ſuper Iſraël, & quamdiu regni ac officij ſui limites non eſt transgreſſus, fœlices ſanè habuit rerum omnium ſucceſſus: Verùm quamprimùm oculis ſuis nimiùm videre cepit, & propriæ innixus prudentiæ, relicto Samuelis (qui videns, dicebatur & erat) conſilio, ſeſe temerè Sacerdotum officiis ingeſsit, audiuit ab eodem Samuele: Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod ſi non feciſſes, iam nunc præparâſſet Dominus regnũ tuum ſuper Iſraël in ſempiternum. Sed nequaquam regnum tuum vltrà conſurget. Poſt quem ſermonem, indies in deteriora prolapſus eſt.

Rom. 1.

Magnates multi ob præſumptionẽ quam ſuadet aduerſarius, grauiter puniti ſunt.

Num. 16.

1. Reg. 15. Saul punit⁹ quòd viderit oculis ſuis.

1. Reg. 13.

Sic Rex Ioas non abſque manifeſta ſingularis myſterij ſignificatione commemoratur, feciſſe, quòd bonum erat coràm Domino, cunctis diebus Ioiadæ Sacerdotis. Nam dum Sacerdos Ioiada viueret, Rex Ioas in rebus omnibus, præſertim verò ſacris, quæ ad cultum Dei, populique ſalutem, pertinebant, non propriis, ſed alienis, videlicet Ioiadæ Sacerdotis, videbat oculis, & idcircò peculiari Dei gratia, fuit illuſtratus,

2. Paral. ca. 24. Rex Ioas punitus quòd viderit oculis ſuis.

directus, conseruatus ac munitus, vt faceret semper, quod corãm Deo bonum erat. Verùm postquàm mortuo Ioiada, Rex iam non ampliùs Sacerdotis videret oculis; sed quorundam Principum Iuda obsequiis delinitus, & suæ & illorum inniteretur prudentiæ, cepit adeò circa religionis causam cæcutire, vt derelicto templo, veroque Dei cultu posthabito, lucis ac sculptilibus seruiret, ex fideli pioque Rege idololatra factus. Quocircà Dominus tàm illum, quàm eius Consiliarios

2. Paral. 26.

Principes Iuda, & ingentẽ populi multitudinem, vt miserrimè perirent, in manus hostium Syrorum tradidit. Sic grauissima

Rex Ozias est punitus, quòd oculis propriis vteretur in sacris.

lepra punitus est Rex Ozias, quòd in iis, quæ ad Deum pertinebant, non alienis, Azariæ Pontificis & aliorum Sacerdotum, sed propriis oculis fuisset vsus, cùm nimirùm non acquiesceret consiliis Sacerdotis, sed propria confisus prudentia, sacris ministeriis sese petulanter ingessit. Quod porrò mysterium, cùm ad salutem omnibus cognitu & obseruatu sit planè necessariũ, vtpote in quo, adeò tota Christianæ fidei ratio totaq; salutis humanæ summa certißimè consistat, vt nemo regno

In rebus fidei non propriis sed alienis vtendũ oculis.

Esa. 6.

Ioannis. 9.

Dei dignus haberi queat, qui veneranda fidei mysteria non alienis, sed propriis oculis considerare voluerit; cùm hominibus curiosis non frustrà sit dictum: Nisi credideritis, non intelligetis; Idcircò Seruator noster disertis verbis, hanc ipsam aduentus sui causam declarauit, & Pharisæos propterea, quòd oculis propriis innixi se videre putarent, cæcos pronunciauit, dum ait: In iudicium, ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant. Pharisæis verò hæc audientibus, & ab eo petentibus: Nunquid & nos cæci sumus? Si cæci essetis, (respondit Dominus) non haberetis peccatum: Nunc verò dicitis; Quia videmus, peccatum vestrum manet. Quô spectat etiam alia quædam Prophetæ comminatio: Væ, qui sapientes estis in oculis vestris, & apud vosmetipsos prudentes. In quæ verba diuus Cyrillus, postquàm enumerâsset incommoda varia, quibus affliguntur eiusmodi homines arrogantes & curiosi, sic commentatur. Idque propterea illis accidisse, ait: quòd apud seipsos sapientes, & in oculis suis prudentes viderentur. Quod quidem verum est.

Esa. 5.

Cyril. lib. 1. ca. 5. In Esa. orat. 4.

Quia

Quia iuxta Parœmiastæ vocem: Sapientia reprehensionis impatiens errat: & sibi præsidere solere, & ex suo arbitrio iudicioque solo, quid vtile cognitu sit, explicare, id graue & perniciosum his, qui id facere consueuerunt. Cur ergo Magnatibus nostris, aduersarius tàm pernitiosum consilium sequendum proponit ac suadet? Sed rursum audiat Cyrillum paulò pòst ita loquentem: Cùm hoc animi morbo laborarent Iudæorum Præfecti, consilio Seruatoris non acquieuerunt. Erant enim prudentes non apud Dominum, sed apud se, supercilia tollentes, & altè sapientes propter diuinarum legum sciētiam, cùm omninò nihil sciuerint. Cæci enim erant iuxta Seruatoris vocem, & duces cæcorum &c. Prouerb. 14. Rom. 12. Rom. 1. Luc. 6.

Nónne simile, vel idem Magnatibus nostris iudicium esset metuendum, si iuxta Tubingensis consilium, plus quàm oportet, & non ad sobrietatem saperent? Contra sapientis etiam præscriptum apud semetipsos esse sapientes, nec eos, ex quibus, in Ecclesia Christus quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores posuit, audire atque sequi velint. Verùm quid attinet agere pluribus? Nónne Paulus Apostolus passim summaque tàm diligentia, quàm perspicuitate perniciosissimum hunc Tubingensis errorem confutauit, dum Ecclesiam Dei comparat humano corpori, in quo non vnum, sed multa sunt membra, quæ sanè membra non eundem habent actum? Apostolus, inquam, vult, vt sicut in humano corpore singula membra non vnum actum, sed suum quodlibet membrum actum proprium habet & exercet: Sic in corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, nō idem & vnus singulorum Christi membrorum sit actus, sed vnicuique (sicut Deus diuisit mensuram fidei) sint donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis differentes, vt suprà commemoratum est. At Tubingensis confundit in Ecclesia rerum, personarum & officiorum ordinem, dum Magnatibus ea, quæ sunt Episcoporum & Sacerdotum propria vendicat & ascribit. Apostolus dicit: Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus; vbi odoratus? At Tubingensis dum contendit in Ecclesia Rom. 12. Prouerb. 3. Ephes. 4. Rom. 12. 1. Cor. 12. Ephes. 4. Rom. 12. Aduersarius confundit ordinem Ecclesiæ. 1. Corinth. 12.

non solùm Episcopos & Sacerdotes (quos tamen oculorum titulo vix dignatur) sed etiam Magnates & proculdubio seipsum & omnes fideles, oculi nomine comprehendit, nónne contra Apostolum id agit, vt totum corpus sit oculus, quando facit liberum cuique, vt fidei controuersias cognoscere ac iudicare

1. Cor. 12.

posſit? Apostolus id fieri non posse conuincit & proclamat, dum ait: Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Pastores? Nunquid omnes Virtutes? Nũquid omnes gratiam habent curationum? Nũquid omnes linguis loquuntur? Nunquid omnes interpretantur? Quasi diceceret: Minimè gentium. At Tubingensis, quicquid Apostolus dicat, omnes in Ecclesia, tàm artifices, quàm Magnates, tàm ineptas mulierculas, quàm apostatas, imò etiam lictores cum Luthero suo, Apostolos, Euangelistas, Pastores, Doctores, & Interpretes agnoscit & prædicat. Tubingensi, fideles om-

1. Corinth. 12.
Hebr. 5.

nes sunt oculus. Sed quid Apostolus? Si totum corpus oculus, vbi auditus? Non igitur omnibus oculorum officium, sed illis tantùm conuenit, quos ad illud Deus, sicut Aaron, legitimè vocauit. Quod eleganter declarat Gregorius Nyssenus.

Gregor. Nyssenus in Cantic. cantic. homilia 7.
Oculi qui sunt in Ecclesia.

Dum enim oculorum encomia recensuisset: Atque hæc, inquit, qui audiunt, animo perspicere nullo negotio possunt, ad quæ Ecclesiæ membra, hæc oculorum laus pertineat. Erat Samuel ille videns (sic enim appellabatur) re vera oculus. Erat oculus Ezechiel, qui à Deo in specula collocatus erat, ob salutem illorum, qui ab ipso custodiebantur. Erat oculus Michæas ille videns, & Moyses ille spectans. Qui quidem eandem ob causam etiam Deus appellatus fuit. Sunt denique oculi (notet aduersarius) omnes illi, qui ad populum ducendum (intellige per viam salutis) quos homines illi prisci, videntes nominabant. Itidem hoc tempore, quotquot

Theologus ad Cæsar. quæ est episto. 30. in volu. Basilij Magni.

in Ecclesiæ corpore, locum illorum explent, & ad inspectionem constituti sunt, propriè oculorum nomine censentur. Hinc Theologus ad Cæsarienses, vt lychnum corporis, oculum, sic Ecclesiæ lychnum ait Episcopum esse. Hinc D. Ambrosius Episcopos in Ecclesia scribit oculorum officio fungi. Hinc diuus Augustinus, sanctos Apostolos vocat oculos.

Ambr. de dignita. Sacerd. cap. 6.
Augu. in Psal. 87.

Hinc

Hinc D.Hilarius,dum explicaret Psalmographi verba:Imperfectum meum viderunt oculi tui, manifestè dixit oculos Ecclesiæ Apostolos esse. Hinc Basilius Imperator, deplorat eos, qui cum pedes censerentur in corpore, præsumerent tamen oculorum nomine gloriari. Sic enim ait: Nunc autem, vt videmus; adeò multos malitia & insania accendit, vt obliuiscentes proprij ordinis, & quòd pedes sint, minimè cogitantes, legem ponere, velint oculis &c. Quæ sanè Imperatoris reprehensio, quemadmodùm in aduersariū suiq; similes quàm optimè quadret, satis apparet. Huc insuper accedit sententia D.Gregorij, qui dum exponeret hæc Scripturæ verba: Omne, quod videtur bonum in oculis tuis, fac: quasi diceret, inquit, quoniam nos de rationis nostræ illuminatione diffidimus, rationis tuæ luci committimus, quod nobis deesse iudicamus. Huc denique D. Hieronymus respexit, quando S.Ecclesiæ concionatores pronunciauit oculos & dentes esse, qui nimirùm Ecclesię & itinera recta præuideant, & suggerant alimenta spiritualia. Itaq; ne Christiani Magnates & Principes, circa religionis ac fidei cōtrouersias errent, nec suos quoque subditos in errores coniiciant, necessum est, vt alienis, id est, Pastorum suorum, non autem propriis oculis videant; necessum est, vt legitimos Episcopos & Præpositos audiant; qui cum successione Episcopatus, (vt Irenæus ait) charisma veritatis certum acceperunt: necessum est, vt cum iisdem Episcopis ac Pastoribus suis, Diuinarum scripturarum, Apostolicarum traditionum, sacrorum Conciliorum, Sanctorum quoque Patrum, & Catholicorum Doctorū, sacris inhæreant sensibus. Sic enim non cæci & duces erunt cæcorum, quandoquidem sequuntur videntes, & cum iis confidenter ac securè viam pacis ac salutis, illustrati lumine fidei, perambulant. Quod intelligens pientissimus Imper. Carolus Magnus in fidei suæ, quam edidit, confessione, saluberrimum hoc consilium & exemplum secutus, ita scripsit: Post hęc tenet & tertius libellus Orthodoxam Sāctorum Patrum Episcoporum & virorum venerabilium fidem, qui in Germaniæ, Gallię, Aquitanię & Britannię partibus, dignis Deo deseruiūt officiis, vestris obiectionibus, Sanctarum scripturarum testimoniis, roboratas

Hilar. in Psal. 138.

Basilius Imp. act. 10. in fine Synod. 8. generalis in ora. ad ipsam Synodū.

Gregorius in 1. Regum ca. 15.

Hieronymus.

Irenæus li. 4 c. 43.

Carolus Magnus Epistola ad Elipādum Toletanę Ecclesiæ Metropolitanum, & cæteros consacerdotes Orthodoxos.

Autoritas Patrum.

roboratas obtinet respõsiones. Deinde quarto loco, meę propriæ vnanimitatis, cum his sanctissimis prædictorum Patrum decretis, & Catholicis statutis consensum subnexui, sicut vosmetipsi in vestra Epistola, quam meo specialiter assignâstis nomini, rogare curâstis, id est, ne paucorum subdolis assertionibus consentirem, sed plurimorum testimoniis roboratam fidem firmiter tenerē. Facio certissimè, Deo Domino meo Iesu Christo donante, horum me sanctissimæ multitudini, & probatissimæ autoritati, in veræ fidei professione firmiter associans, nec vestrę me paucitati in confessione huius nouę assertionis socium admitto; sed Apostolicæ sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesię, & Catholicis traditionibus, tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungo: Quicquid in illorũ legitur libris, qui diuino spiritu afflati toti orbi à Deo Christo, dati sunt Doctores, indubitâter teneo, hoc ad salutem animæ meæ sufficere credens, quod sacratissimę Euangelicę veritatis pandit historia; quod Apostolica in suis Epistolis confirmat autoritas, quod eximij sacræ Scripturæ tractatores, & pręcipui Christianæ fidei Doctores, ad perpetuam posteris scriptis reliquerunt memoriam. Cum his quoque Doctoribus & Sanctę Ecclesię Pastoribus, veram prædico fidem, quos in pręsenti tempore, ille dedit luminaria, qui dixit: Ecce ego vobiscũ sum vsq; ad consummationem sæculi. Hi sunt propugnatores fidei nostræ; hi sunt rectores per diuersas sedes ciuitatis Christi, cuius antemurale est Fides Catholica, & Charitas firmissimus murus & propugnacula diuinarum testimonia scripturarum. Qui verò secùs faciunt, cæci sunt, & duces cæcorum, qui grauissimam Dei comminationem, cum manifesto periculo salutis, incurrunt. Væ ait Dominus, Prophetis insipientibus, qui sequuntur Spiritum suum, & nihil vident. Verùm vt præfandi sit modus & finis, illud vehementer abs te, ô Tubingensis, peto, vt deinceps Sanctæ Ecclesiæ Patres ac maiores tuos interroges, obserues, atq; tanquam optimos Magistros audias & sequaris, sed inprimis Matrem Ecclesiam non solùm geminata, sed triplicata, vel potiùs multiplicata voce cites & venereris: Sanctorum item Patrum bona fidè sententias alleges: de

Doctorum laus & commendatio.

Matth. 28.

Matth. 15.
Ezech. 13.

Serenissimo

Serenissimo Archiduce Carolo, deque generosis Stiriæ Baronibus, circumspectiùs loquaris & scribas. Porrò Magnates nostri temporis, ac cæteros quoq; cuiuscunq; status laicos, quos (vt Augustinus scribit) non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimos facit, non ad curiosa, nec ad ea, quę sunt alieni fori vel officij, nec ad arrogantem præsumptionem, sed ad obediendum fidei, sed ad credēdum auditui pastorum, sed ad tuendam Ecclesiæ pacem & vnitatem exhorteris. Denique tam alienæ, quàm propriæ salutis memor, intimo cordis affectu consideres, vnde excideris, agas pœnitentiā, vt facias opera prima, ne veniat tibi citò Dominus, moueatque candelabrum tuum de loco suo. Redeuntem filium, vt nosti, pius & benignus paterfamilias paternè complexus, osculatus, magnoque Spiritus gaudio recipit in gratiam: Sancta quoq; Mater Ecclesia, gremium suum redeunti filio non claudit, quæ cum vicinis gaudere solet (tanquàm pia mulier) quoties drachmam aliquam perditam inuenerit. Te quoque nihil dubites, si relictis porcorum siliquis, ad veros Catholicæ veritatis panes redire voles, obuiis vlnis cœlestis ille paterfamilias amplectetur, & exosculabitur, & Sancta Mater Ecclesia filium licet hactenus rebellem & contumacē, si tamen resipiscat, benignè suscipiet, & complectetur. Quòd si nihilominùs obstinatus esse perges, (quod auertat Christus) iam vides, quàm optimè quadrent in te S. Hilarij verba: Audi (inquit ille) verborum sanctam intelligentiam: Audi Ecclesiæ imperturbatam constitutionem: Audi patris tui professam fidem: Audi humanæ spei confidentem securitatem: Audi hæreticæ damnationis publicum sensum; & intellige te diuinæ religionis hostem, & inimicum memoriis Sanctorum, & paternæ pietatis hæredem rebellem.

August. Tomo 6. contra Epistolam Manichæi ca. 4.
Rom. 1.
Rom. 10.
Ephes. 4.
Apocal. 2.
Lucæ 15.
Ioannes Pontifex 2. Epist. ad Iustinianum Imperatorem in cod. tit. de summa Trin. in fine.
Hilarius ad Constantium Augustum.

DISPV-

TVBINGENSIS

DE VERA, ET SACROSANCTA CHRISTI, QVAM HABET IN TERRIS, Ecclesia militante, eiusq; notis.

Contra assertionum primam

Actor. 10. Psal. 40. Ioan. 5. Rom. 4.

1. *Scopus totius sacræ Scripturæ est Iesus Christus. Quòd filius Dei Patris æternus ex Mariæ virgine natus, propter peccata nostra traditus, propter nostram iustificationem resurrexit.*

APOLOGIA

CATHOLICVS

THEOLOGICARVM ASSERTIONVM, DE VERA ET SACROSANCTA Christi, quàm habet in terris Ecclesia militante, contra cuiusdam Tubingensis Disputationem oppositam &c.



Assert. 1. vitia quæ sunt.

NON quidem hæc est falsa propositio, veruntamen nonnullis apparet obnoxia vitiis, cùm nihil ad præsens institutum faciat, nec quicquam assertioni nostræ repugnet; & Scripturæ sacræ scopum infœliciter, semiplenè, nec absq; graui, tā ipsius Christi, quàm corporis eius, hoc est, Ecclesiæ præiudicio declaret. Etenim de scripturæ Sacræ scopo in assertione nostra nihil agitur, sicut nec vt agatur, materia postulat; sed insinuatur duntaxat, præter alia, quibus homo cœlestem æternæ salutis finem consequitur, Ecclesiæ cognitionem apprimè necessariam esse. Verùm, esto, quòd Tubingensi (licet extra suum ac nostrum institutum) sic visum fuerit, & hoc loco voluerit affirmare Iesum Christum scripturæ Sacræ scopum esse (in qua re nobiscum, & rectè quidem sentit) sed cur sequenti mox assertione separat à Dei Patris & filij cognitione, cognitionem Ecclesiæ, quasi sine hac possit illa subsistere? Cur inter Christum & Ecclesiam eius, sacrilegum & impium facit diuortium? Cur sponsam citra culpam suam à sponso diuellit? Cur à capite suo corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, temerè separat? Cùm enim Ecclesia (teste Apostolo) sit corpus Christi, nec Christus, nisi per Ecclesiam

In quo rectè sentiat aduersarius.

Aduersarius molitur inter Christū & Ecclesiam diuortium.

Christus non cognoscitur nisi cognita priùs Ecclesia.

Ecclesiam, posſit à nobis facilè cognoſci, profectò non parùm ad principalem ſcripturæ Sacræ ſcopum, hoc eſt, ad Ieſu Chriſti agnitionē, facit Eccleſiæ cognitio, quam ab ea tamen non deſinit ille remouere. Nam, quemadmodùm extra Eccleſiam non eſt ſalus, & ſcriptura Sacra, & Sacramenta prodeſſe non poſſunt, vt ipſe cum Auguſtino rectè fatetur: Sic extra Eccleſiam, nec ipſe quidem Chriſtus quicquam prodeſt, imò nec ſalutaris eius agnitio poteſt haberi. Hinc Eccleſiam & Eccleſiarum Paſtores ſeu Præpoſitos iubemur audire, vt per eos ſcripturam Sacram eiuſq; ſcopum, nempe Ieſum Chriſtum, agnoſcamus. Hinc primarius poſt Chriſtum Eccleſię Paſtor ait, Prophetas (qui fuerunt Eccleſiæ membra) teſtimonium perhibuiſſe de Chriſto. Hinc optimè dixit Auguſtinus: In ſcripturis diſcimus Chriſtum: In ſcripturis diſcimus & Eccleſiam: Has Scripturas cōmuniter habemus, quarè non in eis & Chriſtum & Eccleſiā communiter retinemus? Et alibi: Obſcuriùs dixerunt Prophetæ de Chriſto, quàm de Eccleſia; puto propterea, quia videbant in ſpiritu contra Eccleſiam, homines facturos eſſe particulas, & de Chriſto non tantam litem habituros, de Eccleſia magnas contentiones excitaturos. Ideò illud, vnde maiores lites futurę erant, planiùs prædictum, & apertiùs prophetatum eſt, vt ad iudicium illis valeat, qui viderunt & foràs fugerunt. Ergo non ſolus aut nudus Chriſtus, ſed & corpori ſuo, quod eſt Eccleſia, coniunctus, eſt principalis ſcripturæ Sacræ ſcopus, in quo etiam comprehenditur Eccleſiæ cognitio.

Auguſt. Epiſtola 152. contra Donatiſtas.
Matth. 8.
Lucæ 10.
Actor. 10.
Auguſt. Epiſtola 166. ad Donatiſtas Tom. 2.
Auguſtin. in Pſal. 30. concione. 2.

TVBINGENSIS

2. *Sic finis hominis, ad quem eſt conditus, principalis, vera eſt Dei Patris agnitio, cum filio, quo perpetua cum ipſo fruatur beatitudine, in qua eum celebret, & non, vt aſertio habet, Eccleſiæ cognitio.*

Ioan. 1.
Ioan. 17.

CATHOLICVS

Quis hoc loco, niſi lippientibus omninò ſit oculis, non videat aduerſarij manifeſtam ſiue calumniā, ſiue potiùs ignorantiam quis dicere malit? Aut enim non eſt aſſecutus aſſertionis primæ veram intelligentiam, quæ tamen cuiuis idiotæ ſatis perſpicua videtur; aut certè voluit incautis, (quod fecit) imponere lectoribus, quando veram & luculentam aſſertionem manifeſtè deprauando adulterauit, & idcircò non ſolùm

Aduerſarius commiſit crimen falſi.

falsi crimen incurrit, sed & perfidiæ reus conuincitur. Nam in assertione prima, nihil minùs habetur, quàm quòd hominis finis, ad quem est cõditus, principalis, sit Ecclesiæ cognitio, (id quod assertioni fraudulenter ille affingit) sed aliud asseritur, hoc nimirùm; quòd inter ea, quibus æternus vitæ nostræ finis, in quem à Deo conditi sumus, adeoque cœlestis animarum salus acquiritur, (sic enim assertionis verba sonant) nihil æquè necessarium sit, quàm vt probè, Christi veram ac militantem in terris Ecclesiam cognoscamus &c. Cùm igitur assertio referat, Ecclesiæ cognitionem non esse hunc finem, sed medium quoddam valde necessarium, ad consequendum æternæ salutis finem; cur aduersarius terminos confundit, & pro medio substituit finem? Nescit ille, quanto discrimine media distinguantur à suo fine? Verùm hunc eius siue lapsum, siue dolum, nihil admiror. Nam si nouam ille & Maiores eius, Lutherus, Brentius & Schmidelinus Theologiam, Patribus nostris ignotam, & scripturæ Sacræ contrariam autoritate sua cudere voluerunt; quid mirum, si nouam quoque Philosophiam (qualem non agnouerunt antiqui Philosophi) Theologiæ nouæ persimilem, vt dignum patella sit operculum, finxerint, ac discipulis suis, talibus Magistris dignis, vsque tradant atq; commendent?

Aduersarius finem pro medio posuit.

Aduersarij noua Theologia.

Aduersarij noua Philosophia.

TVBINGENSIS

1. Pet. 1.

Tit. 3.

Rom. 10.

3. *Illum autem vt consequatur, necesse est, vt audiat verbum Dei syncerum, ex quo per Baptismum regeneratur, fidem concipit, quæ vsu cœnæ Dominicæ alitur, & confirmatur.*

CATHOLICVS

Aduersarius asserit contraria.

Hæc propositio non satis consonat præcedenti, qua negatur Ecclesię cognitio ad principalem scripturę Sacrę finem, ac scopum pertinere. Nam si ad consequendum illum finem, necessum est, audire verbum Dei syncerum, (quod profectò, nisi in Ecclesia Christi, syncerum non est, nec salubriter audiri potest) erit quoque necessum, vt qui syncerum Dei verbum audire velit, ille priùs nouerit & adeat Ecclesiam, nouerit etiam veros Ecclesiæ ministros, quorum pedes speciosi sunt ad Euangelizandum bona: Qui quidem ministri non suapte sponte, vel iniussi eant, sed à Christo & Vicariis eius ad prædicandum Euangelium mittantur. Vnde sequitur, vt quicunque

Vbi verbum Dei syncerum audiatur.

cunque ſyncerum Dei verbum audire deſiderat, ille priùs ac neceſſariò nouerit veros ac legitimos ſynceri verbi miniſtros, nedum veram Chriſti Eccleſiam, per quam legitimi miniſtri cognoſcuntur & approbātur. Quod eleganter & egregiè verbis iſtis declarauit Apoſtolus: Omnis, ait enim, quicunque inuocauerit nomen Dei, hic ſaluus erit. Quomodò ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient, ſine prædicante? Quomodò verò prædicabunt, niſi mittantur? Ergo cognitio verbi ſynceri dependet à cognitione Eccleſiæ & legitimorum miniſtrorum, quos Eccleſia miſerit ad prædicandum ſyncerum Dei verbum. Quamobrem aſſertione præcedenti perperàm Tubingenſis iſte, Eccleſiæ cognitionem tanquam ad principalem ſacræ Scripturæ ſcopum non pertinentem, reiicere conatus eſt.

Qui verbum ſyncerum prædicent.

Quomodò veri miniſtri cognoſcendi.

Rom. 10.

In reliqua propoſitionis huius parte, duo ſolùm aduerſarius Sacramenta ponit, nimirùm Baptiſmum, & Cœnam Domini, quorum illo quidem fides ex verbo Dei concipiatur, hoc verò concepta fides alatur & confirmetur. Atque ſic ille concludit, hominem per hæc, tanquam neceſſaria, poſſe conſequi finem principalem, in quem eſt cōditus, æternæ videlicet beatitudinis, qua cum Deo fruatur, & in qua eum celebret, vt habet eius aſſertio. Quàm verò ſit hæc non ſolùm inſulſa, ſed etiā pernitioſa doctrina, facillimum eſt, hinc iudicare, quòd nemini prorſus ad æternę vitæ finem aduerſarius concedat aditum, quem omnibus in vniuerſum Chriſtianis, adultis iuxtà ac paruulis infantibus, licet baptizatis, omninò pręcludit. Nam cùm infantes quantúmuis baptizati, morte decedunt, iuxta doctrinam hanc, finem ſuum non conſequūtur, ſed neceſſariò damnantur; quandoquidem nec verbum Dei ſyncerum audiunt, nec illorum fides vſu cœnæ Dominicæ alitur aut confirmatur. Igitur aut iſthæc Tubingenſis doctrinā nihil prorſus ad infantes pertinet, atque ſic imperfecta & mutila iudicatur: aut eos, ſed immeritò, gehennæ reos facit. Adulti quoque Chriſtiani iuxta prædictam eius doctrinam nullo modo poſſunt æternæ beatitudinis finem aſſequi. Nam præterquam, quod aliquis

Aduerſarius duo ponit Sacramenta.

Aſſert. 2.

Aduerſari9 omnes homines excludit à regno Dei.

Excludit infantes Baptizatos.

Excludit adultos quoque.

verbum Dei syncerum audiat, & ex eo per Baptismum regeneratus fidem concipiat; quæ vsu cœnæ Dominicæ alatur & confirmetur. Insuper alia multa necessariò requiruntur, sine quibus adulti finem æternæ beatitudinis assequi non possunt. Requiruntur namque præter fidem, aliæ quoque Theologicæ ac morales virtutes, requiritur obseruatio mandatorum Dei, (quæ prorsus à fide distinguitur) dicente Christo, si vis ad vitam ingredi serua mandata: Hoc fac & viues. Requiritur etiam in relapsis pœnitentia, qua peccata præterita plangant, & iterum plangenda non committant, vndè tam Christus ipse, quàm eius præcursor & Apostoli cæteri, toties ac tantopere non infideles modò, sed & fideles ad pœnitentiam excitant & cohortantur. Hoc nec ignorauit Lutherus, à quo in hac re videtur Tubingensis defecisse, qui proinde multis in locis & quidem disertis verbis Sacramentum pœnitentiæ, tanquam ad salutem necessarium constituit, atque defendit. Astipulatur Luthero Melanchton. Astipulatur & Apologia Confessionis Augustanæ. Quamobrem Tubingensis in hac doctrina plurimùm à Magistris suis, ac fidei suę fundamento, nedum ab Ecclesia Catholica deflexit, Illyricum, Kemnitium, Caluinum, quasi periuros homines secutus. Porrò quòd inquit aduersarius, fidem ex verbō Dei per Baptismum conceptam, vsu cœnæ Dominicæ ali & confirmari; est quidem id verum, sed instituto præsenti, non facit satis. Rectiùs & pleniùs iuxta veritatem Euangelij rem hanc D. Chrysostomus his verbis explicat: Sicut lampas non ex oleo accenditur, sed ab igne, per oleum tamen nutritur, & nisi oleum ei subministraueris, extinguitur, sic & fides non ex operibus accenditur, sed ex verbo Dei, & tamen per bona opera nutritur, & nisi subministraueris ei bona opera, deficit. Et ibidem: Sicut oleum lumen lampadis fouet, ita opera bona subministrant confidentiam fidei ac vigorem accendunt. Hæc ille:

Ad salutem quæ necessaria requirantur.

1. Cor. 11.
Matth. 19.
Ambrosius dist. 1. ca. pœnitentia.
Matth. 3.
Marci 1.
Lucæ 3.
Lutherus in principio libr. de capt. Babyl.
In libello ad Senatum Prag. libro de Missa priuata seu angulari.
In assertio. ad Louanienses, quæ habetur in fine 2. Tomi. (mo.
In suo Catechis-
In Principio capitis de numero & vsu Sacramentorū circa articulū 13.
Illyricus in Apol. Confess. Antuerpiensis cap. 18. de Absol.
Kēnitius in Principio secundę partis exam.
Caluinus li. 4. instit. cap. 19. sect. 3. & 12.
Chryso. Hom. 52. in 25. Matth.
Fides per opera bona nutritur.

TVBINGENSIS Assert. 2.

4. *Hæc verò in sola Ecclesia vera, ad salutem sunt efficacia. Nam etsi extra veram Ecclesiam hæc sunt: tamē vt cum Diuo Augustino loquamur, non prosunt.*

Hæc

CATHOLICVS

Hæc quidem est longè verissima propositio, quam aduersarius ex assertione nostra Catholica desumptam & Orthodoxæ S. Patrum doctrinę penitus cōsonantem, huc optimè collocauit; veruntamen (quod ipse fortasse non aduertit) pręcedentem eius secundam assertionem penitus eneruat atque demolitur. Nam si verbum Dei syncerum, Baptismus, vsus cœnæ Domini, aliaque similia in sola vera Ecclesia sunt ad salutem efficacia, & extra eam nihil prosunt, euidenter hinc sequitur, ante omnia, cognitionem Ecclesię veræ ad salutem esse necessariam, vt suprà copiosiùs est demonstratum.

Aduersarius contradicit sibi.

TVBINGENSIS

5. *Sicut etiam extra veram Christi Ecclesiam non est salus. Quod commune est vtrique parti, quemadmodùm & illud alterum: Deum Patrem nō habet, qui non vult Ecclesiam habere matrem. Et illud, Ecclesiam esse audiendam, argumentum: Sed hæc omnia de vera Christi Ecclesia sunt accipienda; Verùm quæ Hæc sit, et apud vtram partem inueniatur, hoc κρινόμενον est, de quo in sequentibus.*

CATHOLICVS

Et hæc propositio multa cōtinet vera, quandoquidē sententias aliquot veras à sanctis Ecclesię Doctoribus ac Patribus, Augustino, Cypriano, Hieronymo, atque aliis profectas, recipit & approbat; Verùm istud supra modum admiror, cur dubitet aduersarius, quænam & vbi sit inuenienda vera Christi Ecclesia, cui prædictæ Patrum sententiæ conueniant: Non enim ille nescit Augustinum, Cyprianum, Hieronymum, ac cæteros Patres (quorum istæ sentētiæ sunt) Romanam agnouisse, iudicasse, ac proclamasse veram Christi Ecclesiam, in qua non solùm illi fuerunt baptizati; sed Catholicam quoque fidem aduersùs hæreticos strenuè defenderunt. Quomodò igitur dubitare potuit, quęnam sit Ecclesia vera, de qua Patres isti sic locuti sunt, cùm nihil sit euidentius aut certius, quàm quòd Patres illi soli Ecclesiæ Romanæ, in qua fuerunt, has ipsas sententias conuenire senserint? Et quò certiùs illud cōstet, prodeant ipsimet Patres, atque fidem suam & Ecclesiam Christi veram, manifestè nobis demonstrent. Certè D. Augustinus contra literas Petiliani sic ait: Cathedra quid tibi fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet? Idem contra epistolam Donatistę cuiusdam ita scripsit: Si enim ordo

Aduersarius recipit quasdam veras Patrum sentētias.

Aduersarius malè dubitat, quæ sit Ecclesia Christi.

Romana & Catholica vera Christi Ecclesia probatur.

Augustinus Romanam fatetur veram Christi Ecclesiam.
Tom.7 li. 2. c 51.
Tom.2. epi. 165.

Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certiùs & verè salubriter ab ipso Petro (qui Ecclesiæ Romanæ fuit Episcopus primus, sicut vniuersalis Ecclesiarum omnium Pastor) numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti, Dominus ait: super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meã, & portæ inferorum non vincent eam? Petro enim (in Ecclesia Romana) successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, ac sic deinceps cæteros ordinę recenset vsque ad Anastasium, illius temporis Pontificem Romanum. Quibus absolutis, ait tandem: In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus inuenitur. Cùm hæc igitur à D. Petro inchoata successio sit, fueritque semper in sola Rom. Ecclesia, profectò nullam aliam Augustinus Ecclesiam agnouit. De qua sic etiam alibi loquitur: Multa alia sunt, quæ in eius gremio me iustißimè teneant. Tenet consensio populorum atque Gentium, tenet autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopum successio Sacerdotum. Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quòd non sine causa inter tàm multas hæreseis sic ista Ecclesia sola obtinuit. Quæ quidem omnia de nulla alia, quàm de Romana Ecclesia dicta esse constat. Quid, quòd idem affirmat àd Glorium Eleusium Fœlicem Grammaticum, in Ecclesia Romana semper Apostolicæ cathedræ viguisse principatum? Constat etiam beatum Cyprianum Ecclesiam Romanam paßim commendasse, quando Petri cathedram esse principalem Ecclesiam, vnde vnitas Sacerdotalis exorta sit, & Romanos eos esse, quorum fides Apostolo prædicante laudata sit, ad quos etiam perfidia nunquam potuerit accessum habere. Item cùm dixerit, Ecclesiam Romanam esse radicem & matricem Ecclesiæ Catholicę. Diuus Hieronymus nec aliam, quàm Romanam agnouit Ecclesiam: Facessat, ait, inuidia Romani culminis; recedat ambitio, cum successore Piscatoris loquor: Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior; super illam petram ædificatam Eccle-

Successio Episcoporum in Ecclesia Romana.

Tom.6. cont. epi. Manichæi.cap.4. Signa veræ Ecclesiæ ponit August.

Hæc signa conueniunt soli Ecclesię Romanæ.

Tom. 2. epi. 162. prope initium.

Cyp. lib. 1. epist. 3. ad Cornel. Rom. Episcopum.

Cyp lib.4. epist. 8. ad Cornelium.

Hieronymus fatetur, Romanam esse veram Ecclesiã Christi.

Epist. ad Damasũ.

Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est: Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Et paulò pòst: Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunq; tecũ non colligit, spargit; Qui Christi nõ est, Antichristi est. Sic Ambrosius Ecclesiã Rom. tanquam matrem agnouit & secutus est, dum ait: Non ignoramus, quòd Ecclesia Romana hanc consuetudinem nõ habeat, cuius typum in omnibus sequimur & formam. Et paulò pòst; In omnibus, inquit, cupio sequi Ecclesiam Romanam. Similia testimonia de Romana Ecclesia perhibuerunt Irenæus, Optatus, aliique Patres quorum sententias breuitatis causa, lubens prætermisi. Cùm igitur Tubingensis, illorum Patrum sententias recipiat, quas illi de Romana Ecclesia manifestè protulerunt, sicut iam est probatum; necessum est, vt ille, velit nolit, suo ipsius iudicio conuictus, & gladio iugulatus succumbat, & vel inuitus Romanam & Catholicam tanquam veram Christi Ecclesiam agnoscat & profiteatur.

Ambrosius fatetur, Ecclesiam Romanam esse verã Ecclesiam Christi. lib. 3. de Sacr. c. 5 1.

Iren. lib. 3. cap. 3. Optat. lib. 2. contra Donatistas.

Aduersarius iudicio suo conuictus, cogitur agnoscere Romanam Ecclesiam.

6. Sic quod ad priuilegia attinet, habet vera Christi Ecclesia summa & maxima sibi diuinitus à Deo Patre & Filio sponso concessa. Ornata est donis Spiritus sancti illustribus. Sicut nec illud quoque, quòd sit Mater negamus. sed eam inquirimus, quænam sit, ne Nouercam aut Adulteram, pro vera & iusta Matre amplectamur. Et inuentam tamen non esse præferendam Patri, statuimus.

TVBINGENSIS. Assert. 3.

Mirum illud videtur, quòd aduersarius veram Ecclesiam inquirere velit, quam tamen in monte positam & satis conspicuam nihil attineret quærere, cùm illa non sit obscura nec abscondita, nec in angulo latens, sed manifesta & conspicua cernatur. Neque enim potest, ait Christus, abscondi ciuitas supra montem posita, quam diuus Chrysostomus & alij Patres interpretantur Ecclesiam, sicut & alia verba: In ciuitate sancta similiter requieui. Et illa: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Quòd si iubemur Ecclesiam vnam, sanctam, Catholicam & Apostolicam credere, & ad illam, si res ita postulat, fratrem delinquentem & non resipiscentem deferre: Etsi iubemur, Ecclesiam audire ac sequi, & salutem nostram in ea sola quærere, perinde atque Noë in arca, extra quam seruari non potuit: ne-

CATHOLICVS. Aduersarius nodũ quærit in scirpo.

Matth. 5. Ecclesia Christi est omnibus conspicua. Eccles. 24. Psalm. 45. In Symbolo Apostolorum. Matth. 18. Genes. 7.

necessum est igitur, vt non minùs, quàm arcá Noë sit Ecclesia visibilis, & omnibus conspicua. Quod ipsemet aduersarius inferius his verbis profitetur: *Interim tamen non negamus, eandem Ecclesiam etiam esse visibilem cœtum, ciuitatem supra montem constitutam, quò possit conspici, & exaudiri vox eius, vt homines ad eam se aggregare possint.* Quòd si res ita habet, sicut habet verissimè: quid igitur attinet eam, quasi latentem & ignotam inquirere? Cur etiam metuit aduersarius periculum, ne quis pro matre nouercam vel adulteram amplectatur? Certè de vera Christi Ecclesia, nemo facilè dubitauerit (cùm iuxta Tubingensem omnibus appareat visibilis) nisi fortè sit hæreticus, aut nodũ in scirpo quærere velit. Sed quorsum ille statuit Matrem Patri præferendam non esse? Quis vnquam tàm insulsus extitit, qui Deo Patri filiã aut filio sponso voluerit sponsam præferre? Hæc verba vel omninò sunt otiosa, vel aliquid monstri alunt.

Assert. 25.
Aduersarius fatetur Ecclesiam visibilem, & tamen quasi latentem quærit.
Matth. 5.
Quales sint, qui dubitant de Ecclesia Christi.

TVBINGENSIS.

7. *Ecclesia enim ita nostra est Mater, vt interim ipsa filia quoq; sit Dei, et sponsa Christi. Quæ valde sua natura fuit deformis, sed & turpis, antequã mundata adoptaretur à Deo, sanguine Filij Christi sponsi lota.*

Psalm. 45.
Ephes. 5.
Ezech. 16.
Vide hoc caput ab initio.

CATHOLICVS.

Aduersarius adfert impertinẽtia.

Quòd ait aduersarius, Ecclesiã fuisse deformem ac turpem, antequam mundata adoptaretur à Deo, negãdum id quidem non est: Veruntamen nihil facit ad rem præsentem. Neq; enim hîc agitur, qualis fuerit Ecclesia, priusquàm à Christo mundaretur: sed qualis esse ceperit, postquàm Christi sanguine lota & sanctificata per lauacrũ regenerationis fuit. Quòd si filia Dei & sponsa Christi est, quod nobiscum rectè sentit & fatetur aduersarius; certè nouerca non fiet, nec adultera, nec erronea, præsertim in articulis fidei, cùm eam sibi sponsus in misericordia & miserationibus in sempiternum sponsauerit.

Ecclesia Christi nouerca vel adultera fieri non potest.
Osee. 2.

TVBINGENSIS.

8. *Quare sponsa cùm sit, & quidem ex mera gratia electa, et ipsa sponsum Christum & Deum Patrem audiat.*

9. *Rectiùs ergo Patrem præferimus matri & sponsum Christum: qui cœlitus commendatur Doctor audiendus, sponsæ: clamante Patre: Hunc audite. Et dicimus: Qui Deum non habet Patrem, hunc Mater non saluabit. Et qui sponsum Saluatorem non audit, hunc sponsa non iuuabit, imò ne pro membro quidem vero agnoscet.*

Deut. 18.
Matth. 3. 17.

Quor-

Quorſum dicit aduerſarius:Rectiùs ergo Patrem præfe-rimus Matri?Quis vnquam ſic excors aut inſulſus extitit,vt Patrem Matri eſſe præferendum neſciret? Quis vnquam neglecto Patre à ſola Matre, quæ tamen in hoc caſu nec eſſet Mater, ſalutem quærendam putauit?Quis vnquam credidit,ita ſponſam audiendam aut ſequendam eſſe, vt præ illa (quod abſit) ſponſum aliquando contempſerit? Certè quemadmodùm nemo Deum habebit Patrem,qui nolit Eccleſiam quoque Matrem habere,ſic è diuerſo,minùs quis Eccleſiam poterit habere Matrem, qui Deum Patrem habere nolit. Quòd verò nec Deus cuiquam extra Eccleſiam conſtituto, vnquam fauere, prodeſſe aut patrocinari velit, ſententiis ſuprà memoratis abundè probatur,& diuus Auguſtinus,cùm alibi ſæpiùs,tùm cōtra Donatum diſertis verbis teſtatur, dum ait: Foris autem ab Eccleſia conſtitutus, & ſeparatus à compage vnitatis & vinculo charitatis, æterno ſupplicio punireris, etiamſi pro Chriſti nomine viuus incendereris. Nouimus autem, ſic etiam antiquitùs piis fidelibus fuiſſe præceptum: Audi fili diſciplinam patris tui,& ne dimittas legem matris tuæ. Nouimus vel natura magiſtra,patrem eſſe(cæteris paribus) matri ſemper præferendum. Nouimus ex Apoſtolo, virum eſſe caput mulieris,& quænā ſibi mutuò coniuges debeant,in quibus Apoſtolus magnum Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum latere proclamat. Nouimus Patris eſſe præceptum,vt audiamus filium,& filij præceptum eſſe,vt Eccleſiam audiamus. Sed vt video, latet anguis in herbis. Non abſque dolo, ſic aduerſarius de ſpōſo & ſponſa loquitur. Fœdum enim diuortium inter Spōſum & Sponſam iterum molitur. Indiſſolubile vinculum,quo Chriſtus ſibi deſpōſauit Eccleſiam, diſſoluere quærit. Sed valeant,qui inter Chriſtum & Eccleſiam diſsidia quærunt, & ſtultè cogitant, eos ſeparare, quos Deus ſapienter ac rectè coniunxit. Nec absque grauiſsimo ſacrilegio tantum ſcelus, quis vnquam attentauerit. Neque porrò ſingula ei vacat myſterio, quòd Apoſtolus nō aliter mulieres viris ſuis voluerit eſſe ſubditas, quàm Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, cui ſemper adhærens, omnem obedientiam meritò præſtat. Quod ſi fieret, aut fieri poſſet, vt nimirùm

CATHOLICVS. Inutilis & curioſa Tubingenſis ſolicitudo & admonitio.

Cypr. de ſimpl. prælat. Aug. li. 4. de Symb. ad catechum. cap. 10. & in Pſal. 88.

Aug. epiſt. 204.

Prouerb. 1. & 6.

Quomodò Pater Matri preferēdus. Epheſ. 5.

Matth. 17. Matth. 18. Aduerſarius machinatur diuortium. Eccleſia non poteſt à Chriſto ſeparari.

Epheſ. 5.

à ſponſo Chriſto nonnunquam Eccleſia deficeret, certè ſcandaloſum illa cõiugibus aliis rebellionis exemplum daret, quæ proinde iuxta doctrinam Apoſtoli meritò culpari nõ poſſent, ſi viros ſuos cõtemnerent, quippe quæ Matrem Eccleſiam imitarentur. Quod ſanè periculum vt vitaretur, Perſarum Proceres & Satrapæ iudicârunt Reginam Vaſthi, propter mariti cõtemptum, omni honore regnoq;, ſicut accidit, priuãdam eſſe, ne mulieres videlicet, viros ſuos hoc Reginæ exemplo diſcerent contẽnere. In quo rectiùs illi proſpexerunt vxoribus ſuis, quàm aduerſarius ſponſæ Chriſti prouiſum eſſe credit.

Heſter. 1.

TVBINGENSIS. 10. *Minimè tamen Eccleſia ſponſa & mater, ſuo ordine & loco negligẽda. Hæc enim teſtatur de Deo, ex verbo eius Sacramentum adminiſtrat, docet, columna veritatis eſt, Materfamiliâs, teſtimonium perhibet de Scriptura ſacra, oſtendens, quæ genuina ſint Prophetarum & Apoſtolorum atq; Euãgeliſtarum ſcripta, &c.*

CATHOLICVS. Aduerſarius ſeipſum confutat.

Hæc aſſertio multa quidem, longeq; veriſsima continet orthodoxæ pietatis axiomata; ſed quibus aduerſarij & aliorũ ſectariorum varij ac craſsi errores euidenter confutantur. Vnde iam iterũ ille ex ore ſuo iudicatur, & proprio iugulatus gladio cadit. Nam ſi Eccleſia de Deo teſtatur ex verbo eius, ergo neceſſum eſt, vt priùs quis Eccleſiam nouerit, quàm poſsit ad Patris ac Filij cognitionem peruenire, quod tamẽ aduerſarius ſuperiùs, & malè, negauit. Ergo ſequitur, Eccleſiæ cognitionẽ, Dei cognitione ſaltem quoad nos (vt loquitur Philoſophus) eſſe priorẽ. Vnde non debuit eã aduerſarius à principali Scripturæ ſacrę ſcopo ſeparare. Aliòqui metuendum foret, ne quis circa veram Eccleſiam errans, non ipſam Matrem, ſed nouercã vel adulterãm amplectatur, à quo non ad verum Deum Deiq; filium Chriſtum Dñm, ſed ad Deos alienos atq; ad Antichriſtũ perducatur. Sed Deo nunq̃ Eccleſia repugnauit, nec repugnabit aliquando, quæ ſemper audit & ſequitur eũ, de quo teſtatur ex verbo eius. Porrò ſi, quod ait aduerſarius, Eccleſia Sacramenta adminiſtrat, ſequitur Romanam & Catholicam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, cùm illa ſemper adminiſtrauerit Sacramenta, & verbum Dei prædicauerit, quod non ſolùm Orthodoxi Patres tàm Græci, quàm Latini vno ore teſtantur, ſed & Lutherus

Aſſert. 2.

Ibidem.

Lutherus ipſe fatetur,cùm dicat,in Papatu, hoc eſt, in Eccleſia Romana eſſe vera Sacramenta,& verum Euãgelium &c. Quod ita luculentum & euidens apparet, vt à nullis hæreticis potuerit vnquã negari. Pari modo, ſi Eccleſia columna eſt veritatis, certè nec errauit vnquam. Nam ſi vel errauit, vel errare poteſt contra fidei veritatem, quomodò veritatis columna prædicatur? Nam ſi eſt columna ac firmamentum veritatis, profectò veritatem ſuſtentat, ne poſsit aliquando labi vel corruere. Deniq; ſi Eccleſia perhibet teſtimonium de Scriptura ſacra, oſtẽdens, quæ genuina ſint Prophetarum & Apoſtolorum & Euangeliſtarum ſcripta, ſicut ait aduerſarius, cur ergo Lutherus pro arbitratu ſuo reiecit, & ex Canone ſacrarum literarum exterminauit epiſtolam Diui Pauli ad Hebræos, & epiſtolam Diui Iacobi, Apocalypſin Diui Ioannis & complures alios Scripturæ ſacræ libros, quos tamen Eccleſia Catholica pro Canonicis & ſacris Scripturis ſemper habuit, & etiamnum conſeruat?

Lib.de Anabaptiſ. Eccleſia Romana adminiſtrat Sacramenta. Eccleſia columna veritatis. Eccleſia perhibet teſtimonium de Scripturis ſacris. Lutherus reiicit Scripturas Canonicas. In Præfatione noui Teſt. & in præfat earund. epiſt. Concil. Epheſ. 1. Canone 10. Conc. Laodicenſ. Carthaginen 3. Roman. ſub Gelaſio 1. Florentinũ. Tridentinum.

TVBINGENSIS.

11. *Et quatenus ſe regi patitur verbo Dei, illudq́ ſequitur, non errat nec ambulat in tenebris. Eſt enim verbum Dei Lucerna pedum noſtrorum, lucens in loco caliginoſo.*

Pſalm. 119. 2. Petr. 1.

CATHOLICVS.

Hoc loco vides, pie Lector, quàm aduerſarius ſibi diſsimilis & contrarius exiſtat, & qualem nunc veram Chriſti depingat Eccleſiam. Superiùs aſſeruit, Eccleſiam Chriſti veram, habere maxima ſummaque priuilegia, & ornatam illuſtribus eſſe donis Spiritus ſancti; at nunc immemor ſui, ſibique factus contrarius ſublatis omnibus priuilegiis & illuſtribus Spiritus ſancti donis, facit eam ſimilem ſynagogę Iudæorum, & infidelitati Turcicæ, & Hæreticorum conuenticulis, & regno Satanæ. Ait enim: *Et quatenus ſe regi patitur verbo Dei, illudq́ ſequitur, non errat, nec ambulat in tenebris, &c.* Hæccine ſunt illa ſumma & maxima priuilegia, quæ paulò antè tantoperè commendauit? hæccine ſunt illuſtria Spiritus ſancti dona, quibus Eccleſiam ſuam ornauit Chriſtus? Nónne hæc omnia, quæ modò dicit aduerſatius, cum Iudæis, cum Turcis, cum Hæreticis, cum ipſo Satana, cõmunia habet? Nónne Iudæi non errant? Nónne Turcæ non errant? Nónne hæretici non errant? Nónne diaboli nõ errant, quando patiuntur ſe regi verbo Dei, illudq; ſequuntur?

Aduerſarius ſibi contrarius. Qualem aduerſarius Eccleſiam depingat. Tubingenſis ſpoliat Eccleſiam ſuis priuilegiis. Tubingenſis abſurda.

Secundum hunc aduersarij perniciosum & blasphemum errorem, præ illis peculiare nihil habet Ecclesia Christi, sed prærogatiuis, priuilegiis ac donis omnibus omninò spoliata miseraque iacet. Verùm facessat hinc sordidus & intolerabilis hic error, facessat, inquam, ignominiosa contumelia, qua turpiter Ecclesiam Dei veram, aduersarius lęsit ac defœdauit. Nobis, auxiliante Christi Spiritu, dificile non erit, summa & maxima priuilegia diuinitus Ecclesię à Deo Patre & filio sponso, cōcessa luculenter in sequentibus demonstrare.

Sordidus error aduersarij.

TVBINGENSIS. 12. *Quia verò hanc lucernam non semper sequitur, sed interdum amittit, ideò eatenus interdum errat, & in tenebris ambulat, & alio tempore magis floret & claret lux doctrinæ cœlestis, alio minùs.*

CATHOLICVS Quis hîc meritò quidem non obiiciat aduersario: Hic homo multa dicit, sed nihil probat? Dicit namq; veram Christi Ecclesiam non sempet lucernam sequi, sed interdum amittere, & idcircò errare & in tenebris ambulare. Hæc ipsius oracula sunt, quæ tanquā nouus Apollo pronunciat, sed non probat. Verùm quis ipsum Ecclęsiæ Iudicem constituit, vt possit & audeat erroris damnare Christi sponsam, quam tamen veritatis columnam profitetur? Iterum igitur & hoc loco sibi cōtradicit, quippe qui columnam veritatis affirmat errare. Nā si columna veritatis est, quomodò potest errare? Vel si errat, quomodò est columna veritatis? Si hæc non est, quænā meritò potest esse, vel censeri contradictio? potéstne columna & firmamentum veritatis interdum corruere, & nihilominùs, dum corruit, veritatis esse columna? Potéstne Christus tàm insipiens existimari architectus, qui suam Ecclesiam non super petram, sed super arenam ædificauerit? Potéstne Christus (absit à cordibus humanis tàm indigna cogitatio) nos fallere? quippe, qui non præstetid, quod nobis promisit? Promisit enim, portas inferorum, hoc est, hæreses, (vt ait Epiphanius) aduersùs Ecclesiam non præualituras. Verùm vnde probat eam interdum reliquisse lucernam & in tenebris ambulasse? Ex Scriptura sacra nunquam hoc probauerit, cùm interpretatio & possesio Scripturæ sacræ, non illius, sed Ecclesiæ sit propria; quod nec ipse negauerit, cùm superiùs dixerit; quòd Ecclesia perhibeat testimonium de scriptura Sacra, ostendens, quæ

Tubingensis oracula.

Tubingensis iterū sibi contradicit.

1. Timoth. 3.

Matth. 7. 16.

Epiphanius in Ancorato.

Ecclesiæ propria est possesio Scripturæ.

Assert. 10.

quæ genuina ſint prophetarum & Apoſtolorum & Euangeliſtarum ſcripta &c. Nam quo iure præſtat hoc Eccleſia, eodem profectò vel etiam maiori iure, ſcripturam Sacram interpretatur, & vbiq; & ſemper germanum eius ſenſum nobis pandit ac manifeſtat. Quòd ſi Spiritus ſanctus Eccleſiæ ſcripturam Sacram tradidit, & concredidit quomodò non etiam germanam eius intelligentiam Eccleſiæ reuelat? Nónne pertinet ad Legiſlatorem, vt legis, quam Spiritus ſanctus per ipſum condidit, germanum quoque ſenſum ipſemet potiùs, quàm alius, interpretetur? Verùm dicet aduerſarius, Eccleſiam multis in locis veram Scripturarum intelligentiam aſſecutam non fuiſſe, ac proinde grauiter in variis fidei dogmatibus, præſertim autem in diſpenſatione Sacramentorum hallucinatam eſſe. Hoc ipſe perperam ac falsò quidem dicit. Sed viciſsim illum interrogo. Qua fretus autoritate hoc dicat? Qua fronte vel arrogantia potiùs, audet ingenium ſuum vniuerſalis Eccleſiæ iudicio præferre, vt nimirùm ſe plùs, quàm Chriſti ſponſam & omnes Orthodoxos Patres ſapere credat? Quis enim eſt hic Tubingenſis, aut quæ domus patris eius, vt columnam veritatis arguere mendacij non vereatur? Verùm vt pernitioſus illius hic error radicitùs euellatur, & Eccleſię veritas à tanta cõtumelia vindicetur, iam nunc aggrediar demonſtrare, quemadmodùm Eccleſia Chriſti vera, lucernam verbi diuini ſecuta ſemper fuerit, & vſque ſequatur, nec vnquam in tenebris ambulauerit, vel in fidei dogmatibus errauerit. Principiò igitur aduertendum eſt, hunc errorem manifeſtè confutari ex ipſo Pſalmographo, & eodem plane loco, vnde verba hæc protulit aduerſarius. Nam poſtquam ille ſuperiùs ex Pſalmographo probâſſet, verbum Dei lucernam eſſe pedum noſtrorum, illicò ſubiunxit craſſum & apertum mendacium, nõ ex Pſalmographo deprومptum, ſed à ſpiritu vertiginis & erroris ſuggeſtum & profectum, nimirum, Eccleſiam Dei non ſemper lucernam hanc ſequi, ſed interdum amittere, atque ſic errare, & in tenebris ambulare. Verùm nõ ita Pſalmographus, ſed modo prorſus diuerſo, vel etiam contrario ſermocinatur & concludit. Nam cùm dixiſſet, lucerna pedibus meis verbum tuum pro-

Eccleſiæ propria eſt, interpretatio ſcripturæ.

Aduerſarij arguit Eccleſiam ignorãtiæ.

Aduerſarij præſumptio.

Tubingenſis impudentia.

Eccleſiam non errâſſe probatur.

Aſſert. 11.

Aduerſarius malè citauit ſcripturã.

Aſſert. 12.

Pſal. 119. ſecundũ Hebr.

Aliter dixit Pſalmographus aliter aduerſarius intellexit.

testatus est aliquoties, se lucernam hanc non aliquando, sed perpetuò sequi, quod aduersarius de Ecclesia negat. Ait enim: Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua. A iudiciis tuis non declinaui; propterea odiui omnẽ viam malam. Item, legem tuam nõ sum oblitus. Et iterum: De mandatis tuis non erraui; &, hæreditate acquisiui testimonia tua in æternum. Quapropter si Propheta, qui tantùm extitit vnicum Ecclesiæ membrũ, cùm hunc psalmum scriberet, ait, se lucernam verbi diuini semper fuisse secutum; cur aduersarius id de vera & vniuersali Christi Ecclesia negat? Qua sententia semetipsum (quod ipse tamen non animaduertit) omni spe consequendæ salutis priuat. Nam, aut ille est in ea Ecclesia Christi, quam ait errare, vel extra illam est: Quod si fuerit in ea, cum errante Ecclesia non absque certissimo salutis suæ damno errabit & ipse: Sin extra illam fuerit, quod est verisimilius, quid damnatione sua certius habet, cùm iam in confesso sit, nullam extra Ecclesiam esse salutem? Simili modo, si errat Ecclesia, quemadmodùm ait, nec purum Dei verbum, nec legitimum Sacramentorum vsum habere potest, atque sic alia quædam aduersarij corruit assertio; qua dicit hæc esse veræ Ecclesiæ signa; quæ profectò signa cum erroribus constare nequeunt. Porrò si errat Ecclesia, corruent omnia veteris testamẽti diuina pacta, quibus Deus spiritum ac verbum suum fidelibus suis cultoribus semper promisit affuturum: corruunt etiam Euangelicæ certissimæque noui testamenti promissiones, quibus Ecclesia de perpetua & infallibili Christi spõsi ac Spiritus sancti pręsentia iam olim est certior effecta. Nam hoc fœdus meũ cum eis dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quę posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodò & vsq; in sempiternum &c. Ergo licet aliqui nonnunquam, vel etiam plurimi deficiant, non ideò tamen omninò verbum Dei extinguitur, nec veritas opprimitur; sed in Ecclesia Dei semper integerrima manet. Quod his quoq; verbis comprobat Psalmographus: Circundate Sion, hoc est, Ecclesiam, & complectimini eam: Quoniam hic est Deus noster in seculum, ipse

Aduersarius se priuat spe salutis.

Aduersarius sibi cõtradicit iterum.

Assert. 59.

Ex errore aduersarij sequitur absurda varia.

Esaiæ 59.

Matth vlt.

Ioan 14. 16.

Diuina veteris testamenti pacta.

Esaiæ 59.

Psal 47.

ipse reget nos in sæcula. Quo testimonio libenter vsi sunt Patres ad redarguendum hunc Montani, Nestorij, Donatistarum, Iconomachorum, & Lutheranorum errorem, quo supra modum illi sunt conati, autoritatem Ecclesiæ deprimere, & eam tanquam in fidei dogmatibus erroneam calumniari. Ad eundem sensum sæpiùs idem Propheta vaticinatus legitur: Disposui, inquit, in persona Dei, testamentum electis meis, Iuraui Dauid seruo meo, vsq; in æternum præparabo semen tuum. Et iterum: Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi: Hæc requies mea in sæculum sæculi. His astipulatur quoq; Hieremias, dum ait? Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iudæ fœdus nouum, & non secundùm pactum, quod pepigi cum Patribus vestris &c. Et paulò pòst. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum Domo Israël post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eã? & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum &c. Et rursus inferius: Si defecerint leges istæ coràm me dicit (quasi diceret nũquam id fore, vt posśint deficere) tunc & semen Israël deficiet, vt non sit gens coràm me cunctis diebus. Hæc dicit Dominus: Si mensurari potuerint cœli sursum, & inuestigari fundamenta terræ deorsum; & ego abiiciam vniuersum semen Israël. Ex his euidenter constat, nunquam semen Israël omninò periturum, nec Ecclesiam erraturam, sicut nec fides poterit aliquando penitus interire, cùm verbum Domini maneat in æternum, nec vacuum redeat ad eum, vnde procesśit, imò nec posśit Dei pactum irritum fieri, sed potiùs cœlum & terra sint trãsitura, quàm vt verba Christi non impleantur. Quod quidem Dei pactum vehementer confirmatum est sapientis oraculo, quo pronunciatur Ecclesia Christi, Domini sponsa, quam sibi sponsauit in sempiternum, idque nimirùm in fide, quæ deficere non potest. Quod etiam ipsa sponsa diligentiùs perpẽdens, præ nimio gaudio tandem erupit in hæc verba: Tenui eum, nec dimittam; quo satis insinuat se perpetuò cum sponso suo mansuram, ne fortè sacrilegum accidat diuortium, quale tamen aduersarius inter sponsum & sponsam temerè machinatur. Quibus profectò diuinis veteris

Montanus. Nestorius. Donatistæ. Iconomachi.

Testamentũ Christi cum Ecclesia.

Psal. 131.

Hierem. 31. Pactum Dei cum Ecclesia.

Luc. 21.

Cant 4. Oseæ 2. Lucæ 22. Cant. 3.

Aduersarius machinatur diuortiũ inter sponsum & sponsam.

veteris testamenti promissis ac pactis nihil penitus obstat, quò minùs sint firma, rataque semper manserint, quòd apud Israëlitas magnæ defectiones & graues abusus frequenter acciderint. Nam licet Aaron, cuius exemplum aduersarij citant, metu populi coactus vitulum conflatilem adorari permiserit, non ideò tamen infidelitate peccauit, nec fidem amisit; sicut nec D. Petrus, cum negauit Christum, sed fidei confessione tãtùm caruit. Sed esto, (quod tamen nõ conceditur) fidem amiserit Aaron, qui tunc nondum Sacerdos consecratus fuerat, vt aliunde constat; hincne continuò sequetur, omnes fideles adeoque totam Ecclesiam defecisse? Nónne Moses, nónne Iosue, nónne filij Leui, ac plures alij fidem seruârunt, & Mosen vindicando hoc idololatriæ peccato sequuti sunt, dicente Mose: Si quis est Domini, iungatur mihi? Sed obiiciunt aduersarij, quòd Esaiæ ac Ieremiæ temporibus nulla fides extiterit, atq; sic Ecclesia tota perierit, nedũ errauerit. Ait enim Esaias: Cognouit bos possessorem suum &c. Israël autem me non cognouit. A planta pedis vsque ad verticem capitis non est sanitas in eo. Sic & Ieremias clamat: Confusi sunt domus Israël, ipsi & Reges eorum, Principes & Sacerdotes & Prophetæ dicentes ligno; Pater meus es tu. Et lapidi: Tu me genuisti, & paulò pôst: Quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus. Et alibi: Circuite vias Ierusalem, an inueniatis virum facientem iudicium & quærentem fidem & propitius ero ei &c. Quòd autem ex istis, & aliis scripturæ Sacræ testimoniis similibus, non concludatur illis temporibus omnium periisse fidem, aut Ecclesiam Dei penitus errasse, vel extinctam fuisse, docet id luculenter D. Augustinus, quando redarguit Donatistas, qui sentiebant idem, quod aduersarius, videlicet Ecclesiã in toto mundo defecisse, præterquam in quadam Affricæ parte, quam occupabat ipse. Ait autem D. Augustinus, hęc Scripturę testimonia non de singulis hominibus dicta fuisse, sed duntaxat de malis, quorum erat in populo Dei longè maior, quàm piorum hominum multitudo. Est enim illud scripturę Sacræ frequens ac familiare, vt videlicet generales propositiones cùm occurrunt, non singulos homines, sed maiorem

Exodi 32.

Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioan. 18.

Leuit. 8.

Ob defectionem aliquorum non errauit Ecclesia tota.

Aduersariorum obiecta.

Esaiæ 1.

Irem. 2.

Hierem. 5.

Obiecta diluuntur.

Aug. li. de Vnitate Ecclesiæ ca. 5. 12.

Multitudo deficiẽtium non tollit omnem fidem.

Regula in scripturis obseruanda.

maiorem tantùm hominum partem significent. Quòd etiam Apostoli verbis confirmatur. Omnes, ait enim, quæ sua sunt, quærunt, & non quæ Iesu Christi: cùm ipse Paulus & plures alij fideles pijq; homines non sua, sed quæ erant Iesu Christi, quærerent. Sic nec contra sententiam istam quicquam faciunt hęc Eliæ verba, quibus ait: Dereliquerunt partem tuam filij Israël, & derelictus sum ego solus. Sed quid dicit, Apostolo teste, diuinum responsum? Reliqua mihi septem millia virorum (scilicet in Israël eo tempore, quo sic loquebatur Elias) qui nō curuauerunt genua sua ante Baal. Et quamuis ista fidelium raritas tunc in Israël acciderit, cùm Achab regnaret; in regno tamen Iudæ regnantè Iosaphat Rege, vera fides ac verus Dei cultus egregiè vigebat. Sic etiam, licet Esdras legisset coràm populo Dei legem, quam antè nemo audiuerat, nihilominùs tamen plurimi fideles extiterunt, non solùm inter eos, qui cum Esdra redierant ex captiuitate, sed etiam inter alios, qui illic manserant. Nec diffitendum est, multos eorum, qui veram Dei fidem retinebant, cæremonias ac ritus colendi Deum oblitos fuisse: vt proinde legem non audiuisse dicantur. Nihil igitur minùs hęc & his similia Scripturæ sacræ testimonia, vel exempla continent, quàm quòd diuina pacta superiùs allegata, certa, rataque non manserunt, quibus Deus Ecclesiam veteris Instrumenti piè conseruauit, ne posset aliquando penitus aberrare vel omnem animo fidem fideiq; doctrinam amittere.

Philip. 2.

3. Reg. 19. Roman. 11.

3. Reg. 19.

2. Esdræ 8.

Quod profectò, cum longè verius ac rectius habeamus, de vera Sacrosancta (quā Christus habet in terris) noui Testamenti, Ecclesia militante. Cur ergo nugatur aduersarius, quòd non semper lucernam Verbi diuini sequatur, sed interdum amittat & erret, & in tenebris ambulet? An sine caussa Christus rogauerit pro Petro, quem Ecclesiæ suæ Vicarium constituit ne fides eius deficeret? An frustrà promiserit Christus se Apostolis eorumq; successoribus adfuturum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi? Quibus verbis hoc ipsum, quòd asseruimus, Ecclesiam veram non errare, Leo Epistola ad Pulcheriam & alijs quibusdam Epistolis, & D. Augustinus pluribus in locis probant. An frustrà Christus Ecclesiam suam cōparaue-

Assert. 12.

Lucæ 22. Matth. 28.

Leo ad Pulcheriā epist. 61. Matt 63. ad Theodoretum. August. epist. 80. ad Esichiū Tract. 101. in Ioannem.

K

parauerit illi domui, quam vir sapiens non super arenam, sed super firmam petram ædificauit, vnde nec eam pluuiæ nec flummina, nec venti possunt vnquam euertere? An frustrà dixerit Christus iterum Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prȩualebunt aduersùs eam? An frustrà Christus, qui fidelis & verax est, toties Ecclesiæ suæ promiserit ac tandem miserit Spiritum sanctum paraclœtum, Spiritum veritatis, qui semper in ea maneret, & omnem doceret veritatem? An denique frustrà D. Paulus Ecclesiam Christi columnam & firmamentum veritatis dixerit? Quȩ profectò proprietates ac promissiones Ecclesiæ, nullo modo conuenire poterunt, si verbi Diuini lucernam illa perdat. Igitur altérutrum Tubingensis eligat necessum est. Aut fateatur Ecclesiam esse columnam veritatis, & in ea Christum omnibus diebus manere, vsque ad consummationem sæculi, & in ea quoque Spiritum sanctum manere in æternum, qui doceat eam omnem veritatem, ne posit in fidei dogmatibus errare: Aut profectò si nihilominùs eam errare contendat, ore blasphemo cogetur impudenter affirmare, Deum non fidelem, nec veracem, Deique pacta nullius vigoris aut veritatis esse; & Christi tot promissiones inualidas & irritas iacere, & ipsam Ecclesiam omnibus priuilegijs spoliatā, ac nullam præ cȩteris quibuscunq; cœtibus prȩrogatiuā habere, nec semper Christi sponsam ac Matrem nostram, sed frequēter nouercam & meretricem adulterinam esse, & nosipsos nullam fidei certitudinem habere, nec vllam scripturarum sacrarum autoritatē esse, & omnia religionis dogmata, & vsum Sacramentorum in controuersiam iterum reuocari; adeoq; nihil certum, nihil stabile, nihil esse firmum apud Christianos, imò nullam etiam fidei ac Spiritus vnitatem fuisse, vel esse posse, sed vt ille dixit: Quot homines, tot sentētias, & quot voluntates, tot fides, & quot Magistri tot sectas, & quidē inter sese dissectas fore. Quȩ quidem omnia hisq; plura vel grauiora suo malo sentiunt & experiuntur, quotquot veram Christi Ecclesiam cum aduersario deserunt, blasphemantes eam in fidei dogmatibus hactenus errasse, vel etiam deinceps erraturam esse.

[Margin: Matth. 7. Promissiones Ecclesiæ factæ sunt efficaces. Matth. 16. Apocal. 19. Ioan. 14. 15. 16. 1. Timoth. 3. Aduersarius constringitur. 1. Timoth. 3. Matth. 28. Ioan. 14. Absurda grauissima quæ ex hoc errore sequuntur.]

13. *Sicut*

13. *Sicut Adam & Eua in Paradiso vera fuère Dei Ecclesia in terris: sed neglecto verbo Dei turpissimè in horrendam caliginem mortis inciderunt.* TVBINGENSIS

CATHOLICVS

Frustrà nititur Aduersarius exemplo Adæ & Euæ probare veram Dei Ecclesiam in Paradiso, circa fidem errasse. Nam licet protoplasti contra Dei præceptum grauiter peccauerint, atque propterea tot pœnarum adeoque mortis supplicio tàm ipsi, quàm eorum posteri subiecti fuerint: non tamen, hinc sequitur, eos fidem amisisse, vel in ijs errasse, quæ fidei dogmata concernunt. Quod manifestè probat Apostolus, dum ait: Adam non seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit. Est autem apud Theologos, & omnes sapientes viros hæc absurdissima concludendi ratio, qua fidem Aduersarij dicunt amitti, quando charitas vel obedientia perditur. Certè fideles sunt plerunque peccatores, & multi grauissimè contra Dei mandata delinquunt, qui tamen retinent fidem, quatenus à reliquis illa virtutibus Theologicis ab Apostolo distinguitur. Quæ licet ad salutem sola sit inefficax, fidei tamen rationem non amittit, & reperitur in peccatoribus, qui non propterea, quòd peccatores sint, & tanquàm Euæ filij præuaricentur Dei mandata, fideles vocari, vel esse desinunt. Sic enim ait Apostolus: Etsi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Vnde licet Adam & Eua, charitatem amiserint, quoniam tamen peccando fidem non amiserunt, perperàm Aduersarius infert, illam Dei Ecclesiam in Paradiso circa fidem (hoc enim in præsenti disputatur) errasse.

1. Timoth. 2. Aug. lib. 14. de ciuit. Dei ca. 11. 1. Cor. 13. Matth. 7. Ioan. 12. Iacob. 2. August. lib. 15. de Trinit. cap. 18. 1. Cor. 13.

14. *Sic Aaron Summus Pontifex cum populo Israëlitico in deserto, qui tùm erant vera & ipsissima Dei Ecclesia in terris, filius primogenitus, electus & dilectus, turpissimè in horribilem Idololatriam prolapsi sunt, erecto vitulo Aureo, & Dijs alienis. Sicut postea sæpè populus Israël & Iuda, neglecto vero Dei cultu & verbo, publicè Idololatriam instituerunt, & sectati sunt, temporibus Iudicum & Regum, reclamantibus Prophetis Domini Helia, Ieremia, &c.* TVBINGENSIS

Exod. 32. Ibid. 4.

CATHOLICVS

Primus error Aduersarij.

Isthæc aduersarij propositio continet aliquot insignes errores, quorum primus in eo committitur, quòd ait Aaron fuisse Summum Sacerdotem, quando populus Israël exercuit idololatriam in deserto. Nam eo tempore non Aaron; sed Moyses, qui non peccauit, fuit Synagogæ caput, ac supremus Rector. Aaron verò diu posteà (quod multum refert scire) fuit vnctus in summum Sacerdotem. Verùm Aduersarius hoc loco non tàm ad scripturam sacram, quàm ad Caluinum hoc ipsum affirmantem attendisse videtur, ex quo sicut istum hausit errorem, sic alios hauriet plures, si pergat eum legere. Vnde quamuis Aaron cum populo commisisset idololatriam, falsum esset tamen, Summum Pontif. eam idcircò commisisse. Deinde nec verum est, Aaron in eo facto perdidisse fidem, vel infidelitate peccasse. Licet enim adactus ille populi metu, permiserit idololatriam, quam impedire non poterat, exerceri; nec fuerit ausus populo, cùm manifesto vitæ suæ periculo resistere: Non tamen Aaron propterea, quasi factus infidelis, amisit fidem, licet fidei confessione fortè caruit. Tùm & illud est falsum, nimirùm veram & ipsissimam Dei Ecclesiam in terris (quantùmuis errâsset Aaron) in horribilem idololatriam, quod ait aduersarius, incidisse. Etenim non illicò tota Dei Ecclesia probatur errasse: quòd plurimi tunc defecerunt. Nónne multi fideles eodem tempore veram Ecclesiam repræsentantes in fide cultuq; Dei constantes permanserunt? Nónne Moyses supremus post Deum illius Ecclesiæ gubernator, nónne Iosue, Nónne filij Leui, nónne plures alij, fidem seruauerunt, & Moysen (vt in præcedentibus est dictũ) in vindicando hoc idololatriæ peccato iuuerunt, testante ipsomet Moyse: Si quis est Domini iungatur mihi? Nam quomodò potuissent illi tria ferè millia idololatrarum interficere, nisi cum Moyse fideles alij quamplurimi permansissent? Hinc Apostolus quoque non omnes, sed quosdam ex filijs Israël affirmat idololatras, esse factos. Verùm & hîc alius longè turpissimus apparet error, quo aduersarius veram Dei Ecclesiam horribilem Idololatriam exercuisse, Vitulum adorasse, Baalim pro Deo coluisse tradit. Nam si fecit hæc, quomodò vera Dei & non Satanica potiùs malignantium

Leuit. 8.

In præfatione suarum institutionũ.

Secundus error.

Exod. 32.

Aug. lib. 14. de ciuit. Dei cap. 11.

Tertius error.

Exod. 32.

1. Cor. 10.

Quartus error.

Ecclesia

Ecclesia fuit? Talem enim Ecclesiam, quicquid dicat aduersarius, Deus non agnoscit. Vnde manifestam ille contradictionem implicat, dum veram & ipsissimam Dei Ecclesiam idololatricam fuisse concedit, nisi Deum ipsum (absit blasphemia verbo) pro idolo velit haberi. Porrò nec ille leuis est error, quo concludit, temporibus Iudicum & Regum, Prophetis Domini Elia & Ieremia reclamantibus, filios Israël neglecto vero Dei cultu & verbo, publicè idololatriā instituisse, & sectatos fuisse. Nam licet id sit verùm, non tamen idcircò conuincitur, totam Dei Ecclesiam defecisse, & omnem apud omnes perijsse fidem; reclamantibus nimirùm Prophetis Domini (sicut ipse testatur Aduersarius) & alijs quoque pijs fidelibus; qui nefandis idololatris minimè consenserunt: sed puram Dei fidem ac Ecclesiam veram apud se conseruârunt. Quintus error.

15. *Ita Apostoli cum Christo conuersantes, militans fuêre tùm in terris ipsius Ecclesia. At quot ipsi tùm fouerunt errores de regno Christi? Quàm omnes scandalizati sunt in ipso, vna nocte?* TVBINGENSIS Matth. 26. Marc. 14.

CATHOLICVS Non quidem diffitemur Apostolos, dum adhuc essent valdè rudes, multa (sed nec ad salutem eo tempore multùm necessaria) ignorasse, priusquam ex alto virtute fuissent induti, ac Spiritum veritatis accepissent, à quo docerentur omnē veritatem: Veruntamen cùm aliud sit, quædam ignorare de regno Dei, quæ citra salutis periculum nesciri possunt, aliud manifestos errores in fide pertinaciter defendere; nunquàm ostendet aduersarius Apostolos post acceptum Spiritum sanctum errores in Fide defendisse vel etiam fouisse. Agitur enim hîc de vera militante Ecclesia, quam Christus sponsus summis ac maximis priuilegijs diuinitus auxit, confirmauit, ac simul illustribus Spiritus sancti donis ornauit, vt suprà commemorauit Aduersarius. Sed nec soli Apostoli cum Christo conuersantes, Ecclesiam militantem illius temporis constituebant, sed & alij discipuli & fideles Iudęi, vtriusq; sexus. Lucæ vlt. Ioannis 14. 16. Assert. 6.

16. *Et in Concilio Nicæno, in quo erant congregata præcipua Ecclesiæ capita, Episcopi & Doctores, omnes de vera & genuina Scripturæ sacræ sententia errabant, Lege sancita, qua Sacerdotibus consuetudine cum proprijs vxoribus interdicebatur, vno excepto Paphnutio.* TVBINGENSIS

CATHOLICVS

Greg lib. 1. epist. 24. & lib. 2. indictione 11. epi. 10.

Nicephor. lib. 16. cap. 33.

De Cœlibatu.

In artic. de coniugio Sacerdotum.

Aduersarius conuincitur ab Augustana Confessione.

Hist. tripar. lib. 2. cap. 14 ex Sozom. li. 1. ca. 22. alijs 23.

1. Cor. 7.

Math. 19.

Actor. 15.

Luc. 10.

Cùm Nicænum Concilium fuerit vnum ex quatuor primarijs Concilijs, quæ D. Gregorius cæteriq; Patres non secùs, quàm quatuor sacra Euangelia recipienda, seruandaq; censuerunt, mirum est, Aduersarium de tanto Cócilio tàm leuiter sentire atq; scribere. Cui profectò nec leuem iniuriam, ne dicam, falsi crimen infert, dum affirmat omnes in eo Doctores & Episcopos, vno exempto Paphnutio, sic decreuisse: In quo vehementer etiam ipse contradicit Augustanæ Confessioni, quæ nó dicit omnes decreuisse, sed quosdam in Cócilio Nicæno conatos fuisse legem ferre, vt Sacerdotibus interdiceretur consuetudine cóiugum. Quæ tamen lex ab vniuersa Synodo repudiata fuerit. Hoc ergo loco per Augustanam Cófessionem aduersarium abundè confutatum liquidò constat. Nam si lex illa fuit ab vniuersa Synodo repudiata, sicut Augustana Confessio probat, certè nó potest Aduersarius eam Synodum alicuius erroris accusare, quem hac in parte receperit, aut confirmauerit. Quin & illi Patres, qui lege sancita voluerunt Sacerdotibus interdicere consuetudine coniugum, nó id ea fecerunt ratione, quasi præcepto diuino Sacerdotes tenerentur ab vxoribus abstinere, quas ante sacerdotium duxissent, sed quòd sic decere iudicarét, vt mariti, quando consensu coniugum habito sacris ordinibus initiati fuissent, deinceps à matrimoniali commercio sese continerent, quò commodiùs & expeditiùs, quę Domini sunt, iuxta consilium Apostoli cogitarent & agerent. Sic enim & ipsi Apostoli, multiq; sancti Martyres, fecisse legútur, vt propterea nihil habeat Aduersarius, quod in istis quoq; Patribus, qui sic faciendum suaserunt, meritò culpare queat. Cùm igitur his positis Aduersarius nihilominùs veritus non sit Concilium Nicænum citra rationem omnem calumniari, mirùm est, cur non etiam erroris arguerit Concilium Apostolicum, quo præceptum fuit, vt abstinerent fideles à suffocato & sanguine contra libertatem (scilicet) Euangelij, quo Christus ait: Manducate quæ vobis apponuntur.

TVBINGENSIS

17. *Ideoq; cùm dicitur (& rectè dicitur, verum enim est) Ecclesiam solam, veram et genuinam tenere scripturæ sacræ sententiam, non intuenda est multitudo capitum et Prælatorum. Sæpè enim multitudo illa ingens errat, & ad*

ingentem

ingentem rediguntur paucitatem, rectè sentientes. Quod videre est in historia sacra, temporibus Prophetarum. Sæpè etiam maior et peior pars vincit numero suffragiorum meliorem. Vnde rectè D. Chrysostomus inquit, Numero æstimare Decretum, Arianorum est, non Catholicorum.

CATHOLICVS

Rectè quidem dicit Aduersarius, cùm sit verissimum, in Ecclesia sola veram ac genuinam reperiri scripturæ sententiam: Vnde cùm ipse defecerit ab Ecclesia, suo ipsius Iudicio genuina quoq; Scripturæ sacræ caret intelligentia. Veruntamen hîc aliquot iterum absurda per ordinem effutiuit, quorum primum est: Hac in parte, dum agitur de Ecclesia, non intuendam esse capitum ac Prælatorum multitudinem, cùm nimirùm ingens multitudo erret, & frequenter ad ingentem paucitatem redigantur rectè sentientes: Confert ille capita seu Prælatos cum aliis ipsorum subditis Christianis. Sed mirabilis hæc & paradoxa videtur comparatio, qua capitibus seu Prælatis qui tamen numero longè sunt pauciores, multitudinem, reliquis verò subditis Christianis, qui plurimi sunt, paucitatem attribuit. Si enim plures oues esse solent, quàm Pastores, quid mirùm, si plures etiam in Ecclesia Christi militante fideles subditi, quàm eorum Præpositi ac Rectores inueniantur? At quid absurdius eo, quod ait ad ingentem redigi paucitatem rectè sentientes? Procul dubio loquitur de illis rectè sentientibus, qui non inter Prælatos, sed in reliqua populi multitudine reperiuntur, qualis est ipse, suíque similes. Quam quidem absurditatem his verbis abundè declarat Ambrosius: Si docendus est Episcopus à laico, quid sequitur? Laicus ergo disputet, & Episcopus audiat. Episcopus à laico discat. Sed esto, quòd in laicorum multitudine sint illi pauci ac rectè sentientes, quæritur ab Aduersario, quínam illi sint, vel vbi poßint inueniri? Si asserit eos reperiri Tubingæ, negabunt id VVittenbergenses, Si VVittenbergæ dicet, non id Magdeburgenses concedent. Si respondebit, Magdeburgi, subitò reclamabunt Geneuenses. Vnde constabit igitur quínam ex illis sint rectè sentientes? Si putabit id Verbo DEI constare; At Verbum DEI quilibet eorum iactitat, sibique petulanter vsurpat veram eius intelligentiam: quantúmuis à cæteris omninò

Primum absurdum.

Secundum absurdum.

Ad Valentinianum iuniorem Impp. lib. 5. epist. 32.

omninò totoq; cœlo dissentiat. Igitur, vt veram scripturarum intelligentiam habeamus, intuenda sunt capita populi Christiani: Sunt, inquam, intuendi Prælati ac Pastores, quorum vocem vt oues audiant & sequantur, præcepit Dominus. Est absurdissimum porrò, quod hoc loco cōtra manifestum Dei verbum asserit Aduersarius: non intuendam esse capitum multitudinem, quando dicimus, in Ecclesia sola veram & genuinam Scripturæ sacræ sententiam inueniri. Nam Pater cœlestis (sicut & Filius sponsus) quoties Ecclesiæ mandat, vt vel Scripturas interpretetur, vel exponat leges, vel controuersias componat, vel iudicium exerceat, vel puniat rebelles &c. semper ad capita seu Prælatos, ad Præpositos, ad Rectores & Episcopos, quos Spiritus sanctus posuit, regere Ecclesiam, sermonem direxit. Hinc Deus cùm domui Iacob ac filijs Israël legem dare vellet, per Moysen, non vniuersum populum, sed tantùm maiores natu ac seniores conuocauit, quibus tradidit legem, ac Domini sermones exposuit. Hinc Moyses ita Synagogæ prouidit: Si difficile & ambiguum apud te iudicium perspexeris inter sanguinem & sanguinem, caussam & caussam, lepram & nō lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari: Surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem, sequerisq; sententiam eorum. Nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malū de Israël, cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia. Hinc de Sacerdotibus tanquàm Ecclesiasticis Prælatis iterum ait Dominus: Cùm fuerit controuersia, stabunt in iudicijs meis, & iudicabunt: Quibus verbis quid euidentius, quàm quòd Deus Ecclesiasticis capitibus, nimirùm Sacerdotibus in Ecclesia veram ac genuinam Scripturæ sacræ sententiam & interpretationem tradidit. Hinc ipse Dominus IESVS non

Marginalia: Ioannis 10. — Tertium absurdum. — Ecclesiæ nomine sæpè Prælati seu Episcopi intelliguntur. — Actor. 20. — Exod. 19. — Deuter. 17. — Ezech. 44.

non quibusuis fidelibus, sed Ecclesiasticis capitibus & prælatis ait: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Hinc postquam inter Christianos ex Iudæis, & Christianos ex gentibus de circumcisione & aliis legalibus, grauis orta controuersia fuisset, eam non quilibet rectè sentientes, vt ait aduersarius, sed Apostoli & Seniores, Ecclesiastici scilicet Prelati cõuenientes, facta diligenti inquisitione, composuerunt. Hinc Apostolus denique, ne fortè curreret in vanum, ac circa verbi prædicationem errare putaretur, contulit Euangelium suum, quod in gentibus prædicabat, non cum illis paucis aduersarij rectè sentientibus, sed cum capitibus & prælatis, hoc est, cum ipsis Apostolis, qui videbantur aliquid esse. Quamobrẽ quicquid somniet aduersarius, cùm dicimus, in Ecclesia sola veram & genuinam scripturæ Sacræ sententiam haberi, maximè intuenda est, siue multitudo, siue paucitas capitum & prælatorum, quibus concredita sunt eloquia Dei. Non autem illi pauci, quos vocat aduersarius rectè sentientes: De quibus quinam sint, aut vnde veniant, nullum neque sacræ Scripturæ, neq; diuinæ reuelationis testimonium extat. Cui sententiæ nihil obstant D. Chrysostomi verba perperàm ab aduersario citata: Numero æstimare decretum, Arianorum est, non Catholicorum. Loquitur namque Chrysostomus de eo numero hominum, qui non legitimè, sed absque capite contra Ecclesię consuetudinem conueniunt, cuiusmodi sunt Pickardorum, Anabaptistarum, Lutheranorum, Caluinistarum, & similium Sectariorum cætus. Nec D. Chrysostomus agit illic de fide: sed de canone quodam Arianorum, quo fuerat constitutum, ne depositus Episcopus ad sedem suam rediret, nisi maior Episcoporum numerus id decreuisset. Vide historiam tripart. lib. 10. cap. 17.

Lucæ 10.

Actor. 15.

Galat. 2.

Rom. 3.

Li. 10. ca. 17. Tripar. hist. ex Socrate libro 6. cap. 16. aliis 18.

TVBINGENSIS

18. *Cùm autem Deus apud Ecclesiam verbum suum deposuerit, in eaq; sola sit efficax, & operetur salutem hominum, multaque & magna habeat priuilegia: ideoque omnes populi de ea contendant, hocque nomine se aliis cætibus hominum præferant, & commendare velint.*

CATHOLICVS

Licet imperfecta sit hæc propositio, multa tamen vera continet, sed quibus euidenter assertio 12. superiùs posita

confutatur. Afferit enim illa, quòd Ecclefia non femper verbi Diuini lucernam fequatur, & hanc ob rem interdum erret, & in tenebris ambulet. Vnde pius lector facillimè videt, quemadmodùm aduerfarius per feipfum conuictus, fuisque ipfius telis cõfoffus & peremptus miferè corruat. Nam fi Deus Verbum fuum, ficut optimè dicit, (eft enim verum) apud Ecclefiam fuam, tanquam fidifsimam cuftodem, & interpretem depofuit, quî poteft errare, vel in tenebris ambulare, cũ femper habeat lucernam ardentẽ, quam (tanquam depofitum cuftodiẽs) perpetuò fequitur? Aut fi amiffa lucerna errat, & in tenebris ambulat; profectò, iam non depofitum fideliter cuftodit; nec Deus fecundùm aduerfarij fententiam egiffe fapienter videtur, (abfit piis cordibus tàm blafphema cogitatio) quippe qui verbum fuum apud erroneum & infidelem cuftodem depofuerit. Aut fi cuftos illa femper eft fidelis, (ficut eft fidelifsima) profectò depofitum femper cuftodit, femper lucernam fequitur, femper veritatis eft columna, vt nunquam errare, vel in tenebris ambulare pofsit. Simili modo; fi Dei verbum in Ecclefia fola, eft efficax, & falutem operatur, profectò ex fua quidem parte neceffum eft, vt femper fit efficax & falutẽ femper operetur: Aliôquin Deus fidelibus fuis, nedum Ecclefiæ non benè videretur profpexiffe, cùm fic de veritate vel efficacia diuini verbi, atque legitimo Sacramentorum vfu nihil vnquam certi poffet haberi; fed perpetua fluctuatio, perplexitas, & cõfufio deteftabilis in omnibus cerneretur. Eodem modo, fi Ecclefia habet multa magnaque priuilegia (ficut habet verifsimè) vt nimirùm Chrifto Sponfo fecum vfque ad confummationem fæculi manente fruatur, & Spiritum fanctum paraclœtum fibi adfiftentem in æternum habeat, à quo doceatur omnem veritatem, vt fit firmamẽtum & columna veritatis, vt fit electa Dei Patris filia & Sponfa Chrifti, decora pulchraque nimis in veftitu deaurato, circundata varietate; profectò nunquam errare, quod ad fidei dogmata, moralia præcepta, Deiq; cultum fpectat, vel in tenebris ambulare poteft.

[Margin: Irenæus li. 3. ca. 4. — 1. Timoth. 3. — Matth. 18. — Ioan. 14. 16. — 1. Timoth. 3. — Cantic. 4. — Ephef. 5. — Pfal. 44.]

TVBINGENSIS Afferit. 4. 19. *Maximè nobis danda eft opera, vt quænam vera illa fit in terris cognofcamus, ne ab æternæ vitæ via, & tramite aberremus.*

Rectè

Rectè quidem aduersarius monet:Sed cur non facit ipse, quod alios monet?Si docet alios,cur seipsum non docet? Cur hæret in angulo vel angulari cætu, nec contendit ad Catholicam Ecclesiam, quam in Symbolo se credere profitetur, quæ non ab annis 50. cepit, nec vnius prouinciæ limitibus contracta vel angustiata continetur, sed à Christo per Apostolos plantata, per totum terrarum orbem diffusa succrescens ab ortu Solis ad occasum,à septentrione ad meridiem vsq;, protenditur,atque maiora sumit indies incrementa, præsertim in remotissimis Indiis,vbi plurima regna côuertuntur,licet quẽadmodùm olim ex Palestina, ex Asia, ex Affrica, ex Græcia, sic nunc propter hæreses ex nostris quoque Septentrionalibus prouinciis,proh dolor,migrare videatur?Nec video,cur tanta sit opera dãda,vt quænam illa sit, tanquam in tenebris latitantem quæramus, cùm nobiscum aduersarius fateatur eam visibilem & omnibus conspicuam esse,nisi quem excæcet malitia sua, vt eam videre nolit, quod hæreticis euenire solet. CATHOLICVS Rom. 2. Assert. 15.

20. *Est autem multiplex Ecclesiæ distinctio. Accipitur enim & pro vniuersali omnium,qui baptizati sunt, & amplectuntur doctrinam verbi Dei, cætu, toto orbe terrarum disperso.* TVBINGENSIS

21. *Deinde accipitur pro particulari, certo loco, putà oppido aliquo, aut pago,cætu tali Ecclesiastico. Sicut Paulus scribit,Ecclesiæ,quæ Corinthi est, Galatiæ, Thessalonicæ &c.*

22. *Item quæ in domo aliqua est priuata sicut Philomeni scribit Apostolus, & quæ in domo ipsius est, Ecclesiæ.*

23. *Est & dicitur inuisibilis,quæ tantùm est electorum,de qua Apostolus dicit: Nouit Dominus qui sunt eius.*

Hæ quidem propositiones sunt omnes verissimæ,sed nihil oppugnant nostram assertionẽ 4. quam idcircò perperàm in margine citauit aduersarius.Neq; miretur hoc loco pius lector, quod Antagonista meus aliqua nonnunquam vera quoque dixerit. Nam id omnes sectarij pro more semper habuerunt,& nunc etiam habent,sicut & Pater eorum Diabolus,cuius desideria facere volunt, vt vera falsis, & sacra profanis plerunque misceant,nec mera nudaque mendacia semper proferant, sed frequenter nonnulla vera mendaciis suis inspergant, CATHOLICVS Marc. 5. Ioan. 8.

 quò

quò faciliùs aliquo saltem veritatis titulo vel prætextu, monstrosa mendacia rudibus & inexercitatis persuadeant. Etenim nisi tali, & perniciosissima mixtione vterentur, sed manifestos passim effutirent errores, nemo fidem illorum dictis vel scriptis vnquàm haberet, nemo subduceretur à Catholica veritate, nemo transferretur ab eo, qui nos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium, quod nō est aliud, nisi sunt aliqui, qui nos conturbant, & volūnt cōuertere Euangelium Christi: Sed omnes starent in fide, starent, inquam, & tenerent traditiones, quas didicerunt siue per sermonem, siue per Epistolam.

Galat. 1. 1. Cor. 16. 2. Thess. 2.

TVBINGENSIS

24. *Vnde rectè Ecclesiam definiunt, qui dicunt, esse Cætum electorum ad vitam æternam, de qua in Symbolo profitemur: Credo Ecclesiam, non video. Deus enim solus nouit, qui sunt eius. Quos elegit in Christo, antequam iacerentur fundamenta mundi.*

25. *Interim tamen non negamus, eandem Ecclesiam, etiam esse visibilem cætum, ciuitatem supra montem constitutam, quæ possit conspici, & exaudiri vox eius, vt homines ad eam, se aggregare possint.*

CATHOLICVS

Assert. 24. Assert. 25.

Manifestam aduersarius his duabus assertionibus contradictionem implicat, dum eâdē de Ecclesia, eodemq; planè respectu loquens, priore quidem eam inuisibilem, altera verò probat esse visibilem. Deinde perperàm illum articulum fidei torquet ad Ecclesiam, in qua soli sunt electi, cùm ad vniuersalem & Catholicam, in qua mali bonis permixti viuunt, Ecclesiam pertineat. Tùm eundem quoq; peruertit fidei articulum, dum ait: In Symbolo profitemur: Credo Ecclesiam, non video: Vt hinc inuisibilem Ecclesiā probet. Nam in Symbolo nō sic articulus ille, sed aliter habetur, nimirū: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, hoc est, eam Ecclesiam, quę Catholica dicitur, & est, credo solam esse sanctā, & ab hoc Spiritu sancto, in quem credo, sanctitate donatam. Nam etsi quiuis homo nō solùm Christianus: sed etiam Iudæus, vel Turca facilè sensibus percipere queat, Christi Ecclesiam esse in terris, sola tamen fide credimus, eam solam esse Sanctam. Aliôqui si iuxta falsam aduersarij persuasionem illa sit penit' inuisibilis Ecclesia, quam in Symbolo nos credere profitemur, sequētur aliæ plures & quidem absurdæ contradictiones, quas in his assertioni-

bus

bus ipse commisit, quarum prima est in assertione 25. vbi dixit, Ecclesiam esse visibilem cœtum, ciuitatem supra montem positam, quæ possit conspici, & exaudiri vox eius, vt homines se ad eam aggregare possint. Altera est in assertione 18. vbi dixit, quòd apud Ecclesiam Deus verbum suum deposuit. (nã quomodò verbum Dei nostris poterit sensibus percipi, si depositũ sit apud Ecclesiam inuisibilem?) Tertia est assertio 10: vbi ait: Ecclesiam testari de Deo ex verbo eius, Sacramenta administrare, docere, testimonium perhibere de Scriptura sacra, ostẽdere, quæ genuina sint Prophetarum & Apostolorum atque Euangelistarum scripta &c. Quæ quidem omnia hisque plura nullo modo possunt Ecclesiæ, si sit inuisibilis, conuenire. Cùm autem aduersarius omisit dictionem (sanctam) quæ tamen in Symbolo continetur, videtur significare hoc mysterio voluisse, cœtum illum, quem ipse definit, agnoscit, & sequitur, Ecclesiam quidem esse, sed Ecclesiam sanctam non esse.

Primã contradictio. Assert. 25.

II. Contradictio. Assert. 18.

III. Contradictio. Assert. 10.

Ecclesia aduersarij qualis.

TVBINGENSIS.

26. *Electorum enim Ecclesia, nonnisi in cœtu est vocatorum, hoc est, eorum, qui habent veras notas, Ecclesiam monstrantes, verbum nempe Dei, & legitimum Sacramentorum vsum.*

27. *Non enim immediatè Deus saluat ad vitam æternam electos, sed vtitur ad operandum eorum salutem, verbi & Sacramentorum à se institutorum ministerio in Ecclesia.*

CATHOLICVS.

Meritò dici potest hoc loco: ὕστερον, πρότερον, & currus trahit bouem, & inuersus, imò peruersus & præposterus est rerum ordo. Non enim Ecclesia per verbum Dei (quatenus ab hominibus illud ad cuiusque placitum, vt fit, vsurpatur) & per legitimum Sacramẽtorum vsum, sed è diuerso, per Ecclesiam, verum ac purum Dei verbum, quod nimirùm in vero, genuino ac germano eius sensu à Spiritu sancto per Ecclesiam nobis reuelato, consistit, & legitimus Sacramentorum vsus ritè cognoscitur. Igitur aduersarius contra Philosophorũ leges principia petit, & ignota sibi (Catholicis autẽ notissima) per ignotiora declarat. Quomodò enim potest fieri, vt per has aduersarij notas, quis Ecclesiam Dei veram cognoscat, cùm nec ipsas quidem notas nemo, nisi per Ecclesiam, cognoscere possit? Quod Augustinus manifestè docet his verbis: Euangelio non crede-

Assert. 6.

Aug. tom. 6. cont. epist. fundã. ca. 5.

crederem,nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret autoritas.
Vnde Christus (libet enim hic quædam assertionis 6.verba repetere) Ecclesiam, & Apostolos eorumq́ue successores audiri
iussit, quemadmodùm olim quoque Deus populo suo præcepit,vt in rebus controuersis nō Legem, sed Sacerdotes adirēt,
qui secundùm legem omnia diiudicarent. Quorum sententiã
ita ratam voluit haberi Deus,vt si quis superbus Sacerdotis imperio resisteret;is grauissimo mortis supplicio mox puniretur.
Quam ob rem si verus Euangelij sensus, sicut & ipsum Euangelium ab Ecclesia dependet, ab Ecclesia suam autoritatem
habet,ab Ecclesia nobis commēdatur,profectò NON ECCLESIA PER EVANGELIVM, SED E DIVERSO PER ECCLESIAM COGNOSCITVR VERVM EVANGELIVM. Idem est prorsus de legitimo Sacramentorum vsu iudicium: Quis enim potest ex mystica Christi apotheca petere salutaria curandis animorum morbis antidota,nisi priùs veram Christi apothecam probè nouerit? Porrò cùm Scriptura sacra non videatur apud omnes eadem,nec ab omnibus eodē sensu vel modo intelligatur,(quod hæreticorum hominum vitio & culpa contingit, non autem vllo defectu Scripturę sacræ,quam meritò tanq̃ sacrum Dei depositū cōmendamus,reueremur,& custodimus) seséque facilè permittat ab hominibus præsertim curiosis,quibus sua magis, quàm Ecclesiæ decreta placent,in omnem trahi partem: accidit, vt de vera Scripturæ intelligentia passim ac semper infinitæ sint natæ,& indies nascantur controuersiæ, quæ certè non à Scriptura, quam omnes sibi iuxta suum placitum vendicant, torquent & exponunt,sed à sola Christi Ecclesia, tanquam veritatis & pacis magistra,componi possunt,per verum videlicet Scripturæ sensum, quem apud eam Deus depositum perpetuò custodiri voluit. Verùm hic libet obiter aduersarium interrogare,vbinam hæ ipsius notæ fuerint ante 100. vel 200. annos? Nam liquidò constat,ante Lutheranismum non illud verbum, quod ipse prædicat, nec talem per omnia Sacramentorum vsum,qualem exercet, in Ecclesia Dei prædicatum vel vsitatum vnquam fuisse.In qua enim Ecclesia,vt de aliis Sacramentis nihil

Deut. 17.

hil dicam, ſine conſuetis ceremoniis fuit vnquam Baptiſmi Sacramentum publicè adminiſtratum? Vbi, vel à quibus Orthodoxis fuit vnquam Domini ſanguis ſine admixtione aquæ cõſecratus, vt alia ſimilia prætermittantur?

28. *Quòd verò frequens Scripturæ ſacræ vſus obtinuerit, vt Eccleſiæ nomine tantùm intelligantur Epiſcopi, qui ſunt præcipua Eccleſiæ capita, cuiuſmodi ſunt Prælati, id pernegamus.* TVBINGENSIS

Quod hoc loco pernegat aduerſarius, id luculenter certiſsimis & irrefutabilibus teſtimoniis comprobatum ac teſtatum efficiam. Cõſtat domum Iacob & filios Iſraël manifeſtum Eccleſię Chriſtianę, ac maiores etiam natu Prælatorum & Epiſcoporum typum geſsiſſe. Quemadmodùm igitur nomine domus Iacob & filiorum Iſraël non ſemper vniuerſus populus, vel Iſraëlitæ ſinguli: ſed nonnunquam maiores natu duntaxat ac ſeniores intelliguntur (quod euidenter apparet in Exodo, vbi Dñs ita Moyſen quidem alloquitur: Hæc dices domui Iacob, & annunciabis filiis Iſraël &c. Veruntamen de Moyſe dicitur, quòd venerit, & conuocatis maioribus natu populi expoſuerit omnes ſermones, quos mãdauerat ei Dñs &c. vt hinc abundè probetur, nomine domus Iacob & filiorum Iſraël, nõ vniuerſum populum: ſed maiores tantùm natu eo loco fuiſſe ſignificatos) Sic mirùm nõ eſt, ſi non ſemper Eccleſiæ nomine, congregatio fidelium omnium, ſeu totus populus Chriſtianus, ſed nonnunquam ſoli Pręlati vel Epiſcopi, vel Rectores & Præpoſiti veniant intelligendi. Nam cùm omnia in figura cõtigerint illis, nobis autem veritas exhibita fuerit, congruum videtur, vt ſicut aliis in rebus, ſic in hoc etiam nõ obſcuro myſterio veritas figuræ, & vmbra corpori ſuo reſpondeat. Quod etiam Euangelicis exemplis manifeſtiſsimum eſſe, comprobatur. Nam cùm Chriſtus delinquentem in nos, & non per fraternas correctiones reſipiſcentem fratrem ad Eccleſiam deferri præcepit, nequaquã Eccleſiæ nomine totum Chriſtianorum omnium cœtum: ſed Epiſcopos tantùm, & Eccleſiæ Pręlatos, ſeu Prępoſitos intelligi voluit. Nã fieri non poteſt, vt aliquis delinquentem fratrem, vel ad ſingulos ſigillatim fideles, vel ad omnes in vnum congregatos, vel ad Concilia tantùm generalia,

CATHOLICVS

Eccleſiæ nomine nõnunquam Epiſcopi vel Prælati ſeu Præpoſiti intelliguntur.

Exod. 19.

1. Corinth. 10.

Matth. 18.

lia,quæ nec ſemper celebrantur, vel etiam ad aliquam confuſam multitudinem deferat, quæ nullam iudicandi poteſtatem habeat. Quapropter Eccleſiæ nomine, voluit Chriſtus eos ſignificare,nobis audiendos eſſe, qui poteſtatem & Iurisdictionem Eccleſiaſticam habent, qui regunt Eccleſiam Dei,fratres delinquentes corripiunt, & religionis controuerſias componunt,quales ſunt Epiſcopi,aliiq́ue Prҫlati ſeu Prҫpoſiti. Quem profectò ſenſum longè veriſsimum eſſe,non ſolùm ipſa neceſſitas probat:ſed etiam omninò conuincunt;Chriſti Dñi verba, quibus exquiſitam ordinis obſeruandi & Eccleſiaſticæ iurisdictionis exercendæ,ac proceſſus quaſi Iuridici rationem dedit, atque præſcripſit. Nam primò fratrem peccantem, tanquam ex fraterna charitate ſolùm: deinde coràm paucis teſtib⁹ corrigendum voluit: Demùm ſi duobus prioribus correctionis modis emendari non poteſt,eum deferri prҫcepit ad Eccleſiã, id eſt:ad multitudinem fidelium non confuſam, ſed ritè ac ordine ſuo cõgregatam. Verùm,cùm Eccleſia ritè nec ſoleat,nec poſsit ad faciendum iudicium vel ſententiam ferendum, vel delinquentes corrigendos congregari,niſi per Epiſcopos,ſeu Præpoſitos ac Prælatos, tanquam Iudices Eccleſiaſticos, qui ordine quodam & ritu quaſi iudiciario ſecundùm præſcriptũ Dei procedant, neceſſum eſt, hoc loco per Eccleſiæ nomen eos intelligi,qui tanquam Prælati præſunt aliis,ac Iuris dicendi poteſtatem habent,quҫ ſanè multitudini confuſҫ nullo modo conueniunt. Hunc etiam ſenſum confirmat Apoſtolus, quando Timothæo præcepit, vt peccantes coràm omnibus argueret, vt & cæteri timorem haberent, nec aduersùs Presbyterum accuſationem acciperent, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Cùm enim Apoſtolus præceperit,vt peccantes ab Epiſcopo præſentibus aliis corrigantur, nec accuſatio Presbyteri (ab Epiſcopo videlicet) non niſi certo debitoq́ue modo ſuſcipiatur, manifeſtè ſequitur in cognoſcendis & corrigendis criminibus iudiciarium quendam ordinem obſeruandum præſcribi Chriſti verbis:quibus ait: Dic Eccleſiæ, hoc eſt, ſicut Diuus Chryſoſtomus, aliiq́ue Patres interpretantur, Eccleſiaſticis Præpoſitis,qui Eccleſiæ nomine poteſtatem & Iuriſdictione m

1. Timoth. 5.

Chryſoſt. Homel. 61. in Matth. Theophyl. & Euthym. in cap. 18. Matth. Baſil. ca. 30. conſlit. monaſt.

dictionem Ecclesiasticam habent & exercent. Quẽ porrò sensum illius loci germanũ & genuinũ esse, verba mox subsequẽtia penitùs conuincunt. Ait.n. Dominus non toti multitudini, sed Apostolis, eorumq; Successoribus tanq̃ Ecclesiasticis Prælatis: Amen dico vobis, quicquid ligaueritis super terram, erit ligatũ & in cœlo &c. ac si dicat: Adeò vestra potestas erit rata, adeò valebit Iurisdictio vestra, adeò non contẽnetur iudicium vestrum, vt quod super terrã vos iudicaueritis; id in cœlo sit ratũ futurum. Hãc Ecclesiasticã potestatem & Iurisdictionem D. Paulus tanq̃ Iudex & Prælatus Ecclesiasticus in Corinthiũ, qui vxore Patris abutebatur, Ecclesię nomine cõfidenter exercuit. Nam cùm is propter crimen illud ad Ecclesiam fuisset delatus, sic ait Apostolus: Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens eum, qui sic operatus est in nomine Dñi nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo Spiritu cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi hominem Satanę, in interitum carnis &c. Hoc exemplo perspicuè demõstratur, quomodò peccatores Ecclesiæ denunciati, ab ipsa Ecclesia, sed per Iudices Ecclesiasticos ad id deputatos, ritè corrigantur. Nã dũ ait Apostolus: Congregatis vobis & spiritu meo, cum virtute Dñi Iesu; significat legitimam Ecclesiã, cui fuerat ille Corinthius denunciatus. Quando verò dicit: Ego corpore quidem absens, præsens aũt spiritu iam iudicaui, vt pręsens, denotat Iudicem seu Prælatum Ecclesiasticũ, per quẽ Ecclesia iudicium suum exercet: Cùm aũt subiungit: Tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat &c. latæ sentẽtiæ formã explicat. Ecce quo nomine Ecclesiæ Pręlati vel Iudices Ecclesiastici nonnunq̃ hanc ob rem intelliguntur, ꝙ nimirùm per eos Ecclesia potestatem & Iurisdictionẽ suã exerceat. Vnde qui Prælatos ac Iudices eiusmodi non audit, ille dicitur Ecclesiam nõ audire, sed tanq̃ Ethnicus & Publicanus haberi. Neq;.n. aliter Ecclesia, nisi per legitimos suos Præpositos nobis loqui potest. Hinc etiam D. Petrus tanq̃ primarius Prælatus & Apostolorum Princeps, frequenter nomine totius Apostolicæ congregationis vel Ecclesiæ, respondisse legitur. Vnde tũ à D. Chrysostomo, tùm ab aliis Ecclesiæ Patribus os Apostolorum

1. Corinth. 5.

Ioan. 6.
Matth. 16. 17. 18.

lorum est nominatus. Hinc deniq;,cùm inter fideles primitiuos, cõtrouersia fuisset orta de circumcisione,cæterisq; legalibus, quæ per Ecclesiam erat componenda; non omnes mox fideles congregati sunt,vt eam diiudicarent.Nam licet Paulus

Actor.15. & Barnabas cùm Hierosolymam venissent,ab Ecclesia suscepti fuisse legantur; soli tamen Apostoli ac Seniores conuenerunt videre de verbo hoc. Ecce;quomodò per Apostolos & Seniores,Ecclesia controuersiam illam composuit?Quid igitur mirum,si Apostoli eorumq; Successores ac cæteri Seniores & Prælati, Ecclesiæ nomine nonnunquam appellentur, quando per eos Ecclesia potestatem ac Iurisdictionem suam exercet? Ex

Assert.15. his & aliis, quæ præcedenti quadam assertione de hac ipsa re, à nobis pertractata sunt,abundè constat; Ecclesiæ nomine tantùm Episcopos & Prælatos nonnunquam intelligi, quantúmuis id,sed ineptè, pernegauerit aduersarius.

TVBINGENSIS 29. *Sicut nec illud alterum concedimus,quòd penes hos solos sit,religionis ac fidei negotia discutere & pertractare.*

CATHOLICVS Quoniam aduersùs hanc assertionem in huius Apologiæ præfatione satis multa sunt à nobis dicta, quibus error hic abundè confutatur,duobus nimirùm in locis,vbi demonstrauimus de religionis ac fidei controuersiis ac negotiis cognoscere,iudicare ac decernere non ad sęculares Dominos,vel ad Laicos homines:sed ad Episcopos & ad Ecclesiasticos Prępositos ac Prælatos spectare; & quòd homines laici vel sæculares (quod pertinet ad fidei dogmata)non propriis,sed alienis Episcoporum ac Prelatorũ suorum oculis videre debeant,idcircò lectorem ad ista loca remitto, cùm non sit opus,hoc loco pluribus aduersarium confutare, quippe, qui locis suprà dictis tã copiosè, quàm verè crassissimi fuit erroris huius conuictus.

TVBINGENSIS. 30. *Episcopi certè,et Prælati soli,vel absq; Ecclesia,tã non sunt Ecclesia, quàm nec Rex absq; regno.Cùm respectum hæc ad se mutuum habeant.Quòd si pij sint,membra sunt Ecclesiæ veræ,sed non ipsi tota Ecclesia.*

31. *Nam quòd dicuntur Episcopi & Prælati repræsentare totã Ecclesiã, nihil hac fictione opus est,cùm totum corpus haberi posit. Cesset ergo repræsentatio illa laruata laruatorum Episcoporum & Prælatorum,qua Pontificiorum illorum miserorum oculi & mentes,tanquam fascino perstringũtur,*

vt in

vt in laruis istis perpetuò hæreant: nec aliam imaginari poßint Ecclesiam, quam fictam, quam non agnoscimus.

Proponit aduersarius hoc loco satis aptã, de Rege nimirùm ac regno similitudinem, quæ tamen, velit nolit, in suum ipsius caput etiam non retorta, facilè sua sponte recidit. Nam quemadmodùm Rex cũ Proceribus regni, licet cæteri subditi præsentes non sint, repræsentat regnum totum, quod in regiis comitiis aut conuentibus fieri solet, & eiusmodi cõuentus regna solent nuncupari, & quæcunq; in iis statuta fiunt, ea regia vel regnorum statuta dicuntur, & omnibus regnorum subditis publicantur, & à regnis recepta seruantur, & qui violat illa, regnorũ statuta violasse conuincitur: Sic res habet in Ecclesia. Nã quando Christi Vicarius, & D. Petri Successor, cæteriq; Prælati seu Episcopi conueniunt, licet non omnes adsint fideles, qui nec omnes adesse possunt, illi tamen, quamuis tota nõ sint Ecclesia, quasi cæteris fidelibus exclusis, totam tamen Ecclesiam repræsentant, & Ecclesię nomine funguntur, iuxta Christi mãdatum, Ecclesiastica potestate & Iurisdictione. Vnde, quęcũq; decernunt, statuunt vel pertractãt, non suo tantùm, sed Ecclesię totius nomine decreuisse, statuisse vel pertractasse cẽsentur. Quid ergo mirum, si nonnunq̃ Ecclesiæ nomine vocẽtur, cùm eorum decreta sint Ecclesiastica, & ad vniuersam Ecclesiã meritò pertineant? Cùm igitur sic res habeat (vt habet certissimè) nec aliter fieri queat, immeritò, sed pro sua libidine facit aduersarius, quando in his duabus assertionibus, illã repręsentationem, esse fictionem & Episcopos seu Prẹlatos laruatos suo more calumniatur. Ait enim ille, nihil opus esse hac fictione, cùm totũ corpus haberi posit. Si potest habere totũ Ecclesiæ corpus, ergo falsum est, quod suprà dixit, Ecclesiã videlicet inuisibilem esse. Sed quomodò totum corpus, obsecro, potest haberi? Nunquid aliquando fuerunt oẽs & singuli fideles in vnũ locum congregati? Vel an hoc etiam tempore fideles oẽs ex toto terrarũ orbe poterunt in vnum locum cõuenire, vt sic Tubingensis tanq̃ inimicus veritatis, Ecclesię denuncietur toti, quod manifestam veritatem verbis & scriptis impudẽter oppugnat, & tot animas ad æternã damnationem seducit? Videt pius Le-

CATHOLICVS

Ecclesiæ nomine Prælati nonnunquam intelliguntur.

Assert. 24.

ctor, quam ipse chymeram fingat, & quàm absurdus existat, dũ totum Ecclesiæ corpus in vnum congregatum ad ius dicendũ, ad Ecclesiasticam potestatem exercendam, & similia præstanda scribit, haberi posse. Cessent igitur illius ineptiæ pueriles, cessent delira somnia, quæ licet nullam veri speciem habeant, incautis ipse tamen obtrudit & venditat, tanquam Apollinis oracula. Cædat autem & libenter cædat manifestis Scripturæ sacræ testimoniis & exemplis, quibus iam est demonstratum, Ecclesiæ nomine, solos Prælatos & Episcopos nonnunquam intelligi & significari; non secùs, quàm Senatores nomine ciuitatis, & Proceres regni, pro toto regno, & Principes imperij, loco totius Imperij sæpè nominãtur; maximè verò cùm ad ius dicendum, vel ad condendas leges, aliaq; potestatis ac Iurisdictionis opera præstanda, conueniunt. Quòd si prætereà nec Ciuitas ficta, nec Regnum fictum, nec Imperium fictum est, cur aduersarius eandem ob causam calumniatur, Ecclesiam Catholicam esse fictam? Cur non potiùs videt, agnoscit ac fatetur, totum illud corpus esse fictum, (cùm re vera sit fictum & laruatum) nec vt ipse vult, vllo modo simul congregatum haberi queat? Cur denique non erubescit, Episcopos & Prælatos vocitare laruatos, quoniam repræsentant Ecclesiam, & eius

Actor. 15. nomine vocantur, & eius vice funguntur? Nunquid Apostoli & alij Præsbyteri fuerunt laruati, quando nomine totius Eccle-

Actor. 16. siæ conuenerunt videre de verbo hoc? Nunquid Paulus & Silas laruati fuerunt, quoniam cæteris fidelibus tradiderunt custodienda dogmata, quæ fuerant ab Apostolis & aliis Præsbyteris Hierosolymis decreta? Nunquid Patres & Prælati Concilij Niceni, & aliorum omnium tàm Oecumenicorum seu Plenario-

Aug. epist. 118. ad Ianuarium. cap. 1. rum (quorum tamẽ, Augustino teste, saluberrima est in Ecclesia autoritas) quàm etiam particularium Conciliorum semper laruati fuerunt? Quòd si dixerit, intollerabilem ipsi Luthero & Augustanę Confessioni, candidiùs de Conciliis sentiẽtibus, nedum Scripturæ sacræ faciet iniuriam: Sin verò negauerit, sicut illum facturum non dubito, cur ergo cæteros Episcopos & Prælatos, viros Apostolicos, Apostolorum successores, legitimos animarum pastores laruatos appellat?

37. Et

32. *Et Concilia totius Ecclesiæ sunt tribunal & iudicia, & non vnius tantùm partis. Ecclesiæ autem maior sunt pars Laici, quos sic vocant: quibus & Christus præcipit, vt sibi caueant à Pseudoprophetis: & Apostoli Ecclesiam monent, vt omnia probet, & etiam Spiritus, hoc est, Episcopos, Doctores, Prælatos ipsos. Quæ certè sine cognitione & diiudicatione fieri non possunt.* TVBINGENSIS

Rectè quidem ait Concilia totius Ecclesiæ tribunal esse, & iudicia, & nō vnius tantùm partis &c. sed hoc nimirùm sensu verum id est, quatenus Concilia totam Ecclesiam repræsentant, vt à nobis frequenter & necessariò dictum est, non autem, vt vult aduersarius, vt scilicet laici, qui sunt maior Ecclesiæ pars, omnes & singuli tanquam iudicaturi Conciliis intersint. Id enim, præterquam, quòd sit absurdum, nullo modo fieri potest, aut si putat aduersarius fieri posse, sicut fingit, proferat exemplum, quando vel vbi fuerint aliquando congregati fideles omnes ad causas religionis tractandas, aut exequendam Iurisdictionem Ecclesiasticam, & explicet modum, quo id, nō in Tubingensi Cætu; sed id Catholica & vniuersali Christi Ecclesia per totum terrarū orbem diffusa, fieri queat. Quem sanè modum si non posit ostendere (sicut nunquam, sat scio, poterit) non erubescat veritati locum dare. Neq; enim laicis, sicut ipse scribit, Christus pręcepit, vt sibi caueant à pastoribus vel Episcopis, seu legitimis & ordinariis Prælatis: sed à Pseudoprophetis & illegitimis & extraordinariis Prædicatoribus, qui non legitimè missi veniunt, sed tanquam lupi rapaces semetipsos ingerunt in oues alienas, vt eas mactent & perdant: Circa tales vitandos & Christus Dominus, & Apostoli pręmonuerūt fideles, nimirùm vt attenderent sibi à falsis Prophetis, nec omni spiritui crederēt: sed Spiritus probarent, an ex Deo sint: Non autem sicut perperam existimat aduersarius, vt laici iudicent Pastores, aut Prælatos suos, ordine videlicet præpostero, qui tàm naturali ac diuino quàm humano iure semper illicitus ac prohibitus fuit. Nam aliòqui contra naturalem rerum ordinem oues pastoribus, & filij parētibus, & subditi maioribus tanquam iudices præessent, vt nō dicam laicos, vt plurimum rerum sacrarū esse rudissimos, vt de illis iudicare facilè nequeant. Sed quoniam aduersarius laicis perperam applicat CATHOLICVS Matth. 7. Ioan. 10. 1. Ioan. 4.

1.Ioannis 4. hæc Apostoli verba: Nolite omni spiritui credere: sed probate Spiritus an ex Deo sint, vt inde concludat laicorum officium esse, de suis Pastoribus ac Prælatis iudicare, nouerit pius lector scopũ Apostoli non tã absurdũ fuisset, vt laici præpositos suos legitimos contra rerum ordinem iudicarent aut probarent: sed potiùs vt obseruarent atq; vitarent quosdam extrauagantes prædicatores, etiam in Ecclesia primitiua; qui cùm essent Pseudoprophetæ, cupiebant tamen pro veris haberi Prophetis, & idcircò quicquid dicebant, hoc se prophetico spiritu dicere iactitabant, more scilicet aliorum prophetarum, qui cùm Prophetię donum haberent, sępiùs illos admonens Apostolus ait: Nolite spiritum extinguere. Et alibi: Omnia probate. Et iterum: Vos æmulatores estis spirituum. Et ibidem: Spiritus Prophetarum prophetis subiecti sunt &c. Vnde nequaquam D. Ioannes prædictis verbis significare voluit, quod aduersarius infert; quasi quiuis Christianus habeat donum discernendi verum spiritum à falso, cùm D. Paulus manifestè dixerit non omnibus Christianis, sed quibusdam dari discretionem spirituum. Ne tamen à falsis Prophetis decipiantur fideles; D. Ioannes tria subiunxit certissima signa, quibus falsos à veris Prophetis discernere possunt. Primùm est, quòd Spiritus ille, qui confitetur Christum verum Deum & hominem, est ex Deo: at qui soluit Christum ex Deo non est. Hoc signo facilè quiuis fidelis Lutheranorum omnium; præsertim autem Tubingensis spiritum probauerit, qualis nimirùm ille sit, vnde veniat, quô vadat, quæue spiret. Nónne manifestè Spiritus ille soluit Christum: dum vnitatem Ecclesiæ Christianæ variis dissensionibus ac sectis diuisit? Nónne soluit Christũ in Eucharistiæ Sacramento, dum sub specie panis solum corpus, & sub vini specie solum Domini sanguinem contineri, & idcircò sub vna panis specie nõ integrum, sed dimidium ac diuisum Christum, si non omnium, certè plurimorum Lutheranorum spiritus contineri putat? Secundum signum est; quòd mali spiritus de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nam ea dicunt & prædicãt, quæ grata sunt homini veteri iuxta, illud Esaię dictũ: Loquimini nobis placentia &c. Et hoc profectò signum conuincit Lutheranorum & aduersarij malum & falsum esse spiritum

1.Thess.1. 1.Cor.14. 1.Cor.12.

Spiritus quomodò probandi, an sint ex Deo.

Vide Augustin. in hunc locũ B. Ioannis.

Esaiæ 30.

tum, cùm placentia loquens, non esse ieiunium necessarium, nec opera bona requiri ad salutem, nec à quibusdam cibis aliquando abstinendum, nec præcepta Dei seruari posse, nec votum castitatis obseruandum, nec carnem esse macerandã, nec vllam satisfactionem à nobis desiderari, sedulò prędicat, & inculcat. Est autem signum tertium discernendi falsum à vero Spiritu; vt nimirùm ille Spiritus sit verax, qui docet fideles, ne legitimos Episcopos & Prælatos suos contemnãt, sed audiant. Nam qui nouit Deum, ait Apostolus, audit nos, scilicet legitimos & ordinarios Pastores. Qui non est ex Deo, nõ audit nos. In hoc cognoscimus spiritũ veritatis & spiritum erroris. Cùm igitur Lutheranorum & Tubingensis Spiritus laicos & fideles non ad obedientiam Prælatorum ac legitimorum Pastorum, sed potiùs ad rebellionem excitet, necessum est, eum, non veracem sed fallacem & mendacem esse spiritum. 1. Ioannis 4.

TVBINGENSIS

33. *Et quòd Paulus (vnde Iesuita probare conatur, tantùm Prælatos suos & Episcopos pro Ecclesia Dei accipi) monet Ephesiorũ Episcopos, quos Deus ad Gubernationem Ecclesiæ suæ vocauerat, vt sibi & vniuerso gregi attendant, ne lupi rapaces ingruant, nequaquam illic Episcopi soli, Ecclesia, eamq́ue repræsentare dicuntur.*

34. *Sed eos, si pij sint, boni & sancti, synceri doctores, qui vigilantes, officium faciant, regentes nempe Ecclesiam, non suis somniis, figmentis, & commentis, vel traditionibus humanis, sed verbo Dei syncero & incorrupto, Episcopos vocat, quibus cura gregis, hoc est, Ecclesiæ committitur: & Ecclesiæ membra sunt, sed non ipsi soli, vera Ecclesia illic dicuntur. Cùm enim dixisset: Attendite vobis, statim immediatè (ne Iesuita eos totam Ecelesiam representare posset dicere) addit, & vniuerso gregi, qui est Ecclesia Christi. Quare manifestum crimen falsi hîc Iesuita admittit.*

CATHOLICVS

Vel aduersarius ita rudis est, vt germanam assertionis 4. sententiam non intellexerit: Vel certe ita peruersus, vt verbis meis, sensum alienum, qui nunquam in mẽtem mihi venerat, adeoq; falsi crimen affingere non vereatur. Quod cum ipse fecerit, quis non videt, quomodò ipsemet inciderit in foueam, quam fecit, & incurrerit hoc facto crimen falsi, cuius me, sed frustrà conatus est insimulare? Neq; enim in assert. 4. id agitur, vt ex verbis Pauli probetur; nomine Ecclesiæ nõnunquam solos Episcopos intelligi: sicut aduersarius falsò refert: Sed vtor illis

illis Apostoli verbis obiter occurrẽtibus, tanquam propriis, vt illis explicẽ, esse quædam sacræ Scripturæ loca, quibus Ecclesia pro Episcopis & Pastorib⁹ illis accipiatur, quales ab Apostolo prędictis verbis describũtur. Quę verò sint illa scripturę Sacrę loca circa finem assert. 4. non est difficilè cognoscere, & in hac Apologia dum confutatur assert. 28. copiosiùs declaratur. Et quomodò falsi crimẽ committere potui, istis nimirùm verbis: Et vniuerso gregi &c. cùm ea non prętermiserim, sed in ipsa assert. 4. luculenter expresserim, vt hinc constaret, quales illi sint Pastores, vel Episcopi, qui nonnunquam Ecclesię nomine sunt intelligendi? Quamobrẽ optimè quadrant hoc loco in ipsum aduersarium, ipsiusmet Calumnię, quas ille sequenti assertione in Catholicos petulanter congessit.

Actor. 20.

Assert. 35.

TVBINGENSIS 35. *Quid vero hæc ad Episcopos Romanos, & Prælatos Pontificios? qui (paucissimis demptis, qui benè sunt numerabiles) asini sunt ad lyram; Placẽtini omnes, coniurati & conductitij Pontificis Romani seruuli, imò mancipia, de quibus rectè illud dicitur:* ὄνῳ τὶς μύθορ ἔλεγε, ὁ δ' ὦτα ἐκίνει.

CATHOLICVS Vides pie lector hanc aduersarij propositionẽ merè contumeliosam esse, nec aliud, quã maledictã continere. Profectò nec difficile mihi foret, si sic conueniret, tã aduersariũ, quàm cæteros Lutheranos asinino venerari titulo, quo complures eorũ dignissimi videtur. Verùm, cùm in præfata Epistola mihi censuerim à maledictis cauendum esse, ne malum reddam pro malo, sed in bono malum vincam, id solùm dixerim; fruantur Lutherani, quo digni sunt, honore. Nec illorum contumelias vel maledicta quicquam curant Catholici, quippe, quæ in magnam eorum laudem & gloriam cædant, vt pius lector ex Epistola prædicta colligere potest. Nõ sanè parua est parumq́; gloriosa consolatio cuiuscunque nostrum, inquit B. Augustinus, si ab inimicis Ecclesiæ cum ipsa Ecclesia criminamur. Nec possunt teste D. Cypriano laudare nos, qui à nobis recedunt.

Aug. libr. de vnico Bap. cap. 6.
Cyprianus libr. 4. epist. 2.

TVBINGENSIS 36. *Et vt maximè illi vel ea præstarẽt eruditione, vt possent, aut si etiam vellent officium facere, & in Concilio cõtrouersias in causis religionis diiudicare: tamen si Romano Præsuli displiceat, irrita mox reddit illorum decreta, quòd sit supra Conciliũ, & omnia iura in scrinio sui pectoris habeat: Ad quid ergo, conciliis opus? Et quàm salubris est (vt hic nugatur Iesuita suauiter ex Augustino) Conciliorum illorum Papisticorum autoritas?*

Hoc

Hoc loco manifestè ſibi contradicit Aduerſarius: Nam ſuperiori quadam aſſertione dixit;cùm agitur de Eccleſia,non multitudinem Capitum,& Prȩlatorum (quam attribuit Eccleſiæ Papiſticæ)ſed paucos rectè ſentientes,intuendos eſſe, quòd ingens multitudo ſæpè erret, & maior ac peior pars ſuffragiorum, vincat meliorem.Hîc verò contrarium aſſerit,dum concedit, Capitum & Prȩlatorum multitudinem in Cōcilio,controuerſias religionis diiudicare poſſe,& paucos,videlicet,Roman. Præſulem in ſuo Conſiſtorio rectè ſentientes, calumniatur, quòd ille Concilij decreta confirmare præſumat; Deinde miratur,& malè fert Præſulem Romanum(tāquàm Chriſti Vicarium & D. Petri ſucceſſorem, & viſibile corporis myſtici caput,in terris) iure Diuino Concilijs præeſſe, & religionis controuerſias dijudicare,& Conciliorum decreta confirmare, vel etiam Conciliabulorum falſa dogmata reijcere. Verùm cur non potiùs miratur Lutherum, qui nullo iure, ſed autoritate, vel (vt rectiùs dixerim) temeritate priuata, & inconſulta præſumptione, non tantùm ſeſe iactitat eſſe ſupra omnia Concilia,ſed etiam (Vah hominis impudentiam) ſupra ipſos Angelos Dei?Hanc intolerabilem Lutheri ſuperbiam,& inſolentem arrogantiam,cur aduerſarius nō redarguit?Cùm eiuſdem ipſe ſit farinæ, & eâdem naui vehatur, nec erubeſcit alteri crimen obijcere,cuius ipſe ſibi conſcius eſt,comminationem Apoſtolicam audiat:In quo iudicas alterum,teipſum condemnas, eadem enim agis,quæ iudicas. Exiſtimas autem hoc ô homo, qui iudicas alios; qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An non aduerſarius illam Lutheri deteſtabilem iactantiam petulanter, non ſolùm imitari, vel æquare, ſed & ſuperare conatur, quando tàm Concilia quæcunque, quàm eorum caput viſibile, nimirùm Chriſti Vicarium, toties, ſed immeritò iudicat,calumniatur & damnat?An non id facit contra manifeſtum Dei Verbum: Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari? Qui vos tetigerit tangit pupillam oculi mei. Benedicam, benedicentibus, & maledicam, maledicentibus, vobis: Verùm id ſtudioſiſsimè Satanas per Satellites ſuos efficere ſolet, vt Sacerdotes Dei,præſertim

N verò

CATHOLICVS Aſſertio 17. Aduerſarij contradictio.

Lutherus lib. contra ſtatū Eccleſiaſticum & contra Regem Angliæ.

Lutherus ſupra Concilia & Angelos Dei.

Cur Aduerſarius nō Lutherum ſed Pont. Max. culpet. Roman. 2.

Tubingenſis æmulatur Lutherum.

Tubingenſis contra verbum Dei calumniatur Epiſcopos Catholicos Pſal. 104. Zachariæ 2.

Cur Satanas tantoperè curet vt Sum. Pont. contemnatur.

verò ſupremus Chriſti Vicarius, contemnatur,& in odium adducatur. Nouit enim hinc & hęreſes, & Schiſmata naſci,& obedientia ſublata, bonũ Eccleſię ſtatum & ordinẽ, turbari. Quod, cùm D. Cyprianus diligenti mentis indagine, ſecum perpenderet, in hæc verba locutus eſt: Neq; enim aliundè hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt Schiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos,& ad tempus Iudex vice Chriſti, cogitatur. Cui ſi ſecũdùm magiſteria diuina obtẽperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſùs ſacerdotum Collegium, quicquam moueret, nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coëpiſcoporum cõſenſum Iudicem ſe, non Epiſcopi, ſed Dei faceret; nemo diſsidio vnitatis, Chriſti Eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placens ac tumens, ſeorſum foris hæreſin nouam conderet, niſi (ſi ita eſt aliquis ſacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis) vt putet ſine Dei iudicio fieri Sacerdotem; cùm Dominus in Euangelio ſuo dicat: Nónne duo paſſeres aſſe veniunt, & neuter eorum cadit ſuper terram ſine Patris voluntate? Ex hac Cypriani ſententia, facilè pius Lector intellexerit, quis & qualis ſit Aduerſarius, & quid, quóue conſilio ac fructu faciat; quando Præſulem Romanum tàm petulanter calumniatur ac proſcindit, id, quòd ſibi placens ac tumens, ſæpiſsimè facit. Ad eundem ſenſum ac modum, idem Cyprianus alibi ſcripſit: Inde Schiſmata & hæreſes obortæ ſunt & oriuntur, dum Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur,& Homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur. Quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio, ad cognitionem ſuam Præpoſitos & Sacerdotes vocare? &c. Vides ô Tubingenſis, quemadmodùm Cyprianus, te tuique ſimiles & omnes in vniuerſum ſectarios ad viuum, quales ſint expreſſerit, & quàm pernicioſos, in Eccleſia nimirùm, hæreſium & Schiſmatum fructus propterea ſemper proferant, quòd ſacerdoti Dei, non ſolùm non obtemperent, ſed etiam contradicant & obmurmurent. Sed quid miraris vel potiùs calumniaris Præſulem Romanum, quòd ille Conciliorum decreta confir-

Cyprianus epiſt. ad Corneliũ quæ eſt epiſtola 55. vel . libri primi.

Aurea Cypriani ſententia.

Sacrilega temeritas & mens perdita circa Sacerdotem Dei.

Fructus calũniarum Aduerſarij.

Epiſt. ad Florentium Pupianũ de obtrectatorib. quę eſt epiſtola 69. vel . libri quarti.

Homo contemnit Sacerdotem quem Deus honore dignatur.

Arrogantis et ſuperbi eſt, Sacerdotes iudicare.

Sectarij quales ſint, & quos proferant fructus in Eccleſia.

confirmet? Nónne quemadmodùm corpus ἀκέφαλον, ſuoque deſtitutum capite ſubſiſtere non poteſt, ſed vt certè ſubſiſtat, neceſſariò à capite ſuo regitur, dirigitur & conſeruatur; ſic Concilium ſi non autoritate ſummi Sacerdotis regatur, tanquam Capite priuatum, non Concilium, ſed Conciliabulum cenſetur, & errare poteſt: Sin autem à Capite legitimè cōgregatum dirigatur & confirmetur, tanquàm integrum corpus capiti adhærens; verum eſt Concilium, veraque Decreta confirmat? Quemadmodùm abſurdiſsimum eſt, corpus à Capite ſeparare, & nihilominùs corpori ſic auulſo vel truncato, Capitis actiones attribuere: Sic nullum prorſus abſurdum apparet, imò planè neceſſarium eſt, affirmare; Summum Pontificem, eſſe ſupra Concilium, non ſecùs, quàm Caput ſupra corpus eſſe dicitur. Nec ineptè minùs irrides Papam, quòd omnia iura, ſcilicet, Canonica & humana ſeu poſitiua in ſcrinio ſui pectoris habeat, vt nimirùm ea tanquàm fidelis & legitimus diſpenſator myſteriorum Dei, poſsit interpretari, & immutare, pro vt locorum ac temporum ratio, vel etiam fidelium vtilitas poſtulat. Quo ſenſu quoque, nec immeritò dicitur Imperator, in ſcrinio ſui pectoris habere omnia iura ciuilia, quòd habeat poteſtatem ea interpretandi, & mutandi, quando neceſsitas ita requirit. In quo, ſi non poteſt Aduerſarius, ſicut veriſsimè non poteſt, Imperatorem calumniari; cur, obſecro, Sacerdotem Dei ſic, quaſi naſo ſuſpendit adunco? Quòd ſi modus hic loquendi Iuridicus (omnia iura habere in ſcrinio ſui pectoris) illicitus & culpabilis eſt, cæteris paribus in vtroque culpetur: Quòd ſi culpa vacat, ac ſanam habet intelligentiam, cur in Sacerdote Dei magis, quàm in Imperatore culpatur? Sed quarè nec erubeſcit Aduerſarius, auream longeque veriſsimam Diui Auguſtini ſententiam irridere, qua nimirùm ille Conciliorum in Eccleſia ſaluberrimam autoritatem dixerit? Video quorſum tendat Tubingenſis. Propterea ſcilicet, Conciliorum autoritati detrahit, quòd ab illis ſibi, nec immeritò metuat, cùm per Concilia ſemper hæreſes damnatæ ac profligatæ fuerint, quemadmodùm id ſuprà pluribus demonſtratum eſt.

Papa quomodò ſupra Concilium eſſe, intelligatur.

Papa quomodò iura omnia in ſcrinio ſui pectoris habeat.

Cap. 1. de Conſtitutionib. lib. 6.

1. Cor. 4.

Codice de Teſtamentis Lege. Omnium.

Auguſt. Epiſt. ad Ianuarium 118. cap. 1.

TVBINGENSIS 37. *Sic nec illud alterum quicquam ad institutum facit; quòd asserit, Maiores natu domus Iacob, totum filiorum Israël cœtum repræsentasse. Exod. 19.*

38. *Illic enim Moyses iubetur referre mandata Dei domui Iacob, & annunciare filijs Israël, quòd Deus ipsos in peculium elegerit, ideoq; vocem ipsius audiant & pactum custodiant. Moysen porrò mediatè & ordinariè id executum, conuocatis maioribus natu populi, exposuisse omnes sermones, quos Dominus mandauerit, qui posteà hæc ad vniuersum cœtum referant.*

39. *Nam quomodò Moyses, si maximè Stentoream habuisset vocem, exaudiri ab innumera ista multitudine potuisset? Itaq; necessitate coactus, maiores natu conuocauit, quibus mandata Dei exposuit. Hi porrò ad suos contribules retulerunt, qui vicissim plebiscitum posteà ad Moysen.*

CATHOLICVS Assert. 28. Locus ille Scripturæ sacræ citatus ex Exodo de domo Iacob maximè facit ad præsens institutum. Quod cùm superiùs abunde sit demonstratum, non iterum, nec pluribus nunc verbis ista disputatio repetenda videtur. Itaq; pius Lector videat Assertionis 28. confutationem, vbi multis Scripturæ sacræ testimonijs, nedum hoc ipso domus Iacob exemplo, conuincitur, per frequentem vsum Scripturæ sacræ pridem obtentum id fuisse, vt Ecclesię nomine, non semper omnes fideles, sed aliquando Rectores, Episcopi & Prę lati duntaxat & necessariò intelligantur.

TVBINGENSIS 40. *Porrò septuaginta isti Seniores, nec Episcopi, nec Sacerdotes, aut Prælati, quos sic vocant, fuère Pontificij, neq; etiam ex tribu Leui, sed ex reliquis tribubus Israël. Cùm his Moyses Concilium celebrauit, & de religione, fidei negotijs, ac cultu decernunt. Quod maximè contra Iesuitas facit, qui ad solos suos Prælatos & Episcopos pertinere hæc asserunt.*

CATHOLICVS Isthæc assertio valdè perplexa videtur & varijs obscuritatibus, ne dicam, absurditatibus plena, cùm non constet, ex quo Scripturæ locò sit desumpta. Nam si loquitur, sicut apparet, de maioribus natu, quibus Moyses exposuit sermones Domini; (Exod. 19.) quæritur ab aduersario, vnde probet eos 70. Seniores fuisse, & quòd Moyses cum eis Concilium celebrârit, & de religione, fidei negotijs ac cultu decreuerit? Neque enim his de rebus vel vnum Iota Scriptura commemorat. Quòd si 70. Seniores in- (Exod. 24.) telligat eos, qui cum Aaron, Nadab & Abiu ascenderunt in

montem,& viderunt Deum Iſraël,&c. Et hîc quæritur: Vbi,vel quando Moyſes Concilium cum eis de Religione ac fidei negotijs celebrârit? Imò nec eo tempore,nec aliàs vnquam Moyſes cum 70. Senioribus de religione quicquam decreuit, nec deliberauit quidem. Nam de ijs,quæ pertinebant ad religionē & cultum Dei,Moyſes non indigebat humano conſilio, cùm immediatè hæc ab ipſo Deo cognoſceret, vt patet de blaſphemo,& de colligente ligna in Sabbato. Vnde Seniores illi Moyſen tantùm in adminiſtratione ſeu gubernatione politica,& in controuerſijs ac iudicijs ciuilibus iuuabant,idq; ſecundùm legem Domini. Nam Iſraëlitæ habebant non tantùm à Deo præſcriptas certas cæremonias,quas in cultu Dei ſeruarēt, Verùm etiam politicas ac ciuiles leges in ipſis Scripturis expreſſas,ſecundùm quas Seniores iudicabant, Sed in quæſtionibus & caſibus difficilioribus recurrebant ad Moyſen vel ad Sacerdotes Dei,vt conſtat Exod. 18.& 24. & Deuter. 17. & 2. Paral. 19. & Leui. 10. Deut. 21. Ezech. 44. Agæi 2.& Malach. 2. Ergo,quæ dixit Aduerſarius,minimè conueniunt illis 70. Senioribus. Si denique reſpexit eos 70. Seniores,quibus Dn̄s de ſpiritu Moyſi donum ac ſpiritum prophetiæ cōmunicauit, qua ratione probat eos nec Sacerdotes nec Pontificios nec ex tribu Leui fuiſſe. quandoquidē Aaron iam Pontifex conſtitutus,& Leuitę cultui ac miniſterio ſacro deputati erant,ac Deo miniſtrabant?

Leuit. 24. Num. 15. Num. 11.

41. *Sint ſanè & dicantur Epiſcopi,et Paſtores Eccleſiarum,Capita,Prælati, Præpoſiti, Paſtores; ſed faciant officium, paſcant & regant Eccleſiam fidei ſuæ demandatam verbo Dei ſyncero, Sacramenta legitimè,ſecundùm inſtitutionem diuinam adminiſtrent; Baculo & Virga paſtorali vtantur. De titulis & appellationibus non odioſè litigabimus cum eis, vel quoquàm, ſed agnoſcemus & recipiemus eos.* TVBINGENSIS

CATHOLICVS

Benedictus Dominus, cuius gratia tandem illuminatus Aduerſarius dat gloriam Deo, veritatem agnoſcit, fatetur agnitam,ac Pontificios Epiſcopos,Prælatos, Præpoſitos, & Paſtores tanquàm veros ac legitimos Chriſti miniſtros recipit ac prædicat, dummodò faciant officium ſuum. Iſthuc ô Tubingenſis conſtantèr & mordicus retine,nec à tam pia veritate reſilias. Non equidem te nunc interrogabo,cur hactenus omnes

Aduerſarius hic agnoſcit & recipit legitimos Epiſcopos.

Pontificios paſtores & Epiſcopos ſiue bonos, ſiue malos, ſiue facerent ſiue negligerēt officium, tot ac tantis calumnijs oneratos proſcideris? Verùm, cùm iam inter nos optimè cōueniat, Pontificios, vt vocas, eſſe veros Epiſcopos, Prælatos, ac Præpoſitos, ſi faciant officium; videris mihi tamen fraternè admonēdus, vt & hunc quoq; deponas errorem, ne videlicet propterea legitimum contemnas & abijcias Epiſcopum & Paſtorē tuum, ſi fortè tibi, qui non eius Iudex, ſed ouis es, minimè videatur officium facere. Nam ſi tibi non licet iudicare ſeruum alienum, quantò minùs Paſtorem & Epiſcopum & Præpoſitum tuum iudicare potes? Nôſti præpoſterum eſſe modum & ordinem, imò peccatum grauiſsimum, quod nō humano ſolùm, ſed diuino quoque & naturali iure feriò prohibetur, ne filij Parentibus, nec Paſtoribus oues, nec ſubditi Magiſtratibus ac Iudicibus ſuis ſeſe præferentes, leges præſcribant ac petulanter inſultent. Quod Aduerſarius frequenter aſſertionibus ſuis fecit. Sed tandem vel naturali lumine doctus facere deſinet, niſi vir perfrictiſsimę frontis eſſe, & omnem omninò pudorem deponere velit. Sed eſto, quòd apud pleroſq; Pontificios Prælatos, nonnulli ſint abuſus, nec omnes, ſicut oporteret, dignè vocatione ſua ſemper ambulent, (quod profectò non excuſamus, ſed plurimùm deteſtamur ac dolemus) cur non potiùs taxas ac redarguis ſectariorū abuſus, qui vt etiam veſtri teſtantur, longè plures, ac grauiores cernūtur? Cur feſtucas vides in oculis Pontificiorum, & in hominum rebellium & apoſtaticorum oculis, denſas ac ſqualidas trabes non vides? Cur non obſeruas vitam & mores eorum, qui tanquàm fœdifragi promiſſam Deo fidem non ſeruârunt, qui celebrârunt nuptias inceſtas, qui Sacramenta prophanârunt, corruperūnt Scripturam ſacram, Dei cultum & iuge Sacrificium abiecerunt, introduxerunt libertatem carnis, Eccleſiæ pacem turbârunt, & mille Schiſmata, ſectas & hæreſes inuexerunt, vt nullus apud ipſos nunc ordo, ſed mera confuſio, ac rerum omnium perturbatio cernatur? Verùm ne videamur abuſibus vtrinque decertare, vel abuſibus abuſus opponere; quod modò ſpectat ad religionem Catholicam, certè perperàm carpit Aduerſarius, quando propter

Aduerſarij grauiſſimus abuſus.

Rom. 14.

Præpoſterus & inuerſus ordo.

Luth. in Poſtilla domeſtica ſuper Domin. 1. Aduentus ſerm. 2.
Schmidelin. concione 4. de planetis.
Andre. Muſculus in lib. de propheta Chriſti.
Aduerſariorum abuſus.

pter

pter hominum quorundam vitia, quæ meritò culpanda sunt, abijcit ipsam fidem & pietatem, quæ sicut non ab hominibus, sed à Deo suam habet originem ac dependet; sic illa sanctissima semperque verissima manet, nec debet propter hominum abusus ac scandala contemni vel abijci, vel pati contumeliam. Hinc certissimum illud Augustini, & aliorum Patrum dictum prodijt: Abusus non tollit substantiam rei. Hinc idem Augustinus grauiter & meritò redarguit Donatistas, quòd illi vim Euangelij & Sacramentorum efficaciam, dependere crederent à ministrorum dignitate ac sanctimonia, quæ soli DEO nota est: atque sic tàm Sacramenta, quàm cætera fidei mysteria nobis incerta redderent. Hinc Diuus Chrysostomus nos admonet, vt in rebus sacris non eum, qui ministrat, sed potiùs ipsum spectemus Christum, qui potest suam nobis gratiam per malos quoque ministros concedere, quemadmodùm aqua, quæ desuper ad rigandos hortos conceditur, æquè bona & efficax manet, siue per argenteos siue per ligneos canales ad nos defluat. Nónne per Balam Prophetam, licet ipse non esset candidus nec integer, sed mercede corruptus, cùm populo Dei maledicere vellet, Dominus populo propterea, quòd esset Propheta non maledici sed benedici permisit? Nónne Dominus per Asinam est locutus, vt vel hoc sciremus exemplo, gratiam Dei non à ministrorum dignitate vel sanctimonia dependere, sed à bonitate ac promissione DEI, qui voluntatem suam per Organa vilissima frequenter exequi nouit? Nónne Saul improbus erat Rex, cùm Dauidem innocentem persequeretur, & nihilominùs cùm veniret ad cumulum prophetarum, in quo Dauid erat, prophetauit & ipse coràm Samuele? Quin & Dauid sanctissimè cauit, ne manus extenderet in CHRISTVM Domini. Quis (ait enim) extendet manus in CHRISTVM Domini, & innocens erit? Ergo licet Pontificij Prælati peccatores nonunquam sint, non tamen propterea desinunt prophetare, nec illicò sunt abijciendi: multò minùs autem, est propter eorum peccata, Fides & Religio Catholica deserenda. Certè Pharisæi & Scribæ, temporibus Herodis erant peccatores, qui nihilominùs

[Margin notes: Augustinus. / Augustinus epistola 166. / Homilia 60 ad populum Antiochenum, Tom. 5. & Homilia 85. in Ioan. Tom. 3. / Num. 22. / 1. Reg. 19. / 1. Reg. 24. et 26. / Matth. 2.]

nùs conſulti; Vbi Chriſtus naſceretur, rectè dixerunt:In Bethlehem Iudæ, ſicut & Caiphas, quamuis eſſet homo perditiſsimus,cùm tamen eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, ſic expedire vt vnus homo moreretur pro populo,&c. Vnde liquidò conſtat, peccata Pontificiorum Sacerdotum nihil obſtare, quò minùs Deus ratione miniſterij per eos veritatem nobis reuelet,& idcircò,cùm à veritate non deficiunt,licet ipſi turpiter viuant, audiendos tamen eſſe: Quod expreſsis verbis præcepit ipſe Dominus,cùm ait:Supra Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi:Omnia ergo quæcunque dixerint vobis,ſeruate & facite, ſecundùm opera verò eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. Itaque ſi Dominus Phariſæorum doctrinam ſeruandam præcepit, quòd illi ſederent ſuper Cathedram Moyſi, licet bonæ Doctrinæ non reſponderet eorum vita,quantò magis vult à nobis ſeruari doctrinam Epiſcoporum & Prælatorum Pontificiorum (quos Aduerſarius iam legitimos Epiſcopos, Prælatos & Præpoſitos eſſe conceſsit) qui ſedent ſuper Petri Cathedram, quamuis eorum ſanctimonia nō ſemper vocationi reſpondeat? Fides & Doctrina ſeu veritas Catholica,adeoq; purum Dei verbum, nō illorum, ſed Chriſti eſt, nec ab eis ſed à Chriſto nobis venit, nec illorum moribus contaminatur, ſed Chriſti prudentia (licet per homines peccatores) ſalubriter nobis communicatur. De peccatis ſuis,quę non incommodant nobis, ipſi rationem ſunt Deo reddituri, quemadmodùm & illi grauiſsimum Dei iudicium ſuſtinebũt, qui propter abuſus Cleri,qualeſcunq; ſint illi,veram Deī fidem ac Catholicam doctrinam deſeruerunt.

Ioannis 11.

Matth. 23.

Fides Catholicorum propter abuſus non eſt relinquenda.

TVBINGENSIS 42. *Hinc tamen non ſequetur quod vel ipſi ſoli duntaxat,pro Eccleſia tota accipiantur, vel quòd ad ipſos ſolos dijudicatio controuerſiarum & dogmatum pertineat,in eoq́ non errent.*

CATHOLICVS Sæpiùs aduerſarius recantat eaſdem,ſed abſurdas cantilenas, quas idcircò præcedentibus & pluribus quidem locis, pius Lector abundè confutatas & exploſas à nobis videre poteſt. Nam quemadmodùm ille,ſuperiùs aliquoties (vt de præſenti loco nihil dicatur) conatus fuit aſtruere nomine Eccleſię, nunquàm Epiſcopos & Prælatos duntaxat accipi: ſic iiſdem

Aduerſarius eadē ſæpè repetit.

Aſſert. 28. & 37.

locis

locis contrarium luculentißimè demonstrauimus. Et ficut ipse in præfatione sua, & assert. 29. (sicut & hoc loco) tractationem ac diiudicationem controuersiarum religionis ac dogmatum fidei, ad laicos homines pertinere, nullis nec rationibus, nec Scripturis, nec Patrum testimoniis subnixus, leuiter asseruit, ita locis iisdem non solidè minùs, quàm copiosè declarauimus; ad Episcopos & Prælatos, tanquā ad Ecclesiasticos & quidē ad legitimos & ordinarios Iudices, religionis cōtrouersias ita spectare, vt eas ex officio cognoscere & diiudicare poßint ac debeāt. Quòd verò, quâue ratione nec erret Ecclesia sic dicta, luculenter ostensum est in confutatione Assert. 12. Assert. 12.

TVBINGENSIS

43. *Habet quidem Ecclesia Christi in terris militans, insignes promißiones de gubernatione Spiritus sancti, & præsentia filij Dei perpetua. Sed primùm, hæc quid ad Episcopos, quos pro Ecclesia Christi non agnoscimus (de quo paulò pòst) nec pro Episcopis, cùm nec poßint, nec velint, officium facere. Et sic nomen inane, crimen immane secundùm D. Ambrosium.*

CATHOLICVS

Rectè quidem aduersarius nobiscum profitetur Ecclesiæ promißiones & in ea perpetuam filij Dei præsentiam: Veruntamen ineptißimè miratur & petit; quid hæc ad Episcopos? Nónne Christus Apostolis eorumque successoribus, hoc est, Episcopis, Spiritum sanctum toties promisit? Nónne Apostolis & Episcopis dedit potestatem remittendi retinendiq; peccata super terram? Nónne Christus peculiariter (quod magnū sanè priuilegium est) orauit pro Petro eiusque successoribus Pontificibus, ne illius & illorum fides vnquam deficeret? Nec enim soli Petro, sed eius quoque successoribus hæc promißio necessariò facta est, nimirùm ad consummationem Sanctorū, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatē fidei &c. Veruntamen ingenuè fatemur, tot & tàm excellentes promißiones non Apostolis & Episcopis ac Præpositis propter eos tantùm esse factas, sed ad vtilitatem Ecclesiæ totius, ad quam regendam eos posuit Spiritus sanctus. Atque vt tutiùs & faciliùs ac certiùs eam regant, factę sunt hę promißiones Apostolis & Episcopis ad ipsorum, & ad Ecclesiæ salutarem vsum. Nec tamen negamus easdem promißiones, Ecclesię quoq; factas esse, sed ita, vt p Apostolos

Promißiōes Christi maximè spectāt ad Episcopos. Ioan. 14. 16. Matth. 18. Ioan. 20. Lucæ 22. Promißiōes Christi factæ Petro necessariò pertinent ad eiꝰ successores. Ephes. 4. Actor. 20. Quomodò Christi promißiones Episcopis & Ecclesię factę dicuntur.

O &Epi-

& Episcopos tanquam legitimos Dei ministros executionem sortiantur, non secùs, quàm recta ratio, quæ licet toti homini diuinitus concessa sit, per deputata tamen certaq; membra & nō aliter hominem regit ac moderatur. Verùm hoc loco pius lector, obseruet, quot & quàm crassos errores paucis verbis aduersarius commiserit. Episcopos pro Episcopis non habet, quando non faciunt officium suum, qui Vvaldensium & Vviclefistarum antiquus & absurdus error, pridem est confutatus. Aliôqui nec Imperator esset Imperator, nec Rex esset Rex, nec Princeps esset Princeps, nec Iudex esset Iudex, nec Consul esset Consul, nec Sacerdos esset Sacerdos, quando non faciunt officium. Et quid absurdius dici potuisset; quàm Episcopos nec posse nec velle officium facere? Quid obstat, quæso, cur nec possint nec velint? Nónne plurimi fuerunt & etiámnum sunt Episcopi, qui facere possunt & volunt, imò re ipsa faciunt officium? Nouimus, quàm docti & excellentes & multi Episcopi fuerint in Concilio Tridentino, & nunc passim, resideant suis in locis, qui vel in vno digito plus ingenij, doctrinæ, sapientięque, quàm aduersarius, cum asseclis suis, in totis corporibus habeant, quod hoc loco diffiteri non debui, cùm sit longè verissimum.

Aduersarij plures & crassi errores.

Concil. Constantiense sess. 8. artic. 15.

TVBINGENSIS 44. *Deinde promissiones illæ nō sunt absolutæ, sicut etiam non ad quemuis cœtum pertinent, sed tantùm ad veram Christi Ecclesiam: Ita certis limitibus sunt circundatæ, quatenus scilicet verbo Dei sunt conformes, eoque se regi patiuntur.*

CATHOLICVS Enormem ac intolerabilem hoc loco blasphemiam aduersarius turpiter in Deum commisit, quando dixit ac defendit Dei promissiones Ecclesię, tanquam priuilegia quædam & prærogatiuas peculiariter concessas, non absolutas sed limitibus certis circundatas esse: Quatenus scilicet verbo Dei sunt conformes eoque se regi patiuntur. Quam sanè blasphemiam nónne manifestè damnauit Apostolus, quādo Iudęos grauiter redarguit, quòd promissiones Dei nō absolutas, sed ad certas incredulitatis humanæ limites astrictas putarent? Nunquid (ait enim) incredulitas illorum, fidem Dei euacuauit? Absit. Est autem Deus verax; Omnis autē homo mendax, sicut scriptum est: vt

Aduersarij manifesta blasphemia.

Rom. 3.

est: vt iustificeris in sermonibus tuis & vincas cùm iudicaris. Itaq; sicut illi Iudæi, propter quorundam incredulitatem, Dei promißiones ore blasphemo dicebant irritas; Deum quasi mendacem culpantes: Sic aduersarius Christum non absque magna blasphemia pronuntiat mendacem, quando promißiones Ecclesiæ factas non absolutas, sed incertas aut certis limitibus alligatas defendit. Putátne bonus vir irrita fore, quæ procedunt de ore Dei? putátne Christum ioco aut falsò dixisse: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt? putátne Triumphatorem Israël contra verbum Dei parcere ac pœnitudine flecti? Verùm vt pius lector rem hanc meliùs intelligat; obseruet duplices esse Dei promißiones, quas nobis scriptura Sacra paßim explicat & commendat: Quædam non sunt absolutè, scilicet ex parte nostra, sed limitibus certis astrictæ, quæ plerunque procedunt ex Dei comminatione, & ad hominis iustificationem spectant, nec semper implentur; de quibus per Prophetam ait Dominus: Si pœnitentiam egerit gens illa, à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei. Et subitò loquar de gente, & de regno, vt ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, & non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum, vt facerem ei. Sic, licet Dominus iam disposuisset subuertere Niniuen: Adhuc quadraginta dies, & subuertetur Niniue; quoniam tamen egerunt pœnitentiam, & vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitia; quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit. Et alibi: Orabunt pro impietatibus suis, & recordabor fœderis mei &c. Aliæ verò promißiones Dei, sunt prorsus immutabiles & absolutæ, à nullis conditionibus vel limitibus dependẽtes, & suum effectũ semper habent, quantúmuis homines id nõ omnes promerentur, sed grauißimè peccent. Nam illæ promißiones nõ respiciunt pœnitentiam hominũ aut humana merita, sicut præcedentes, sed ex immutabili & æterna Dei dispositione, ac prædestinatione seu proposito atq; cõsilio procedunt, & plerunq; spectãt ad singularia quædam priuilegia, nec omnibus conceduntur.

Rom. 3.
Psal. 88.
Matth. 24.
1. Reg. 15.
Promißiones Dei Duplices.
Promissiones quędam conditionales.
Ierem. 18.
Ionæ 3.
Promißiones quędam absolutæ & immutabiles.
Leuit. 26.

Eiuſmodi eſt promiſsio Abrahæ eiusque filiis & ſemini ſeu Iudæis de futuro Meſsia facta, quam Deus (nihil obſtantibus Iudæorum peccatis) iuramento confirmauit, vt impleretur: Per memetipſum iuraui, dicit Dominus; quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris; poſsidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur in ſemine tuo, omnes gentes terræ, quia obediuiſti voci meæ. Hæc Dei promiſsio fuit abſoluta, & ſuum habuit effectum quãtúmuis increduli eſſent plurimi, nec tantum Dei beneficium agnoſcerent, ac in ſuis inſuper ſceleribus perſeuerarẽt. Eiuſmodi ſunt Dei promiſsiones, quas Apoſtolus propter Iudæorum incredulitatẽ non irritas fore probat. Nunquid incredulitas illorũ fidẽ Dei euacuauit? Abſit. Eſt autem Deus verax &c. Eiuſmodi etiam ſunt Chriſti promiſsiones, Eccleſiæ Catholicæ factæ, nimirùm, vt mitteret alium Paraclœtum, Spiritum veritatis, qui in ea maneret in æternum, & eam omnem veritatem doceret; vt Chriſtus in ea maneret vſque ad conſummationem ſæculi, nec Petri & eius ſucceſſorum in Eccleſia fides vnquam deficeret, nec portæ inferorum aliquando preualerent aduerſus Eccleſiam, ſuper Petram, iuxta Chriſti promiſsionem, ædificatam, vt ſit Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis: Vnde nec in fide poſsit errare. De eiuſmodi promiſsionum abſoluta & euidenti certitudine, varia ſunt ſcripturæ Sacræ teſtimonia. Non eſt Deus, quaſi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis vt mutetur, locutus eſt & non faciet? Dixit & non implebit? Item: Fidelis Deus, ſeipſum negare non poteſt. Item: Qui ſedebat ſuper eũ, vocabatur fidelis & verax. Item: Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis. Vnde, qui promiſsiones eiuſmodi non abſolutas, ſed limitibus certis circundatas, vt facit aduerſarius, affirmat, contra manifeſtum Dei verbum, fidem eneruat, Dei promiſsiones ſacrilegè reuocat, Deum ipſum fidelem & veracem negat, & ore blaſphemo mendacem pronunciat. Inſuper, pius lector notet aliam inſulſam abſurditatem, quam aduerſarius commiſit verbis ſequentibus, quæ nõ diligenter examinando, quid

Genesis 22. Hebr. 6. — Rom. 3. — Ioan. 14. 16. — Matth. 28. — Lucæ 22. — Matth. 16. 1. Timoth. 3. — Num. 23. 2. Timoth. 2. — Apocal. 19. Psal. 144. — Aduerſarij blaſphemia. — Aduerſarij quædam abſurditas.

quid sonarent, sed oscitanter somniando præcipitasse videtur; dũ loquens de promissionibus Dei, Ecclesiæ factis sic ait: *Quatenus scilicet verbo Dei sunt conformes, eoq́ se regi patiuntur.* Quomodò promissiones Dei possunt à Dei verbo dissonare? Si promissiones Dei sunt; certè verbo Dei necessariò citra controuersiam vllam sunt conformes. Quòd si verbo Dei conformes nõ sunt; vel ab eo dissonare possunt, certè Dei promissiones non sunt. Et quomodò Dei promissiones patientur, aut non patiẽntur se regi verbo Dei, cùm sint ipsum Dei verbum, à quo nec latum quidem vnguem deficere possunt?

45. *Et in Ecclesia non est talis personarum respectus, vt propter illarum autoritatem, gradum & dignitatẽ ideò sententia recipiatur, & valeat. Sicut rectè Panormit. in C. Significâsti. extra de Elect. In concernentibus fidem, etiam dictum vnius priuati, esset præferendum dicto Papæ, si ille moueretur melioribus autoritatibus noui & veteris Testamenti, quàm Papa. Et Gerson parte prima de Exam. doctrinarum. Prima veritas staret, quòd aliquis simplex, non autorizatus, esset tàm excellenter in sacris literis eruditus, quòd plus esset credendum in casu doctrinali, suæ assertioni, quàm Papæ declarationi. Constat enim, plus esse credendum Euangelio, quàm Papæ. Si doceat igitur talis eruditus, veritatem aliquam in Euangelio contineri, Vbi & Papa nesciret, vel vltrò erraret, patet, cuius præferendum sit iudicium. Et paulò pòst: Talis eruditus deberet in casu, si & dum celebraretur generale Conciliũ, cui & ipse præsens esset, illi se opponere, si sentiret, maiorem partem ad oppositum Euangelij, malitia, vel ignorantia declinare.* TVBINGENSIS

Vtinam aduersarius Canonistas & Scholasticos Theologos, præsertim antiquiores Catholicos, aliis etiam in rebus admitteret atque citaret, idq́ue non tantùm, quando videntur ipsius erroribus apparenti quadam specie patrocinari. Quod verò spectat ad sententias suprà dicta assertione ex Panormit. & Gersone productas, non eas aduersarius iuxta germanam intelligentiam ac mentem seu intentionem istorum Patrum, sed alieno prorsus ac distorto sensu citauit, & ad errorem defendendum perperàm applicauit: Veræ quidem sunt eiusmodi sententiæ, atque sic accidere potest in Concilio, inter simplicẽ virum ac Papam, quamdiu in Concilio fit inquisitio, & diffi- CATHOLICVS

Aduersarius perperàm applicauit instituto suo Patrum sententias.

Quatenus viri priuati disputatio vel doctrina valeat.

cultates mouētur & discutiūtur materiæ. Tunc.n. viri docti licet priuati, disputando veritatē inquirunt, & Papa, si adsit, ac cū eis simul disputet, non Papam, sed Doctorē agit: Veruntamen inquisitione transacta, qua mediāte veritas reuelatur, cùm vel dogmata fidei declarata, vel controuersiæ religionis cōpositę, per eos, qui clauem scientię ac potestatis habent, & à supremo Capite cōfirmatę fuerunt, iam vir ille priuatus aut simplex acquiescat ac sileat necessum est, dicentibus nimirùm Apostolicis Prælatis: Visum est Spiritui sancto & nobis &c. Seruato hoc discrimine prædictorum Patrum sententiæ sunt verisśimæ: Sed quatenus confusæ malaque intentione citatæ ab aduersario, sunt pernitiosæ, nedum falsæ, cùm sic per eas ille totum Ecclesię ordinem perturbare ac destruere moliatur. Bone Deus, Rex quamdiu deliberat cum suis Consiliariis & priuatis quoq; viris, audit illos, & interloquitur tanquam vnus ex illis: in vtranque partem nonnunquam disputat vel disputantes audit: At quando, quid fieri debeat, definiuit ac decreuit, nullus ampliùs contradicit, sed omnes, quotquot anteà disputauerant, fortassis aliter, quàm sit decretum, sentientes, acquiescunt, subscribunt, regni decretum amplectuntur & obseruant. Et cur in Ecclesiasticis tractationibus non idem Papæ Christi Vicario tribuerent, maximè, cùm ille certisśimas veritatis promisśiones habeat, quando, sicut fit, in Conciliis debitam inquisitionem adhibuit?

Actor. 15.

Papa nonnunquā agit tanquā Doctor.

TVBINGENSIS Assert. 5.

46. *Hoc autem valdè dolet Papicolis, quòd sentinam ipsorum, & Babylonem, quæ pestis est, & calamitas veræ Christi Ecclesiæ, pro genuina agnoscere nolumus.*

CATHOLICVS

Hîc more suo pergit antiquus serpens, per satellitem suū lætale virus effundere. Ecquid facilius est, quàm calumniari, damnare ac mentiri? Calumniatur Catholicos & Orthodoxos fideles, cùm Papicolas eos nomine fictitio vocitat. Damnat Ecclesiam Christi veram, quam Babylonem autoritate vel potiùs libidine sua malitiosè contra rationem & æquitatem omnem appellat. Mentitur nequiter, cùm eandem, pestem & calamitatem veræ Christi Ecclesiæ pronunciat: nisi per verā Ecclesiam, suam, hoc est, Tubinganum cœtum, intelligat.

47. *Quòd*

47. *Quòd verò econtrà negant, nos Ecclesiam Christi veram esse posse, quia sectæ inter nos sint variæ, quæ singulæ nomen sibi vendicent Ecclesiæ.* TVBINGENSIS

48. *Incogitantia stupenda aduersarij, admiratione digna, quòd non meminerit verborum Pauli, quæ ex Apostolo citauerat Actor. 20. Assert. 4. Et Augustinum ex Philastrio, & alios quoq; catalogos conscripsisse prolixos hæresιῶν, ex Ecclesia vera natarum.*

Quis non constantissimè verissimeque neget, vos esse posse veram Christi Ecclesiam? Quia sectæ inter vos sint variæ, quæ nomen sibi vendicent Ecclesię; quia nulla fidei vel religionis vnitas, sed quot homines, tot capita, tot fides, tot sententię; quia nulla Catholicismi ratio, cùm dogmata vestra nuper sint orta, & in angulo lateant, & paulatim vt fumus euanescãt. Quia nullus ordo, nulla Episcoporum successio; quia nullum denique alicuius Ecclesię vestigium penè apud vos appareat: Sed omnia sectaria, arbitraria, temporaria, horaria; sine fundamento, sine ordine & modo, vt rectè descripseris Ecclesiam vestram, quæ possit errare, & erret frequentissimè? Sed ô stupidam nedum stupendam incogitantiam aduersarij, qui tot verba fundit inutiliter, nec aduertit, hæreticos ex Ecclesia prodire, sed in Ecclesia non esse? Fatetur ipse in Ecclesia sua, quam colit, hæreses esse; quamobrem non Ecclesiam, sed hæresin colit ac defendit: nos verò nec diffitemur ex Ecclesia Catholica, quæ suam à Christo ducit originem, hæreses frequenter prodiisse, sed indies etiam exire posse plures iuxta sententiam Apostoli: Ex nobis exierunt, sed ex nobis non erant: & quia, sicut ait Augustinus, Hæretici ex eodē Euangelij semine & Christi nomine procreati, prauis opinionibus ad falsa dogmata conuertuntur: eò, quòd Sacerdoti Dei nolunt obtemperare, quemadmodùm suprà ex Cypriano demonstratum est. Verùm in ipsa Ecclesia Catholica, nullas esse hæreses, sed fidei ac religionis constantem veritatem profitemur ac probamus:

CATHOLICVS. Aduersarij Ecclesia cur non possit esse vera Christi Ecclesia.

Cypr. de vnitate Ecclesiæ suæ, de simp. Prælat.

1. Ioan. 2.

Aug. lib. Quæst. Euang. in Matth. cap. 11. Tom. 4. Epist. ad Cornel. quæ est epist. 55.

49. *Et commune hoc habent Pontificij cum Ethnicis Idololatris, qui hoc ipsum, cùm nihil aliud haberent contra eos amplius, Christianis obiiciebant, referente D. Augustino: Hoc solùm illis, inquit, maledicis remansit, quod cōtra nos dicant: Quarè inter vos non consentitis? Gentiles Pagani, qui remāserunt* TVBINGENSIS

Aug. lib. de omib.

definita, nullas inter se dissensiones haberent, quas illi possent obiicere: Sed tantùm cum falsis Christianis, idque necessariò, hoc est, cùm hæreticis. Hæc enim Augustinus verba subiungit, quæ non debuisset aduersarius prætermittere: Ergo quicunq; ab hæreticis transierunt ad Catholicos, non habebunt hoc opprobrium Gentium, nec portabunt maledictum dissensionis, quia permanent in radice vnitatis, in plantatione charitatis; non reportabunt maledictum &c. Hæc ille. Quarè non negauerim, quin Gentiles quorumdam Christianorum, nô Catholicorum, sed hæreticorum, qui Christianos se maximè putant, dissensiones tàm mutuas, quàm cũ Ecclesia meritò reprehendant. Hinc enim monuit Augustinus Donatistas, qui erant in Aphrica, vt sese coniungerent Ecclesiæ Catholicæ, quia hac ratione cessaturum esset illud Paganorum opprobrium. Cùm igitur in Ecclesia Catholica sit radix vnitatis, ac plantatio charitatis, immeritò Gentiles obiiciebant Catholicis Christianis, Christianorum dissensiones: Sicut hoc tempore sectarij Catholicis immeritò dissensiones ipsorum obiiciunt; cùm apud Catholicos nulla sit in rebus fidei dissensio, sed radix vnitatis & plantatio charitatis. Vnde iuxta prædictam Augustini sententiam, (vt aduersarius gladio suo iuguletur) omnes sectarij hoc ipsum cum Ethnicis Idololatris commune habent, vt, cùm nihil aliud cõtra Catholicos habeant, falsas eis dissensiones obiiciant. Catholici verò possunt optimo iure, sectariis obiicere dissensiones ipsorum, quas in Religionis ac fidei dogmatibus infinitas habent, ac indies magis ac magis multiplicant, vt ipsorum libri testantur, nec ipsi negare possunt.

Lib. de ouib. ca. 5. circa finem.
In Ecclesia nullæ dissensiones inueniuntur.
Cap. 15. suprà cit.
Aduersarius gladio suo iugulatur.
Sectariorum dissensiones infinitæ.

50. *Porrò de Notis quoque veræ Christi in terris militantis Ecclesiæ, disputatio est. Negat disputator Iesuita, per verbum Dei syncerum, & legitimum Sacramentorum vsum, Ecclesiam cognosci posse. Hæc enim fallacia esse signa asserit, & petitionem principij, rem notam per ignotiora signa simplicibus obtrudi. Scripturam enim sacram ambiguam, quæ in omnes trahi partes se permittat. Maiorem esse Ecclesiæ autoritatem, ab eaq; illius dependere. Ideò non Ecclesiam per verbum, sed vice versa, per Ecclesiam Euangelium cognosci. Hoc in summa dicere cuperet, quòd ipsius complices: sacram Scripturam, si Ecclesiæ destituatur autoritate, non plus valere, quàm Æsopi fabulas.*

TVBINGENSIS. Assert. 6.

CATHOLICVS Iterum hac aſſertione repetit & inculcat aduerſarius notas ſuas, quæ cùm ab Eccleſia procedant, & ab ea nobis demõſtrentur; certè non poſſunt illius eſſe notæ. Sed quoniam id, quantùm ſatis videbatur, in confutatione duarum illius aſſer- Aſſert. 26.& 27. tionum declaratum eſt; nec quicquã noui aduerſarius adfert, niſi quòd hãc aſſertionem calumnioſo ſcommate concludat, Idcircò nihil attinet, hîc plura dicere.

TVBINGENSIS 51. *Damnandæ ſunt hæ, ex inferni barathro profectæ voces, ac plùs, quàm Diabolicæ, quas Satan euomere ipſe per ſe non auderet. Ideoque refutatione indignæ: nec admittenda in vera Chriſti Eccleſia hæc conuitia, & Scri-* Iren.lib.3.cap.2. *pturæ ſacroſanctæ accuſationes, quæ teſte Irenæo, vſitatæ ſunt hæreticis. Qui cùm è Scripturis arguuntur, in ipſarum cõnuertuntur accuſationem Scripturarum: quaſi non rectè habeant, neque ſint ex autoritate. Et quia ſint variè dictæ, & quia non poßit ex his inueniri veritas ab iis, qui neſciant Traditionem. Non enim per literas traditam illam, ſed per viuam vocem. Hactenus Irenæus.*

CATHOLICVS Videt in hac aſſertione pius Lector, meras, indignas, & prodigioſas calumnias, quibus, tacendo & patienter cedendo reſpondendum cenſeo. Quænam verò ſint voces, quas ille Diabolicas vocitat, poterit Lector in eâdem ſuprà dicta confutatione videre; vbi propterea magnam aſſertionis noſtræ ſextæ partem verbotenus repetiuimus. Vnde conſtabit, quemadmodùm aduerſarius, aranearum more, dulciſsimum mel, in lœtale virus ac toxicum conuertat, quando veriſsimas ac ſaluberrimas Scripturæ ſacræ, & ſanctorum Patrum ſententias, voces Diabolicas affirmat. Non vox Diabolica, ſed eſt Matth. 8. certiſsimum Chriſti præceptum: Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. Et alibi: Qui vos Luc.10. audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit. Non eſt vox Diabolica, ſed Diui Auguſtini ſaluberrima ſententia; Scripturam Tom.6. cõt. epiſt. fundamẽt. cap. 5. ſacram ab Eccleſia receptam, confirmatam & canonizatam eſſe, Sic enim ait: Euangelio non crederem, niſi me Catho- 2.Petr. 3. licæ Eccleſiæ commoueret autoritas. Non eſt vox Diabolica, ſed veriſsima Chriſti Domini, Apoſtoli Petri, & ſanctorum Patrum ſententia, quam & quotidiana pernitioſaque praxis con-

confirmat; nimirùm Scripturam sacram intellectu difficilem esse, nec solùm in varias partes à variis sectariis distrahi; sed etiam peruerti ac corrumpi ad suam ipsorum perditionem. Vnde meritò Diuus Hieronymus ait: Scripturas non in legendo, sed in intelligendo consistere. Neque verò quicquam hinc eleuatur autoritas sacræ Scripturæ, sed extollitur magis & commendatur; licet nec sit omnibus peruia, nec ab omnibus intelligatur; eiusque lectio multis (propter ipsorum malitiam & culpam) non ad salutem, sed ad pernitiem cædat. Quemadmodùm etiam Christus ipse, non propterea vilipendi debet, quòd Iudæis scandalum, Gentibus verò stultitia sit; adeoque multis aliis Lapis offensionis, ac Petra scandali. Irenæi verba perperàm Catholicis obiiciuntur ab aduersario, quandoquidem Irenæus, vt ex verbis sequentibus apparet, seriò scribit aduersùs hæreticos illos, qui traditiones Apostolorum, & ipsas quoque Scripturas reiiciebant, cùm ex eis arguerentur. Sic etiam post alia multa concludit: Euenit itaque, neque Scripturis iam, neque traditioni consentire eos &c. Insuper idem Irenęus, capite quarto eiusdem libri tertij luculenter & manifestè testatur; sacram Scripturam à traditionibus Ecclesiæ, suam autoritatem habere. Hinc etiam temporibus nostris fuerunt, & sunt eiusmodi sectarij, de quibus Irenæus querebatur, qui nimirùm tàm Scripturas ipsas, quàm Traditiones reiiciunt, quando figmentis ipsorum non consonant, sed magis aduersantur. Nònne Lutherus, eiusque complices Epistolam Diui Iacobi, Apocalypsin Diui Ioannis, Librum secundum Machabæorum, & alias eiusmodi Scripturas, quibus redarguuntur, simul cum Apostolicis Traditionibus reiiciunt; sicut Irenæus olim Valentinum, Marcionem, Cherinthum & Basilidem fecisse testatur? Itaque non Catholici, qui Scriptutas sacras cum Traditionibus Apostolicis retinent, obseruant, & vt par est, venerantur: sed nostrates aduersarij prædictis Irenæi verbis manifestè perstringuntur. Vnde hoc etiam loco seipsum aduersarius gladio proprio iugulauit.

2.Petr. 3.
Hieron. contra Luciferianos.
1.Corinth. 1.
1.Petr. 1.
Luc. 2.
Iren. lib. 3. cap. 2.
Lutherus reiicit quasdam Scripturas Canonicas.

TVBINGENSIS 52. *Spiritus sanctus Scripturam sacram, firmum, certum, omni acceptatione dignum, sermonem Propheticum, & Dei appellat lucernam, lumen, auro, argentoque puro puriorem. Eloquia munda, veritatem, verbum veritatis, &c.*

CATHOLICVS Quamuis hæc hisque similia, imò plura & maiora encomia Spiritus sancti, potiùs de viuo ac interno, quàm de scripto vel externo Dei verbo pronunciauerit; nos tamen hæc eadem, verbo quoque scripto reuerenter attribuimus, quatenus illud ab Ecclesia receptũ, rectéq; (sensu nimirùm vero ac germano) intellectum habetur. Neque semper est verbum Dei, quandocunque Scriptura sacra, quocunque modo, vel à quocunque citatur. Satanas contra Filium Dei citauit Scripturam sacram: Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum &c. Ecce Scripturam sacram: Sed quoniam illam non vero, sed alieno falsoque sensu allegauit; non Dei, sed ipsius Satanæ verbum fuit. Solet enim ipse sese transfigurare in Angelum lucis, vt falsò Scripturæ sacræ prætextu circumueniat incautos. In quo magistrum suum Pseudoprophetæ iugiter imitantur, quando currunt, licet à Domino missi non sint & vociferantur: Os Domini locutum est: Hæc Dicit Dominus: Verbum Domini &c. atque sic non Verbum Domini, sed imposturas suas atque commenta rudibus auditoribus subdolè venditant. De qua re, cùm eleganter & copiosè differat Vincentius Lyrinensis, libuit huc ad longum illius verba subiungere: Hîc fortassis aliquis interroget, inquit, an & hæretici diuinæ Scripturæ testimoniis vtantur? Vtuntur planè & vehementer quidem. Nam videas eos volare per singula quæque sanctæ Legis volumina, per Moysi, per Regnorum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Euangelia, per Prophetas. Siue enim apud suos, siue apud alienos, siue priuatim siue publicè, siue in sermonibus, siue in libris, siue in conuiuiis, siue in plateis, nihil vnquam penè de suo proferunt, quod non etiam Scripturę verbis adumbrare conẽtur. Lege Pauli Samosateni opuscula, Priscilliani, Eunomij, Ioviniani, reliquarumque pestium; cernes infinitam exemplorũ conge-

Satanas citat Scripturas. Matth. 4. Psalm. 90.

2. Corinth. 11.

Sectariorum imposturæ.

Hierem. 14. 23. 27. 29.

Vincent. Lyrinen. in libel. aduersùs profanas hæresiũ nouitates, qui vixit ante annos 1140.

congeriem propè nullam omitti paginam, quæ noui ac veteris testamenti sententiis fucata & colorata non sit. Sed tantò magis cauendi & pertimescẽdi sunt, quantò occultiùs sub diuinæ legis vmbraculis latitant. Sciunt enim fætores suos nulli ferè citò esse placituros; idcircò eos cœlestis eloquij velut quodam aromate, aspergunt; vt ille, qui humanum facilè despiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula. Itaque faciunt, quod hi solent, qui paruulis austera quædam temperaturi pocula, priùs ora melle circumlinunt; vt incauta ętas, cum dulcedinem pręsenserit amaritudinem non reformidet. Quod etiam iis curæ est, qui mala gramina, & noxios succos, medicaminũ vocabulis præcolorant, vt nemo fere, vbi suprascriptum legerit remedium, suspicetur venenum. Idem deniq; & Saluator clamabat: Attendite vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium, ab intus sunt lupi rapaces. Quid est vestitus ouium, nisi Prophetarum & Apostolorum proloquia, quæ iidem ouili quadam synceritate agno illi immaculato, qui tollit peccata mundi, tanquam vellera quædam texuerunt. Qui sunt lupi rapaces? nisi sensus hæreticorum feri & rabidi, qui caulas Ecclesiæ semper infestant, & gregem Christi quaqua possunt, dilacerant. Sed vt fallaciùs incautis ouibus obrepant, manente luporum ferocia deponunt lupinam speciem, & sese diuinæ legis sententiis veluti quibusdam velleribus obuoluunt, vt cum quisq; lanarum mollitiem præsenserit, nequaquam aculeos dentium pertimescat. Sed quid ait Saluator? ex fructibus eorum cognoscetis eos. Id est, cum cæperint diuinas illas voces, non iam proferre tantùm, sed etiam exponere: nec adhuc iactare solùm, sed etiam interpretari: tunc primùm scindi sepem videas, tunc transferri Patrum terminos, tunc Catholicam fidem cœdi, tunc Ecclesiasticum dogma lacerari. Tales erant hi quos percutit Apostolus Paulus, in secunda ad Corinthios, dicens: Nam eiusmodi, inquit Pseudoapostoli operarij subdoli, transfigurant se in Apostolos Christi. Quid est transfigurant se in Apostolos Christi? Proferebant Apostoli diuinæ legis exempla, proferebant & illi: proferebant Apostoli Psalmorum autoritates,

Matth. 7.

Pseudoprophetę quomodò cognoscendi.

2. Cor. 11.

Pseudoprophetę quomodò imitantur Apostolos.

proferebant & illi: proferebant Apoſtoli ſententias Prophetarum, & illi nihilominùs proferebant. Sed cùm ea, quæ ſimiliter protulerant, interpretari non ſimiliter cæpiſſent, tunc ſimplices à ſubdolis, tunc infucati à fucatis, tunc recti à peruerſis, tunc poſtremò veri Apoſtoli à falſis Apoſtolis diſcernebantur. Et non mirùm, inquit: Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis; non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurantur, ſicuti miniſtri iuſtitiæ: Ergo ſecundùm Apoſtoli Pauli magiſterium, quotieſcunq; vel Pſeudoapoſtoli, vel Pſeudoprophetæ, vel Pſeudodoctores Diuinæ legis ſententias proferunt; quibus malè interpretatis, errores ſuos aſtruere conentur, non dubium eſt, quin autoris ſui callida machinamenta ſectentur; quæ ille nunquam profectò, comminiſceretur, niſi ſciret omninò nullam eſſe ad fallendum faciliorem viam, quàm, vt vbi nefarij erroris ſubinducitur fraudulentia, ibi diuinorum verborum prætendatur autoritas.

Pſeudoprophetarum impoſturæ quomodò cognoſcantur.

Sed dicet aliquis: Vnde probatur, quòd ſacræ Legis exemplis Diabolus vti ſoleat? legat Euangelia, in quibus ſcribitur: Tunc aſſumpſit eum Diabolus, id eſt, Dominum Saluatorem, & ſtatuit eum ſupra pinnam templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorſum: Scriptum eſt enim, quòd angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. In manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Quid hîc faciet miſellis hominibus, qui ipſum Dominum maieſtatis, Scripturarum teſtimoniis appetiuit? Si inquit, Filius Dei es, mitte te deorſum. Quare? Scriptum eſt enim, inquit. Magnopere nobis doctrina loci iſtius attendenda atque retinenda eſt, vt tanto Euangelicæ autoritatis exemplo, quando aliquos Apoſtolica ſeu Prophetica verba proferre contra Catholicam fidem viderimus, Diabolum per eos loqui minimè dubitemus. Nam ſicut tunc caput capiti, ita nunc quoq; membra membris loquuntur: membra ſcilicet Diaboli, membris Chriſti: perfidi, fidelibus: ſacrilegi, religioſis: hæretici poſtremò, Catholicis. Sed quid tandem dicit? Si, inquit, Filius Dei es, mitte te deorſum. Hoc eſt, Filius vis eſſe Dei, & hæreditatem regni cœleſtis accipere? mitte te deorſum, id eſt,

Matth. 4.

NOTA.

exiſtius

existius te sublimis Ecclesię (quę etiam templum Dei putatur, doctrina & traditione) te demitte. Ac, si quis interroget quépiam hæreticorum sibi talia persuadentem: vnde probas? vnde doces? quòd Ecclesiæ Catholicæ vniuersalem & antiquam fidem dimittere debeam? Statim ille. Scriptum est enim: Et continuò mille testimonia, mille exempla, mille autoritates parat de Lege, de Psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus nouo & malo more interpretatis, ex arce Catholica, in hæreseos barathrum infœlix anima præcipitetur. Hactenus Lyrinensis.

53. *Sed hoc agunt aduersarij, vt ex oculis sublata sacra Scriptura, quæ est certissimum Spiritus sancti oraculum, ipsos audiamus lupos vlulantes, & cordis Pontificij eructationes ex scrinio pectoris ebrij, traditionibus & legibus, adeoque somniis & figmentis humanis, quæ Scripturæ loco nobis obtrudere conantur. Et sic compendio omnes errores crassissimos Ecclesiæ suæ malignantium ex cathedra pestilentiæ confirmâsset, Iesuita. Nec stultè sapit.* TVBINGENSIS

Hoc semper egerunt & etiamnunc agunt sectarij, vt reiecta Ecclesiæ autoritate, plenum ipsi dominium habeant & exerceant in scripturam Sacram, eamque quilibet eorum ad confirmandas nouitates suas, pro libito trahat, cogat atque torqueat. Vnde cùm tot apud eos sententiæ sint, quot capita vel homines existunt, miris ac miseris modis sacrosanctam Scripturam ita dilacerãt, distrahunt, contamminant, vt nihil in ea relinquant integrum; atque sua tandem somnia fucato scripturę Sacrę vel Euangelij vel diuini verbi titulo, pro ipsissima Scriptura, discipulis ac auditoribus suis obtrudant ac propinent. Quod cùm luculenter & copiosè prędictis verbis Vincentius Lyrinensis, demonstrauerit; non opus est rẽ hanc pluribus explicare. Illud verò consequuntur sectarij; vt nullas ipsi Scripturas habeant authenticas, postquam ab eis subtrahunt autoritatem Ecclesiæ, cuius iudicio, Scripturæ veræ receptæ; apocryphæ autem reiectæ sunt. Ad calumnias aduersarij, quibus plus nimio, Catholicos ac Pontificios Prælatos onerat, nihil hoc etiam loco dicendum puto. CATHOLICVS

Aduersarij scripturis sacris abutuntur.

54. Certum

TVBINGENSIS 54. *Certum enim est, dogmata Ecclesiæ Romanæ, & cultus, ex Scriptura Canonica probari non posse. Ideò studiosè dant operam, vt quoquo modo fieri potest, Scripturam sacram non concedant, notam esse, monstrantem veram Ecclesiam, hac enim se destitui facilè agnoscunt, & fatentur. Ideoque suspectam reddunt, quòd non sit sufficiens, sed imperfecta, obscura, ambigua, quæ in omnes trahi partes se permittat, materia litis. Quod non habeat autoritatem nisi ab Ecclesia, hancque illa esse superiorem. Et quòd potestatem habeat Ecclesia eam interpretandi prætoriam, vt iam hoc, iam illo modo accipiatur. Ideo Scripturam non posse admitti pro Iudice.* Cusanus Card.

55. *Sed de sacrosancta Scripturæ autoritate, sufficientia, perspicuitate, atque certitudine peculiari disputatione actum est à nobis. Spiritus tenebrarum & mendacij, lucem veritatis ferre non potest, sudes est illi, & societati eius in oculis scriptura, Sacra cùm tamen Christus nos ad hanc ableget, scrutari nos vult eas, quòd in eis vitam æternam habeamus, has de se testari affirmat. Mosen vult audiri, & Prophetas. Et planè contrarium Papistis perhibet Spiritus sanctus testimonium Scripturæ suæ, VIÆ, inquiens, DOMINI RECTÆ, ET IVSTI AMBVLANT IN EIS: IMPII VERO CORRVENT IN EIS. In quam sententiam & Apostolus scripsit: Quòd si Euangelium nostrum adhuc opertum est, in his, qui pereunt, est opertum, in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi &c. 2. Cor. 4.* Ioan. 5. Lucæ 16. Oseæ vlt.

CATHOLICVS More suo pergit aduersarius afferere multa tanquam Apollinis oracula, quæ non probat. Quod si velit intelligere quemadmodùm, dogmata Ecclesię Romanę, & cultus ex Scriptura Canonica probentur; legat Catholicos scriptores, qui plurimi doctißimique paßim extant, nedum vetustißimæ Ecclesiæ Patres. Legat præcipuè Concilium, Catechismum Romanum, & cognoscet omnia Ecclesiæ Romanæ dogmata, firmißimis scripturæ Sacræ testimoniis esse munita. Adeò Pontificij non destituuntur necessario scripturæ Sacræ præsidio, vt in eorum libris omnia Scripturis bona fide citatis plenißima conspiciantur. Neq; propterea suspecta redditur Scriptura sacra, quòd non omnia credenda sigillatim, & ad amußim expresserit,

Non omnia credenda literis sacris expressa sunt.

expresserit, quandoquidem plurima sunt, quę nobiscum Sectarij credunt & obseruant, de quibus nulla fit in Scripturis sacris expressa mentio; Vt sunt, perpetua beatæ Mariæ virginitas, Baptismus paruulorum, celebratio diei dominicæ, ac illorum dierum, quos Christiani festos agunt, Christi descensus ad inferos, quòd Filius sit Patri consubstantialis, multaq; sanctæ, atque indiuiduæ Trinitatis & incarnationis Dominicæ mysteria tandem, per Ecclesiam, vt videre licet in Symbolo Athanasij, declarata. Ac ne quis hinc defectus accidere posset, nec salus nostra à circumstantia scripti, sed à verbo Dei, siue scripto siue tradito à Patribus, siue per Ecclesiam reuelato atque pręcepto, dependeret, idcircò Christus in genere mandauit Ecclesiam audiri, sicut & Apostolos, eorumque successores. Idcircò præcepit Apostolus Thessalonicensibus, vt starent ac tenerent traditiones, quas ab eo, siue per sermonem, siue per Epistolam acceperant. Idcircò Deus quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi posuit, ne circumferremur omni vento doctrinæ. Idcircò Spiritus sanctus in grege Dominico cõstituit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, ne quilibet in salutis negotio, proprio sensu deceptus, ad perniciem suam abuteretur Scriptura sacra; sed omnes fideles tanquàm oues à legitimis Pastoribus diuini verbi pabulo salubriter & ritè pascerentur, & in Ecclesia pax esset & tranquillitas, omniaque secundùm ordinem fierent. Quòd autem Scriptura apud nos autoritatem suam, per Ecclesiæ testimonium acceperit, in hac Apologia pluribus in locis est demonstratum, nec id Sectarij diffitentur, quandoquidem nulla potest alia ratio dari, cur Euangelia Matthæi, Marci, Lucæ & Ioannis, vt Canonica veneremur, alia vero, quæ à Bartholomæo, Thoma, Nicodemo scripta referuntur, non agnoscamus; sicut nec alia Apocrypha similia; nisi quòd Ecclesia hæc, tanquàm surreptitia reiecerit, ac prohibuerit, illa verò probârit. Nec alia profectò ratione de Canonicis & Catholicis Apostolorum epistolis alijsque Scripturæ sacræ libris hanc veritatis certitudinem, quam

Matth. 18.
Luc. 10.
2. Tessal. 2.
Ephes. 4.
Actor. 20.

Ecclesiæ testimonio seu autoritate, consecuti sumus. Et quoniam per Ecclesiam Spiritus sanctus nobis Scripturam sacram tradidit, quid mirum, si velit, vt ab eadem Ecclesia verum ac germanum eius sensum petamus? quis certior ac tutior legis interpres censeri potest, quàm mater nostra, Christi sponsa, columna veritatis; apud quam (vt Aduersarius suprà confessus est) ipse Deus Scripturam sacram tanquàm apud fidelem custodem & interpretem deposuit? Hinc sacerdotibus tanquàm Ecclesiæ præpositis (quos idcircò nonnunquàm Ecclesiæ nomine censeri, suprà declaratum est) hæc cura fuit à Deo commissa, vt controuersias componerent, iudicarent leges, ac iudicia Dei & Scripturas exponerent. Hinc D. Paulus, non cum priuatis hominibus, sed cum Apostolis, hoc est, Ecclesiasticis Prælatis, Euangelium suum contulit, ne fortè in vanum curreret. Hinc grauissimis Dei comminationibus reprehenduntur, qui circà verbi Diuini ac Scripturæ sacræ intelligentiam, reiecto Ecclesiæ iudicio, commenta deliriaque propria sequuntur. Væ Prophetis insipientibus, ait Dominus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Nam suus quemque priuatus spiritus fallere potest: Verùm Spiritus sanctus, quem habet Ecclesia, fallere neminem potest, cùm sit Spiritus veritatis; qui Christi Vicarios Ecclesiasticos, in omnem veritatem ducit. Cur autem priuatus Sectariorum spiritus nihil videat, sed erret, & in errorem alios mittat, hanc Basilius Magnus rationem reddit; quòd nimirùm veritatis deprauatores non suam Scripturæ mentem accommodant, sed ad suam voluntatem, mentem Scripturarum trahunt. Ne miretur igitur Aduersarius Scripturam sacram ambiguam ac difficilem esse, quæ in varios sensus trahatur, cùm id non solùm Basilius Magnus; alijque Patres rectè dixerint, sed etiam (quod est dolendum) grauissimo plurimorum damno, nimis id verùm per Magistram experientiam hodie probetur. Nam si difficilis Scriptura non est, cur ab omnibus rectè non intelligitur? Si materia litis non est, (non per se, sed propter hominum malitiam, sicut Christus lapis offensionis dicitur) cur de eius intelligentia inter se non consentiunt Sectarij, sed in sectas pro-

pemodùm

Assert. 18.
Deuter. 17.
Ezech. 44.
Galat. 2.
Ezechiel. 14.
Basilius in libro Hexaëmeron Homil. 2.

pemodùm infinitas diſſecti ſunt? Si ſcriptura ſacra, vt eſt muta, Iudex eſt, & ipſa per ſe iudicare poteſt; cur de controuerſijs ſectariorum iampridem non iudicauit? Cur litibus finem non impoſuit? cur indies plures Sectæ naſcuntur? & cur profanarum nouitatum nullus finis, nec modus apud Sectarios exiſtit? Cùm igitur illa per ſe (quippè quæ muta; fidoque ſit interprete deſtituta) quatenus nuda ſumitur, de controuerſis fidei dogmatibus iudicare nequeat; ſic Deus ſuauiter diſpoſuit, vt per eam rectè intellectam, & per approbatas Maiorum traditiones & ſententias Patrum, ac Eccleſiaſticam poteſtatem, Eccleſia, hoc eſt, Eccleſiæ Paſtores ac Præpoſiti ſanctique Patres omnia componant, interpretentur atque decernant. Quod intelligentes Eccleſiæ Patres, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Baſilius, Hieronymus, Epiphanius, Cyrillus, Auguſtinus, Leo, Gelaſius & Ioannes, Romanus Pontifex, Fulgentius, Maxentius, Damaſcenus, Petrus Cluniacen. Bernhardus, Euthymius, alijque ſancti Patres ſuorum temporum Hæreticos, Valentinum, Marcionem, Celſum, Eunomium, Vigilantium, Iouinianum, Aërium, Neſtorium, Donatiſtas, Pelagianos, Eutychen, Arianos, Iconomachos, Henricianos, & plurimos alios, non per nudas Scripturas, quas & Hæretici, (licet corrupto ſenſu) iactitabant, ſed per Eccleſiaſticas traditiones, ſanctiones & conſuetudines approbatas expugnârunt, eiecerunt, profligârunt. Sed ſpiritus tenebrarum & mendacij, lucem veritatis ferre non poteſt: ſudes eſt illi, & ſocietati eius in oculis vera Scripturæ ſacræ per Eccleſiá à Spiritu ſancto reuelata interpretatio. Placet ille ſibi, & apud ſemetipſum, & in oculis ſuis prudens eſt, atque hinc indies plures ædificat Babylonicas ſectas, in eisq; confuſiones ſuas confirmat. Vult, vt omnes ſint Doctores, contra diuinum ac naturalem rerum ordinem. Vult vt omnes ſcrutentur Scripturas, cùm id non omnibus, ſed ijs duntaxat conueniat, ad quos ex officio ſpectat. Eſt autem omnibus præceptum, vt Moyſen & Prophetas, hoc eſt, Dei Vicarios & miniſtros verbum ſalutis prædicantes audiant, cùm non de ſcriptione vel Scriptura, ſed de prædicatione Chriſtus mandatum dederit: Euntes, ait

Ioannis 5.
1. Cor. 14.

enim, prædicate Euangelium &c. Quod quidem Euangelium, cùm nec tunc esset scriptum, non de legenda scriptura, sed de audiendo Dei verbo, diuinum singuli præceptum habent. Vnde locum istum aduersarius contra seipsum perbellè citauit. Insuper contra sectarios Spiritus sanctus manifestum Scripturæ sacræ salubriter per Ecclesiam explicatè testimonium perhibet. VIÆ, inquiens, DOMINI RECTÆ, ET IVSTI AMBVLANT IN EIS, IMPII VERO CORRVENT IN EIS. Quo loco Propheta per vias Domini sicut alibi sæpiùs, Dei præcepta significat. Vnde iustos pronunciat eos, qui ambulant in vijs Domini, hoc est; qui Dei præcepta seu mandata seruant, quemadmodùm de seipso testatur alius Propheta, dum ait: Cucurri viam mandatorum tuorum, cum dilatâsti cor meum. Verùm hæc Prophetæ verba, nihil Catholicos (sicut aduersarius asserit) sed Lutheranos (quod ipse non aduertit) plurimùm oppugnant. Nam cùm illi manifestè, licet insulsè, doceant; neminem posse Dei mandata seruare, quomodò non euidenter ex ipsorum hoc absurdissimo fundamento conuincitur, apud ipsos; sicut nemo Dei pręcepta custodit, sic omninò neminem in vijs Domini ambulare, neminem iustum esse, sed impios omnes, & in vijs Domini corruere? Ad eundem planè modum cõtra seipsum citauit aduersarius Euangelium sancti Pauli: Quòd si Euangelium nostrum adhuc opertum est, in his qui pereunt, opertum est, &c. Vnde probare conatur Scripturam sacram ab omnibus legẽdam & scrutandam esse, sed quid absurdius? cùm Apostolus minimè loquatur de Euãgelio scripto (quod tunc scriptum non erat) sed de viuæ vocis oraculo, ac verbi Diuini prædicatione?

Oseæ 14. — Psal. 118. — 2. Cor. 4.

TVBINGENSIS 56. *Eandem ob caussam, nec Sacramenta secundùm Christi institutionem admittere vult Iesuita; vt sint signum monstrans Ecclesiam. Quia nouit ea turpissimè esse per Pontificios corrupta. Ideoq; si iudicium de Ecclesia ex his faciendum esset, animaduertit se eum suo cœtu Pontificio caussa casurum, & à vera Christi Ecclesia esse alienum. Quarè alia proponit nobis signa, quæ sibi magis ad institutum facere videntur, quibus tamen nec ipsis vt posteà demonstrabimus, iuuabitur.*

CATHOLICVS Ex hac assertione sequitur omnium hæreticorum sectas,

quæ

quæ vel olim fuerunt, vel etiam nunc exiſtunt, fuiſſe & eſſe veras Eccleſias Chriſti, quandoquidem ſunt vſi, & vtuntur, vel potiùs abutuntur Sacramentis. Etſi hoc loco velit Aduerſarius vrgere legitimum Sacramentorum vſum, ſecundùm institutionem Chriſti; id alij quoque ſectarij fecerunt anteà, & adhuc faciunt. Nam Caluinus ait in eo Cœtu, quem ipſe congregauit, eſſe legitimum Sacramentorum vſum, ſecundùm institutionem Chriſti. Idem dicit Illyricus. Idem prædicant Anabaptiſtæ, Pickardi, Huſsitæ, Trinitarij cæteriq; Swermeri, qui Sectas ſuas, hac Sacramentorum nota non minùs, quàm aduerſarius Tubingenſem cœtum, fruſtrà demõſtrare conantur, eſſe veras Eccleſias Chriſti. Neque poteſt aduerſarius quicquam peculiare hac in parte ſuo cœtui vendicare, quod illi quoque ſibi & eodem quidem iure non vſurpent. Et quomodò poſſunt aduerſarij legitimum Sacramentorum vſum Eccleſiæ notam conſtituere, cùm neſciant ipſi, quænam, aut quot ſint vera Eccleſiæ Sacramenta? Neceſſum eſt, vt priùs de verorum Sacramentorum numero conueniant, quàm de legitimo eorundem vel vſu vel effectu diſputare poſsint. Nam aliôqui, quánam ratione conſtabit apud illos, quæ ſint, & quæ non ſint Sacramenta, quibus Eccleſia dignoſcitur? At quomodò poterunt vnquam de numero Sacramentorum inter ſeſe conuenire diſcipuli, quorũ Magiſtri inter ſe tantoperè diſcrepant, ac diſſentiunt? Nónne Lutherus nunc vnum, deinde duo, aliquando tria, nonnunquàm plura vel pauciora Sacramenta conſtituit? Nónne Melanchton hac in parte ſibi diſsimilis & inconſtans eſt, quãdo, cùm cæpiſſet Lutherana ſecta, duo, poſteà tria, tandem ante mortem quatuor Sacramenta ex verbo Dei ſtatuere voluit? Nónne Illyricus, tantùm duo? Nónne Auguſtana prima Apologia, tria Sacramenta ponit? Itaque cùm tam grauis de Sacramentorum numero ſit diſſenſio apud aduerſarios, quid eſt, quod illi poſſunt de legitimo Sacramentorum vſu vel effectu rectè tractare? Ad ea, quæ ſequuntur in eadem Aſſertione, non ſecùs puto reſpondendum eſſe, quàm à Chriſto reſponſum fuit Phariſæis in Euangelio: Quemadmodùm enim obijcientibus & calumniantibus illis, quòd Dæmonium haberet,

Luth. de cap. Bab. Ad VValdeñ. In viſitat. Saxon. De præpa. ad mor. De poteſtate Papæ. In ſer. de Matrim. In primis locis cõ. & libello contra Anabaptiſtas Anno 1520. In locis cõ. Anno 1552. & ſeq.

Dominus benignè dixit se Dæmonium non habere: sic quanta possum modestia, sed optimo iure, dico; sacramenta per Pôtificios turpissimè corrupta non esse, nec me propterea casurum caussa, si cum Orthodoxis Patribus defendo iudicium de Ecclesia non ex sacramentorum vsu, quem omnes sibi vendicant, sed ex alijs certioribus notis, quę apud sectarios minimè, sed in sola Catholica & Romana Ecclesia reperiuntur, esse sumendum: sicut in Apologię huius progressu demonstrabitur.

TVBINGENSIS 57. *Baptismum conspurcârunt suis additionibus; & quod ei conferunt cucullam sordidam & pediculosam Papisticam, applicant eum & campanis.*

CATHOLICVS Ecclesia Catholica Baptismum nullis additionibus conspurcauit, sed mysticis quibusdam & salutaribus, imò Apostolicis & ex scriptura sacra deductis cæremonijs cohonestauit, exornauit, ac condecorauit. Et quòd id rectissimè fecerit, cùm ex multis Orthodoxorum Patrum scriptis abundè probetur, non ingrediar iam hanc materiam, præsertim cùm Apologetica breuitas me prolixiorem esse vetet. Quàm turpiter autem aduersarij Baptismum conspurcauerint, plus nimio vel ex eo constat; quòd per Baptismum, ne vnum quidem peccatum tolli, nec veram iustitiam conferri Baptizatis falsò dicant, ad imputationem quandam tàm diuino, quàm naturali iuri repugnantem confugientes. Campanis Baptismi Sacramentum minimè confertur apud Catholicos, sed tantùm benedictio quædam, sicut rectissimè fit alijs etiam in rebus iuxta doctrinam Apostoli, sanctificatur omnis creatura per verbum Dei & orationem, &c. Campanis verò peculiariter adhibetur Ecclesiæ benedictio per verbum Dei & orationem, nõ solùm, vt sanctæ sint, nimirùm in cultum diuinum deputatæ, sed etiam vt impositis sanctorum titulis vel denominationibus inter sese, præsertim si multæ sint, distinguantur, sicut consuetudo plerisque in locis obtinuit; sic nec cucullam Ecclesia cum Baptismo confert, quicquid Aduersarius hoc cauillo voluerit corripere. Quòd si vulgus abusiuè benedictionem istam, campanarum Baptismum vocat, non id in præiudicium Ecclesiæ cædere debet.

Aduersarij cõspurcârunt Baptismũ.

Iustitia imputatiua.

Campanæ nõ baptizantur, sed benedicuntur.

1. Timoth. 4.

58. *Cœnam*

58. *Cœnam Domini partim mutilârunt, alteram et dimidiam partem sacrilegè adimentes: partim verò in actionem toto genere diuersam mutauerũt, offerentes eam in sua Missa, sacrificium verè propitiatorium pro peccatis viuorum & mortuorum, vt iactant, sed blasphemè.* TVBINGENSIS

In Ecclesia Catholica Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sub altera tantùm panis specie salubriter ac sanctè, nedum licitè (quamuis vtraq; species vsum quoque suum frequenter habuerit) ab ipsis primordijs Ecclesiæ primitiuæ, ac deinceps omnibus sæculis porrectum fuit, & vsque porrigitur Christifidelibus absque sacrilegio. Cui profectò sanctißimo ritui, nec quicquam obstat vel incommodat, sed magis fauet ac patrocinatur institutio Christi. Igitur Ecclesia Catholica non mutilauit Domini cœnam, quam Aduersarij (si licet ingenuè fateri ac confidenter proloqui, quod res est) non solùm mutilârunt, sed turpiter profanârunt, & ausu plusquàm sacrilego conculcârunt; quando non Sacramentum, nec species vllas, nec Domini corpus vel sanguinem (cùm illi non sint legitimi ministri, qui conficere sacramentum poßint) sed merum panem & vinum porrigunt: quando fractionem prorsus omittunt, in quo nec immeritò culpãtur à Caluinistis: quando verba Christi non integrè recitant, sicuti habet vsus Ecclesiæ, vel vt habentur in scriptura; sed quandam formam à Luthero confictam obseruant? Et dum volunt Diui Pauli textum sequi, addunt: Bibite ex hoc omnes, quæ verba Diuus Paulus non habet. Reliqua sacramenta non conspurcârunt modò, sed sacrilegè prostituerunt & prorsus abiecerunt. Verùm vt ista mittantur, ex professo de Sacrosancto Eucharistię sacramento tractare, nec huius loci, nec temporis est, maximè, cum id ab aliis sit abundè factum, & alio quodam loco, si Dominus voluerit, à nobis fieri debeat. Sic neq; hoc loco videtur agendũ de Sacrosancto tremendoq; Missę sacrificio. Quod cùm non sit aliud, teste Cypriano, quã paßio Domini, quid mirum, si bonus ille Samaritanus ita sapiẽter ac suauiter ꝓuiderit nobis, qui frequentißimè in peccata relabimur, vt illud præsentißimũ redẽptionis nostrę λύτρον vel antidotum per Missæ sacrificiũ ad recuperandã atq; tuendam animorũ sanitatem nobis applicetur, non quidem

CATHOLICVS

Ecclesia Catholica non mutilauit cœnam Domini.

Aduersarij quomodò cœnam Domini mutilârint turpißimè.

Cyprianus ad Cecilium.

Lucæ 10.

quidem ſecundùm ordinem Aaron, modo cruento: ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech incruēto modo; quo fuit à Christo Domino in cœna prototypa inſtitutum. Et ſicut ipſe Dominus noſter eſt propitiatio pro peccatis, non tantùm noſtris, ſed & totius mundi, tàm eorum videlicet, hominum, qui credentes in venturum Meſsiam, ab origine mundi deceſſerunt, quàm aliorum omnium, qui in eundem Meſsiam vſq; ad conſummationē ſęculi ſunt credituri: Sic etiam illud iuge Domini noſtri ſacrificium, omnibus fidelibus tàm viuis, quàm defunctis propitiatorium applicatur. Nam ſi fuit propitiatorium non ſolùm viuis credentibus, ſed etiam vita defunctis, videlicet, Patriarchis ac Prophetis, quorum animæ apud inferos ſeu in Limbo detinebantur, teſte Scriptura: Ero mors tua, ô mors, & morſus tuus ero inferne: Cur admiratur & dubitat aduerſarius; an fructus eiuſdem Sacrificij incruento modo. ſecundùm ordinem Melchiſedech oblati, tàm defunctis quàm viuis fidelibus applicari queat? Propterea Christus dicitur, & eſt Sacerdos (quod Aduerſarius negare nō poteſt) ſecundùm ordinem Melchiſedech, & in vltima Cœna ſemetipſum obtulit ſecundùm ordinem Melchiſedech, & expreſsis verbis Apoſtolis, vt idem facerent, mandauit, & quotieſcunque facerent (vt intelligerent id non ſemel, ſed frequenter fieri debere) in ipſius cōmemorationem facerent; vt nimirùm curandis animorum noſtrorum morbis præſentiſſ. ac ſaluberrimum ſacrificij illius antidotum ſæpiùs applicaretur. Id Apoſtoli, id Apoſtolici viri, id primitiui fideles, id Patres Orthodoxi ſæculorum omnium tàm Græci, quàm Latini crediderunt, docuerunt, & obſeruârunt, & cum vniuerſali Christi Eccleſia ſeruandum præceperunt. Nec quisquàm id negare poteſt, qui nō ſimul Christi ſacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech (cōtra manifeſtum Dei verbum) adeoque Christum ipſum negare voluerit. Futurum id quidem eſt per Antichriſtum, & iam per eius præcurſores fieri cœptum videtur, vt deficiat Hoſtia, & auferatur iuge Sacrificiū, & fiat in templo abominatio deſolationis, & vsque ad conſummationem & finem perſeueret deſolatio. Quæ prophetia, quemadmodùm his calamitoſis temporibus apud

Geneſ. 14. Pſal. 109. Lucæ 22. 1. Ioan. 2.

Oſeæ 13.

Dionyſ. cap. 3. Eccleſ. hier. Iren. li. 4. ca. 32. Iuſtin. in dialogo cum Triphone. Euſeb. lib. 1. c. 10. de demonſt. Euan. & lib. 5. ca. 3. Aug. in Pſal. 33.

Daniel. 9. 12. Vide Hippolytū de conſummat. mundi.

apud noſtrates aduerſarios impleatur, quis eſt, qui magnis ſuſpiriis non videat ac doleat?

59. *Eſſe autem non ignota Eccleſiæ ſigna, Verbum Dei purum, & legitimum Sacramentorum vſum, in ſacra Scriptura, extra controuerſiam eſt. His enim notis diſcreuiſſe Dominũ populum ſuum ab omnibus reliquis gentibus & populis terræ, notius eſt omnibus piis, quã vt verbis opus ſit multis.* TVBINGENSIS

60. *Pſalmo 148. Qui annunciat verbũ ſuum Iacob, iudicia & iuſtitias ſuas Iſraël: Nõ fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.*

61. *Sic circumciſione, tanquam ſigno fœderis populum ſuum diſcreuit, & tanquam peculiari nota inſigniuit, ac ſeparauit à reliquis gentibus. Sicut & Phaſe celebratione, ſimiliter Sabbathi obſeruatione, quod fuit ſignum fœderis inter Deum & populum Iſraël.* Geneſ. 17.

CATHOLICVS

Non eſt in controuerſia poſitum; quomodò Deus populum ſuum à gentibus, atq; Chriſtus Dominus Chriſtianiſmum ſuum ab infidelibus ac barbaris diſcreuerit. Hæc enim nimis eſt generalis & longè petita diſtinctio. Verùm poſtquam apud Chriſtianos, qui per Baptiſmum Chriſto nomina dederunt, ac propterea cenſentur Chriſtiani, multi fuerũt, & adhuc ſunt falſi prophetę, Pſeudoapoſtoli, hęretici, ſeductores (quos Chriſtus & Apoſtoli cauendos præceperunt) homines ſectarij, qui pacem Eccleſiæ perturbant, qui ſoluunt ac diuidũt Chriſtum, qui ſciſſuras faciunt, & excitant hæreſes, qui profanas vocum nouitates introducunt, errantes, & in errorem mittentes; qui non colligunt cum Chriſto, ſed gregem eius diſpergunt, qui denique multiplices congregant ſectas, & varios conuocant cætus; quos nec erubeſcunt Euangelicas Eccleſias (quantúmuis inter ſeſe diſcrepantes & ex diametro pugnantes) vocitare. Ex quibus, inquam, malignantiũ Eccleſiis certatim, & ex omni parte concrepant, & plenis buccis vociferãtur. Vnus quidem: Ecce hic eſt Chriſtus. Et quoniam, licet Chriſtus ſeriò pręceperit, ne credamus eis, nec exeamus quidem, multi tamen nimis curioſi ac creduli, qui periculũ amant & in eo pereunt, qui non ſolùm exeunt, ſed gregatim excurrũt, ſeſeq; coniungunt & adherent falſis prophetis, qui miſſi non ſunt, ſed venerunt in veſtimentis ouium tanquam lupi rapaces. Hinc variæ cohortes & ſectæ natæ ſunt, & paſsim apparent, omnes præ ſe ferentes

Matth. 6. Actor. 20. 1. Ioan. 4. 1. Cor. 1. Lucæ 11. Matth. 24. Eccleſ. 3. Matth. 6.

Euangelicarum Ecclesiarum speciosos, sed fucatos & fallaces titulos. Quibus quidem titulis ne falleremur, existimantes illorum cohortes esse veras (sicut prædicant) Ecclesias; voluit Christus Dominus spósam suam, quam elegit, hoc est: Catholicam Ecclesiam nobis designare ac conspicuā reddere, certis quibusdā & manifestis notis, quæ nullis omninò sectis, sed illi soli ac semper conuenirent. Talia signa non sunt, nec esse possunt, Verbum Dei & Sacramētorum vsus, quandoquidem hęc sibi quoq; vendicant & vsurpant Sectarij. Nónne Lutheranorū, Nónne Caluinistarum, Nónne Pyckardorum, Nónne Trinitariorum, Nónne Anabaptistarum (vt omittantur cæteri) sectæ, inter sese dissimiles, dissentientes imò pugnantes sunt, & tamē oēs & singulę, notis his vtūtur? Nónne singulę verbū Dei purū, & legitimū Sacramentorū vsum iactitant? Nónne singulę notis istis, quibus aduersarius, sed aduersùs aduersariū triumphant? Alia sunt ergo certiora notioraq; signa, quę refugiunt sectarij, cùm apud eos minimè, sed in sola Christi Ecclesia reperiantur. Hęc enim euidenter demonstrant verā Christi Ecclesiam; sicut deinceps per ordinem suis locis declarabitur. Neq; hæc in vllum (quod absit) verbi Diuini, vel Sacramentorū præiudicium

Aduersarij abutūtur Christo.

cædunt: Nam cùm sectarij Christum nouum & falsum sibi fingunt, & sic abutūtur ipso Christo Domino; quo nihil diuinius, nihil sanctius, nihil salutarius existit, quid mirùm, si verbis & Sacramentis eius, licet sanctissimis, abutātur? Ridiculum autem videtur, quòd aduersarius Sabbathū inter eiusmodi signa collocet; quoniam duas tantùm notas hactenus prædicauit: nimirùm Verbum Dei & Sacramentorum vsum, ad neutrum eorum, poterit Sabbatū referre, nisi velit etiam apud Christianos, diem dominicum cęterosq; dies festos inter Sacramenta recensere, quod eius collegæ minimè, sat scio, probabunt.

TVBINGENSIS

62. *Sic in nouo Testamento Christus manifestè has notas ponit: Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Ideò vos Iudæi, Pharisæi, non auditis, quia ex Deo non estis. Oues meæ vocem meam audiunt. Alias quoq; oues habeo, quæ ex hoc ouili non sunt, & illas oportet me adducere, & vocē meā audient. Hoc mandato discipulos suos ablegat in vniuersum terrarū orbem, vt sibi Ecclesiam colligāt: Ite inquiens,*

Ioan. 8.

Ibidem 10.

& prædicate Euangelium omni creaturæ, Baptizātes eos &c. Qui crediderit et Baptizatus fuerit, saluus erit. Item: Hoc facite in mei commemorationem.

63. *Ac semper Ecclesia, omnium temporum, sensit & iudicauit, inter reliquos fines Sacramentorum, hunc quoq; vnum esse, quòd sint notæ professionis, quibus Ecclesia ab aliis populis est discreta & agnita.*

CATHOLICVS

Supradictis scripturę Sacrę testimoniis nihil minùs conuincitur, quàm verbum Dei & Sacramentorum vsum, esse notas, vel signa, quibus vera Christi dignoscatur Ecclesia: Sed tātùm probant, hæc in Ecclesia reperiri, quod nemo negauit vnquam. Et quoniam aduersarij docent, neminem posse Dei præcepta seruare; profectò nemo potest apud ipsos in Christi sermone manere. Vnde nemo potest apud ipsos Christi discipulus esse, & sic nec istæ notæ possunt apud ipsos locum habere, secundùm allegationem aduersarij: Sic cùm citauerit verba Christi: Oues meæ vocem meam audiunt, velit nolit, cogetur fateri, non soli Scripturæ, sed etiam viuæ voci Pastorum esse credendum. Quòd porrò sequenti assertione commemorat aduersarius, inter alios Sacramētorum fines, semper vnum fuisse hunc, quòd Ecclesia Dei Sacramentis ab aliis populis discerneretur &c. parùm ad institutū facit. Nam quamuis verum sit, Ecclesiam Dei per Sacramenta distinctam ac discretam ab aliis populis, scilicet infidelibus, paganis & Ethnicis semper fuisse, sicut olim Synagoga Iudæorum per circumcisionem & alias ceremonias, ab incircumcisis gētibus discreta fuit; nō tamen eadem est ratio, quando apud Christianos sunt hæreses & sectæ varię, quarum quelibet legitimum Sacramentorum vsum sibi vendicat. Vnde nec Sacramentis vera Christi Ecclesia, tanquam nota quadam manifestiori distingui potest ab hæresibus, sicut nec ipsæ sectę, licet innumerę sint, hac nota discerni possunt. Nam Lutherani, Caluinistæ, Seruetiani, Pickardi, Husitæ, Vvaldenses, Anabaptistæ, cùm aliôqui circa religionem plurimùm dissentiant, & inter sese digladientur, omnes tamen Sacramentis abutuntur; & quisque suum abusum mordicus retinet ac pro legitimo Sacramentorum vsu tuetur. Quisq; enim Sacramentorum notā ascribit & vsurpat sectę suę, vt inter sese nequeant Sectarij conuenire, penes quos

Apud aduersarios cur nemo possit esse discipulus Christi.

Sacramentorum vsus cur nō sit Ecclesiæ nota.

legitimus Sacramentorum vſus reperiatur. Tantùm abeſt; vt per hanc notam Eccleſia Chriſti poſſet à ſectis diſcerni.

TVBINGENSIS 64. *Sicut hodie Pontificia Eccleſia diſcernitur à nobis, vſu Sacramẽti mutilati.*

CATHOLICVS In reſponſio. ad Aſſert. 58. In Eccleſia Catholica non mutilatum, ſed integerrimum ac ſaluberrimum Euchariſtiæ Sacramentum eſſe, & fidelibus porrigi ſuprà demonſtratum eſt. Quomodò autem aduerſarij hoc Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum mutilent facilè pius lector iudicauerit. Nam ex illis multi ſunt, qui Chriſtum ipſum in Sacramento diſſoluunt ac diuidunt, quando corpus eius exangue ſub ſpecie panis eſſe, & ſub vini ſpecie ſanguinẽ, vel potiùs mortuum cruorem abſque corpore (ſua opinione) tradũt. Quàm vero turpiter hæc Chriſti verba: Hoc eſt corpus meum &c. non mutilârint modò, ſed etiam in plurimas & abſurdiſſ. ſibiq; repugnantes opiniones ac diſſenſiones diſtraxerint, erit alius & oportunior, Deo volente, dicendi locus.

TVBINGENSIS Galat. 1. 6. 65. *Similiter & Apoſtoli ſancti eaſdem notas Eccleſiæ ponunt: Si quis aliud Euangeliũ prædicauerit, præter id, quod prædicauimus, anathema ſit. Quicunq; iuxta hanc regulam incedunt, pax ſuper eos & miſericordia. Ædificati ſuper fundamentũ Prophetarum & Apoſtolorũ, hoc eſt, ſuper eorum doctrinam de Chriſto, qui eſt caput & lapis angularis. Vnde & Eccleſia colũna veritatis dicitur, quòd cuſtos eſt veræ & ſynceræ doctrinæ à Deo traditæ de Chriſto, quem pater vult audiri, 1. Ioan. 4. Qui nouit Deum, audit nos, per hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris: Qui manet in Doctrina Chriſti, hic & patrem & filium habet.* Epheſ. 2. 1. Timoth. 3.

CATHOLICVS Hæc ſcripturæ Sacræ teſtimonia quæ præcedenti ſunt aſſertione citata, nihil ad rem faciunt. Nõ enim eo ſenſu vel modo, quo vult aduerſarius, Quęnam ſit Eccleſia Chriſti; demonſtrant; ſed duntaxat prohibent, ne quis reiecto vero Chriſti Euangelio, doctrinam nouam ac falſam ſub Euangelij titulo ſuſcipiat. Nam qua ratione dicit Apoſtolus: Si quis aliud Euangelium prædicauerit, præter id, quod prædicauimus, Anathema ſit, eadẽ ratione Eccleſia Dei per tot Oecumenica Concilia ſemper prȩcepit, & nuper per Tridentinam quoque Synodum ſub Anathematis comminatione mandauit, vt perpetuò (vitatis nouitatibus) retineatur illud ipſum Apoſtolicum & Catholicum Euangelium, quod Chriſtus ipſe docuit, quod Apoſtoli

per

per orbem terrarum diuulgârunt; quod Ecclesia Apostolica recepit,confirmauit,ac posteris suis tradidit,quod eadem Ecclesia tanquam depositum bona fide custodiuit, & hucusque seruat inuariatum, & passim ac salubriter prædicat in salutem omni credenti. Qui volunt igitur hoc ipsum verum Christi Euangelium cognoscere, iuxtaque sententiam Apostoli, constantissimè seruare; necessum est, vt Apostolis & Apostolorum Successoribus adhæreant, & ab illis, non à Cherintho, non ab Hymenæo & Alexandro, non ab aliis eorum asseclis, & sectariis Euangelium audiant: necessum est, vt deuitent homines hæreticos, licet illi, nouitates suas sub Euangelij prętextu fraudulenter venditent: necessum est, vt huic antiquo, Catholico, veroque Euangelio sic adhæreant, ne vel latum vnguem ab eo discedant. Et quamuis iidem fortè nunc Apostoli, aut Angelus de cœlo Euangelizet aliud, pręterquàm quod anteà fuit Euangelizatum, anathema iudicetur. Adeò voluerunt Apostoli, fideles primitiuos esse constantes in Euangelio vero, cuius Ecclesia fidissima custos & interpres est. Adeò cauerunt semper, vt hæreticos deuitârent, nec eis quidem (Aue) dicerent. Adeò cauerunt hoc ipsum, præsertim Episcopis commendatum & inculcatum esse, vt sibi atque vniuerso gregi attenderent, & in Apostolica Catholicaque obedientia fidei, sedulò perseuerarent. Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia. Nam illi iam non sunt hospites & aduenæ, sed ciues Sanctorum & domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, hoc est, super Apostolicam & Catholicam eorum doctrinam de Christo, qui est Caput & Lapis angularis. Cùm igitur Ecclesia de vero Christi Euangelio testimonium perhibeat, quod sæpe iam demõstratum est, & Ecclesia columna veritatis, sit veræ ac syncerae doctrinæ custos, vt rectè hoc loco fatetur aduersarius (licet superiùs cõtrarium dixerit) & ille, qui Deum nouit, Apostolos & Apostolorum Successores, hoc est, Pręlatos Pontificios audiat, in quo discernitur Spiritus veritatis, à spiritu erroris; profectò hæc omnia nõ solùm aduersario nihil patrocinantur, sed aduersantur plurimùm, & probant, apud ipsos verum Euangelium non

Rom. 1. 1. Timoth. 1. 2. Timoth. 2. Tit. 3. Galat. 1. Tit. 3. 2. Ioan. 1. Actor. 20. Rom. 1. Galat. 6. Ephes. 2. Assert. 12. Luc. 10.

esse, cùm Apostolorum Successores non agnoscant, nec audiant, atque sic nec maneant in doctrina Christi, nec Patrem nec Filium habeant.

TVBINGENSIS August. epist. 48. 66. *Sic & Diuus Augustinus: Nos autem ideò certi sumus, neminem se à cōmunione omnium gētium iustè separare potuisse: Quia non quisque nostrûm in iustitia sua, sed in SCRIPTVRIS DIVINIS QVÆRIT ECCLESIAM, & vt promissa est, reddi conspicit.*

CATHOLICVS Agit hoc loco Augustinus ad hominem, vt loquuntur Philosophi, contra quosdam hæreticos, qui Scripturam admittentes Ecclesiam negabant: quos à posteriori, more Dialecticorum, confutat. Aliòquin diuus Augustinus optimè nouit, ac sæpiùs scriptis suis testatur, Ecclesiam Scriptura priorem esse, quippe quæ nobis Scripturā tradidit. Itaque diuus Augustinus hoc sensu dixit: In SCRIPTVRIS DIVINIS QVÆRI ECCLESIAM, quòd nimirùm Scriptura sacra, postquàm ab Ecclesia tradita, rectè declarata & confirmata est, etiam Ecclesiæ mutuas tradat operas, & dextram vicissim porrigat, adeoque testimonium veritatis tanquam filia matri perhibeat. Atque hoc sensu, Scriptura sacra frequenter commendat Ecclesiam, & audiendam præcipit, & variis titulis describit, & magnificis encomiis exornat atque concelebrat.

Scriptura sacra quomodò testimonium det Ecclesiæ.

Matth. 23. Luc. 10.

TVBINGENSIS August. epist. 118. 67. *Sic idem Pater. Vnde Sacramentis numero paucissimis, obseruatione facilimis, significatione præstantissimis, Societatem noui populi colligauit: sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, Communicatio corporis et sanguinis ipsius, & si quid aliud in scripturis Canonicis commendatur. Exceptis iis, quæ seruitutem populi veteris, pro congruentia cordis illorum, & Prophetici temporis onerabant, quæ quinq; libris Moysis leguntur.*

CATHOLICVS Malè concludit aduersarius ex D. Augustini verbis, propterea verbum Dei notam esse Ecclesiæ, quòd Deus Sacramētis societatem noui populi colligauerit. Idem enim Augustinus dixit, quòd Sacramenta extra Ecclesiam esse possunt, sed prodesse non possunt. Quòd si possunt extra Ecclesiam esse Sacramenta (quod cum D. Augustino fatetur aduersarius) profectò non potest ex parte, vel vsu Sacramentorum, vera Christi Ecclesia iudicari. Ne quis autem ex verbis prædictis temerè putet

Tom. 3. de fide ad Petrum c. 36. & in lib. de Bapt. contr. Donatistas.

putet, Diuum Augustinum duo tantùm Sacramenta recepisse, sicut aduersarij miserè decepti putant, manifestè D. Augustinus alibi plura Sacramenta profitetur. Nam & Confirmationē & Ordinationem cæteraq; septem Sacramenta palàm recipit & obseruat. Sacramentum Charismatis, ait enim, (licet illud aduersarij reiiciant) in genere visibilium signorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus &c. Augu. cont. literas Petiliani lib. 1. ca. 104. Idem lib. 2. c. 13. cont epist. Parmeniani.

68. *Malè ergo Iesuita, bonus vir, dicit, non Ecclesia per Euangelium, sed è diuerso, per Ecclesiam cognoscitur Euangelium: Hoc vult dicere, Quòd nos Pontificij volumus, facimus & dicimus, sanctum est, quæ scripta nos pro sacris oraculis agnoscimus; Canonica sunt, sicut multa in Canonem retulerūt sua autoritate. Et nos audiri oportet sacrorum interpretes oraculorum. Penes nos Deus deposuit suum verbum, cuius interpretandi potestatem habemus & autoritatem. Nam mysticum Scripturæ sensum habemus ex Traditionibus, & ordinaria successione. Non enim peribit Lex à Sacerdote, nec visio à Propheta. Errare non possumus. Vos igitur Laici, securè nobis vestrarum animarum salutem committite, nihil de Scriptura legenda soliciti.* TVBINGENSIS

Non malè, sed optimè dixi; scriptum Euangelium, sicut ab Ecclesia nobis traditum & commendatum est, sic per Ecclesiam cognitum ac discretum ab Apocryphis esse, quandoquidem ab Ecclesia prędicatum fuit, antequàm scriptum esset. Vnde manifestum euadit; Euangelium à scriptione non depēdere, sed verum Euangeliū fuisse priusquàm scriberetur, quando nimirùm absque scripto ex Christi mandato prędicabatur. Vnde nec illud negari potest, quin reliqua pars Euangelij, quæ libris Canonicis expressa non habetur, (cùm non sint omnia scripta, quæ fecit Iesus) sed per traditionem, per viuæ vocis oraculum, ac per prædicationem ad nos ab Ecclesia peruenit, adeoque tota Ecclesiæ doctrina Euangelij prædicati nomine rectißimè censeatur, ac verum sit Christi Euangelium, quod licet scriptum non sit, prædicari tamen fuit missum atque mandatum. Cætera, quæ congerit aduersarius in hac ipsa assertione, sicut calumniosa sunt scommata, sic mihi contemnenda veniunt. CATHOLICVS Traditiones pars Euangelij. Ioan. 20. & 21.

69. *Quod igitur ad verbum Dei attinet, habet illud autoritatem suam principaliter à Deo ipso autore; siue enim homines credant & recipiant, siue* TVBINGENSIS

non

non credant & respuant, est & manet semper Dei verbum, suamque retinet autoritatem summam, sicut Deus, Deus est, & manet, etiamsi impius dicat
Psalm. 14. *in corde suo: Non est Deus: ita si negauerimus, ipse fidelis est, & manet, nec mutat suum iudicium ad nostrum, vt Cusanus Cardinalis causatur vel delirat potius. Itáne Deum homo suo calculo, eiusue verbum faceret? Etsi enim totus mundus incredulus esset, quando Dei patientia expectabat in diebus*
1. Petr. 3. *Nohæ, dum prædicaret diluuium; tamen hoc Dei verbũ fuit. Quod et euentus, stultorum Magister comprobauit; cùm quod credere nolebant, re ipsa experiebantur.*

CATHOLICVS Nemo quidem vnquam dubitauit, quin verbum Dei suã autoritatem principaliter acceperit, & habeat ab ipso Deo autore, siue credant homines, siue non credant: Veruntamẽ, quo ad nos, autoritatem quoque suam dicitur per Ecclesiam accepisse, quatenus nimirùm per eam à Spiritu sancto dictatum & traditum, & à falso verbo discretum habetur, & ita confirmatum est, vt certissimè (certitudine fidei) constet, illud non à Satana vel humano spiritu, sed à Deo vero profectum esse. Sic legitimi ministri, qui Verbum prædicant, licet à Deo sint vocati, ac suam autoritatem vnà cum Ecclesiastica functione susceperint, rectè tamen ab Ecclesia quoque suam dicuntur autoritatem habere, quatenus per Ecclesiam assumpti, deputati, & ordinati sunt, & rectum legitimæ vocationis & ordinationis
Rom. 3. suæ testimonium habent. Quemadmodùm verax ac fidelis sit, & maneat Deus, licet homines non credant, copiosè pertractatum à nobis est in cõfutatione assertionis 44. Illud Dei verbum, quod Noha prædicauit, non scriptum, sed prædicatum verbum fuit. Quod porrò spectat ad hanc obiectionem, quam
August. epist. 48. aduersarius mouet de Noha; legat, qui volet, Augustinum, qui pro me doctissimè respondebit illi, sicut Donatistis idem obiicientibus, olim respondit

TVBINGENSIS 70. *Quòd verò leuia hominum ingenia, pro sua libidine verbum Dei detorquẽt, hominum id vitio fit, & Diaboli malitia: Nec hãc ob caussam Scriptura est accusanda: quod fieri mirũ nõ est, cùm aliàs in rebus quoq; humanis, nihil tàm benè & circumspectè dici possit, quod malè narrando & per calumniam deprauari non possit.*

CATHOLICVS Scriptura sacra sicut nullam habet culpã, sic nullo modo

potest

potest,vel debet accusari,nec vnquam(absit piis cordibus tàm insulsa temeritas) accusata fuit, quam omnes meritò reueremur & obseruamus,tanquam sanctissimum Dei verbum, quo diuinitùs nihil preciosius nobis datum est. Quòd autem intellectu difficilis,nec omnibus est peruia, hoc à Deo sapienter ita dispositum est,& ad sacræ Scripturæ reuerentiam & commendationem plurimùm facit. Quòd etiã trahatur in varias& contrarias opiniones,& ad confirmandos errores torqueatur, & hæreses producat,non id accidit vitio Scripturę S.sed hominũ improborum, qui etiam abutũtur ipso Christo,nedũ eius verbo,sicut in præcedentibus aliquoties & copiosè declaratũ est. 1.Petr. 5. 2.Petr. 3.

71. *An verò,quia Satan dixit Euæ: Nequaquam moriemini,ideò Dei verbum fuit ambiguum, quo dixerat: Quocunq; die comederitis de arbore scientiæ boni & mali,morte moriemini.* TVBINGENSIS

CATHOLICVS

Verbum Dñi mansit,quale fuit,nec quicq̃ in eo mutatum est,quantúmuis à Satana torqueretur in prauũ sensum, aut ab Eua minùs intelligeretur, aut nõ seriò fortè dictũ crederetur. Ne vero quemad.à serpente fuit Eua seducta, sic Euæ filij ꝑ falsos Prophetas seducti,à germano Scripturæ sensu,declinent in errores;necessum est,vt audiant vocem pastorum suorũ,à quibus certiores fiant, quódnam Dei verum, quod etiam Satanæ falsum sit verbum. Aliôquin metuendum est periculum,quod Apostolus Corinthiis non sine graui caussa,his verbis insinuauit:Timeo autem,ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua,ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo. Sed quoniã permulti iam sunt, qui pastorum suorũ legitimorum voces non audiunt,nec cognoscunt quidem,sed attendunt spiritibus erroris,& doctrinis Dæmoniorum in Hypocrisi loquentiũ mendacium; & ad sua desideria coaceruant sibi magistros,pruriẽtes auribus &c. hinc accidit,vt corrũpantur sensus eorum,& excidant à simplicitate,quæ est in Christo. 2.Corinth. 11. Ioan. 10. 1. Timoth. 4. 2. Timoth. 4. 2.Corinth. 11.

72. *Et quod ad genuinam Scripturæ S.sententiam attinet, quòd de corde in cordes transfundatur, & per certos homines custodiatur & propagetur, faciliùs id dicitur,quàm probatur. Cùm eius contrarium experientia et Scriptura testentur.* TVBINGENSIS

CATHOLICVS

Negat aduersarius,probari posse genuinã Scripturæ sen-

tentiam cordibus hominum infundi, & ex illis in aliorum corda (ille fortè elegantiùs cordes dicere maluit) transfundi, & per traditionem custodiri ac propagari. Sed cur hæc negar, cùm pluribus & manifestissimis Scripturę S. testimoniis abundè probentur? Quòd enim cordibus nostris Euãgelium suum Christus infundere voluerit, testatur per Prophetam; Dabo leges meas in viscerib⁹ eorum, & in corde eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Ad quẽ sensum Apostolus ait Corinthios, epistolã esse Christi, scriptã non atramẽto, sed Spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus &c. De Traditionibus etiã Ecclesiæ seu Patrũ, quos aduersarius certos vocat homines, possent innumera tàm Scripturæ sacræ, q̃ S. Patrum testimonia ꝓduci, nisi Apologię breuitas id fieri prohiberet. State, ait Apostolus, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Et alibi: Laudo autẽ vos fratres, quia per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Sic idem Apostolus Tessalonicenses admonet, vt subtrahant se ab omni fratre, qui inordinatè, & non secundùm traditiones ab Apostolis acceptas ambulet. Amplissima Patrum testimonia de traditionibus Ecclesiasticis, licebit videre apud D. Chrysostomum, Theophylactum in actis Concilij Nicæni II. & in octaua Synodo generali Cõstantinopolitana &c.

Ierem. 31. Hebr. 8. 2. Corinth. 3. 2. Tessal. 2. 1. Corinth. 11. 2. Tessal. 3. Chryso. hom. 4. in 2. ad Tessal. Theoph. In cap. 2. epist. 2. ad Tessal. Conc. Nic. Act. 7. 8. Syno. Can. 1.

TVBINGENSIS

73. *Profitetur Apostolus, se fidelissimè omne Dei consilium annunciasse Ephesiis: & tamen ex hoc ipso cœtu suorum auditorum, & quos præfecerat Doctores, surrecturos asserit falsos doctores. Et quid Ecclesiis Corinthiorum & Galatarum, quas magnis idem laboribus plantauerat, acciderit, manifestũ est. Quòd videlicet, quamprimùm illis tergum verterit, puritate doctrinæ cœlestis amissa, hæreses, sectas & schismata illic orta esse.* (Actor. 20.)

CATHOLICVS

Non diffitemur id, quod aduersarius ex Apostolo refert Corinthiis & Galatis, aliisq́; pluribus Ecclesiis accidisse, vt aliqui nimirũ à veritate quidẽ auditum auerterint, & ad fabulas conuerterint, adeoq; sectas & hæreses excitârint: non tamẽ ꝓpterea traditiones extinctæ sunt, nec ipsa Catholica veritas apud omnes & vbiq; periit. Nam in Ecclesia Catholica & Rom. cùm illa sit columna veritatis & sponsa Christi, nunq̃ genuina Scripturæ

2. Timoth. 4. 1. Timoth. 3. Cant. 4.

Scripturæ S. ſententia, nunq̃ verus Dei cultus, nunq̃ legitimus Sacramentorum vſus interiit; imò nec vacillare quidem aliq̃n cepit. Sed hęc tanquã ſacroſancta depo,ſita fideliter illa ſemper cuſtodiuit, & vſq; retinet, quemad. id eſt in præcedentibus aliquoties & euidenter demonſtratum. Eſt inefficax, ne dicã, ineptus, argumẽti modus, quo aduerſarius vtitur, quaſi propterea doctrinæ cœleſtis puritas, ſicut ait, amiſſa penitus fuerit, quòd in quibusdam Eccleſiis aliqui defecerunt, & hæreſes excitãrunt. Nónne his quoq; temporibus noſtris (quod non absque grauiſsimo animi mei dolore commemoro) plurimi deficiẽtes, ſectas atque hęreſes propemodùm innumeras inuexerunt, nec adhuc nouitatibus excogitandis modum vllum faciunt; & nihilominùs in Eccleſia Catholica ſtat, ſtabitque ſemper firmũ Dei fundamentum, nec facilè ruet Catholicæ Euangelicæque pietatis immota & inconcuſſa veritas? electa nimirùm à Chriſto Petra, contra quam inferorum portæ (quicquid moliãtur) nunquam præualere poſſunt. In confutatione Aſſert. 12. 2. Timoth. 2. Matth. 16.

74. *Non ergo depoſitum illud, ita facilè, fideliter retinetur & cuſtoditur. Religio enim vera hæreditarium bonum non eſt, ſicut nec pietas parentum in liberos propagatur: cum nec paternæ hæreditates ad poſteritatẽ ſemper perueniant aut permaneant.* TVBINGENSIS

Quod ſi Religio (vt ait aduerſarius) non eſt bonum hęreditarium, quod in ſucceſſoribus legitimis conſeruetur; cur de Chriſto eiuſq; religione ſic vaticinatus eſt Propheta: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam &c. Et alius: Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quę poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus, amodò & vſq; in ſempiternum? Cur ait Apoſtolus, quòd Deus in Eccleſia quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euãgeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores (notet aduerſarius, quæ ſequuntur) ad conſummationẽ ſanctorum, in opus miniſterij, in ędificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei? &c. Cur, inq̃, Deus hanc miniſtrorum ſucceſsionem & continuationẽ perpetuam eſſe voluit, ſi religio vera, non eſt bonum hæreditariũ? Nihil omninò facit ad rẽ comparatio, quam aduerſarius inter CATHOLICVS Pſalm. 2. Eſa. 59. Epheſ. 4.

religionem Christi veram,& pietatem parentum in liberos propagandam instituit. Nam de hac nulla prorsus nec ratio, nec Scriptura,nec promissio legitur. At,quòd religio sit quadam ministrorum ac temporum successione ad posteros perpetuò transfundenda,manifestissimis Scripturæ sacræ testimoniis & promissionibus diuinis iam euidenter est probatum.

TVBINGENSIS Rom. 14. 75. *Sed sententia Scripturæ genuina,in Scriptura ipsa est,conseruatur,propagatur,eruitur ex eadem,facta collatione. Sicut Apostolus vult;omnē Prophetiam,hoc est,Scripturæ interpretationem,fidei esse analogam.*

CATHOLICVS Procul dubio sententia Scripturæ genuina in Scriptura ipsa est,& conseruatur: Verùm hoc opus, hic labor est, vt inde fœliciter erui queat. Hic viderit pius Lector, an hoc ipsum ex officio pertineat ad quemuis hominem priuatum, cuiuscunque sit ille vocationis vel artificij,(sicut apud aduersarios accidit) vt ille nimirùm sordidis pedibus margaritas sacras conculcet, vt manibus illotis commaculet Scripturam sacram, vt ore polluto contaminet verbum Dei? Iureconsultorum leges & decreta non quiuis interpretari potest, nisi diligenter in ea facultate sit versatus. Aphorismos Medicorum scrutantur & exponunt, nō quiuis populares homines,sed Medici,quorum hæc est propria vocatio atque professio. Cur igitur sententia Scripturæ genuina non relinquitur eruenda Ecclesiæ Catholicę,apud quam Deus eam deposuit,sicuti fatetur aduersarius? Cur homines gregarij, curiosi, vagabundi,gyrouagi,potiùs in hoc Sacrosanctum Ecclesiæ depositum,quàm in alias facultates inuolant? Vnde Diuus Hieronymus, postquàm multa de Scripturæ sacræ difficultatibus & profundis mysteriis premisisset,tandem de pernitiosa talium hominum curiosorum importunitate, grauiter his,& quidem multis ac disertis verbis conqueritur. Hæc,inquit,à mè perstricta sunt breuiter, (neque enim epistolaris angustia euagari longiùs patiebatur) vt intelligeres, te in Scripturis sacris sine præuio & monstrante semitam non posse ingredi. Taceo de Grammaticis, Rhetoribus, Philosophis, Geometris, Dialecticis, Musicis, Astronomis, Astrologis, Medicis; quorū scientia mortalibus, vel vtilissima est & in tres partes scinditur, τὸ δόγμα μέθοδον καὶ ἐμπειρίαν. Ad maiores

Marginal notes: Matth. 7. — Epistola ad Paulinum cap. 6. Scriptura sacra patitur varios abusus.

minores artes veniam, & quę non tàm lingua, quàm manu administrãtur. Agricolæ, Cœmentarij, fabri metallorum, lignorumque cæsores, lanarij quoque, & fullones, & cæteri, qui variam suppellectilem & vilia opuscula fabricant, absque doctore esse non possunt, quod cupiunt. Quod Medicorum est, promittunt medici; tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Scribimus indocti doctique poemata passim; hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Alij adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris literis philosophãtur. Alij discunt (proh pudor) à fœminis, quòd viros doceant, & ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, imò audacia edisserunt aliis, quod ipsi non intelligunt &c. Hæc ille: quibus non verè minus, quàm eleganter varios nostrorum temporum abusus, qui circa scripturam Sacram temerè committuntur, expressisse videtur. Sed aiunt aduersarij, propterea Scripturam omnibus esse communem, quòd omnes teneantur ex ea salutem suam quærere. Sed nónne pertinet ad ad omnes quoq; bonam corporis valetudinem tueri, ac amissam recuperare? nónne iura ciuilia, sicut omnibus necessaria sunt, sic excepto nemine, spectant ad omnes? Et tamen non omnes propterea sunt Medici, vel Iureconsulti, vt prę sumant illas facultates cum graui periculo suo profiteri. Cur igitur omnes sententiam scripturæ Sacræ genuinam eruere pro arbitratu suo præsumunt? Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? Nunquid omnes virtutes? Nunquid omnes gratiam habent curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nunquid omnes interpretantur? Æmulamini autem charismata meliora &c. Itaque licet in ipsa scriptura sit verus scripturæ sensus, in hoc tamen grauis error committitur, quòd non eruatur fœliciter ab omnibus; præsertim iis, qui Prophetæ non sunt, nec interpretandi donum & officium habent. Porrò verba D. Pauli negligenter ab aduersario sunt allegata, cùm ad Roman. 14. cap. de hac re ne Iota quidem inueniatur. Et quamuis insinuet Apostolus alibi

Fœminæ docent viros.

Scripturæ sacræ interpretatio non est omnibus communis.

1. Cor. 12.

Rom. 12.

prophetiam esse datam secundùm rationem fidei, nihil tamen hæc Apostoli verba patrocinātur aduersario; quandoquidem non de sola scripta fide, sed multò magis agatur de fide simpliciter, quatenus prædicatur, & ex auditu nascitur, eodem Apostolo pluribus id verbis confirmante: Omnis, ait enim, quicunq; inuocauerit nomen Domini saluus erit. Quomodò ergo inuocabunt, in quem non crediderunt, aut quomodò credent ei, quem non audiuerunt? Quomodò autem audient, sine prædicante? Quomodò vero prædicabunt, nisi mittantur &c. Tandem post alia multa ad eundem sensum dicta, concludit Apostolus ex propheta; fidem ex auditu, & auditum per verbum Christi (videlicet prædicatum) esse.

Rom. 10.

Esaiæ 52.

TVBINGENSIS Assert. 7.

76. *Quod igitur Iesuita Disputator, illis notis Ecclesiæ, quas scriptura Sacra ponit, repudiatis, suo quodam compendio vsus, alias quatuor ponit; Vnam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam, nobis hæc non vsqueadeò aduersantur, sed acceptamus: Ita tamen, vt attributa sint hæc magis, & qualiscunq; eius descriptio, quàm signa. Quòd partim non singula soli Ecclesiæ conueniant, partim non sint visibiles notæ in oculos incurrentes, cuiusmodi ipsimet requirunt. Nec tamen ipsorum Ecclesiæ competant. Sed de vocabulis odiosè non litigabimus, dummodò de re constet, de qua sumus dicturi eo ordine, quo ipse proposuit Antagonista, planeque contrarium probabimus; has nempe ipsas, quas aduersarius facit notas, Ecclesiæ Romanæ nequaquam conuenire. Vnde & ipsam veram Christi Ecclesiam, ne quidem iuxta ipsorum etiam descriptionem, esse constabit.*

CATHOLICVS

Hactenus pluribus in locis satis superque demonstratum est, verbum Dei & legitimum Sacramentorum vsum non esse certas & euidentes notas, quibus Ecclesia Christi vera demonstratur; cùm præsertim illis (licet inmerito) sectarij magno fuco & applausu ad multorum subuersionem glorientur & abutantur. Vnde Vincentius Lyrinensis duobus, iisque manifestis Euangelij testimoniis probat, illud non esse certum veræ doctrinæ seu Apostolici magisterij signum, aut iudiciū, cùm quis in concionibus, & ad confirmanda sua dogmata, multas subinde Scripturas coaceruat ac iactitat. Monuit enim Dominus, vt attendamus à falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ouiū. Quid est, inquit ille, Vestitus ouium nisi Prophe-

In aureo libello de hæresibus.

Matth. 7.

tarum

tarum & Apoſtolorum proloquia? Qui ſunt lupi rapaces, niſi ſenſus hæreticorum feri & rabidi, qui caulas Eccleſiæ ſemper infeſtant? Cætera Lyrinenſis & quidem aurea verba, cùm in confutatione 52. aſſert. ad longum recitata ſint, hîc non videbantur iterum repetenda. Eandem porrò ſententiam confirmat Ambroſius, cùm ait: Diſce hîc, quod Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis. Ergo non te capiat hæreticus, quia poteſt de Scriptura aliqua exempla proferre. Vtitur & Diabolus teſtimoniis Scripturæ, non vt doceat, ſed vt circumſcribat & fallat. Idem ſentiunt ac docent alij Patres Hieronymus, Hilarius, Origenes, Tertullianus. Qui etiam ſuadet Catholico, ne ſuſcipiat certamen cum Hæretico prouocante tantùm ad Scripturas; non quòd Eccleſiæ cauſæ quaſi dubiæ diffidat, ſed quòd hæretici abutantur Scripturis in earum diſputatione ſine iudice. Idem Irenæus teſtatur his verbis: Sicut quis aquæ mixtum gypſum dans pro lacte, ſeducit per ſimilitudinem coloris, ita & hæretici imponunt fidelibus, ſimilitudine verborum, cùm exiſtimentur ſimilia Catholicis dicere. Idem inſinuat Cyrillus Alexandrinus: Sicut mulierculæ (ait enim) turpitudini deditæ, veſte atque auro turpitudinem ſuam occultant, & non præuidentes ad perniciem attrahunt, eodem modo iſti veræ religionis pulchritudinem fingentes, Scripturæ autoritate errores ſuos conantur communire. Vnde Tertullianus & Vincentius Lyrinenſis non diſertè minùs, quàm verè declarant, Scripturas ſacras ab hæreticis paſsim deprauari. Quam etiam ob cauſam Origenes nihil veretur hæreticos Scripturarum fures & adulteros vocare. Irenæus aſſerit idem, per quandam ſimilitudinem ex malè transformata Regis imagine deductam. Cyprianus vocat hæreticos corruptores Euangelij ac interpretes falſos, qui extrema ponunt, & ſuperiora prætereunt, partim memores, & partim ſubdolè corrumpentes, vt ſicut ab Eccleſia ſciſsi ſunt, ita capituli vnius ſententiam ſcindant. Ex his Patrum veriſsimis teſtimoniis abundè conſtat, non modò Scripturam, ſanctæ Eccleſiæ veræ ac veritatis Catholicæ, ſignum euidens ac ſufficiens non eſſe, ſed etiam, quemadmodùm hoc ipſum ſignum à ſuis autoribus ac defenſoribus miſerrimè tractetur, mutiletur, deprauetur, vt nullã, prorſus ſigni rationem habere

Ambroſius ſuper caput 4. Lucæ.

Hieron. ſuper Epiſtolam ad Tit.

Hilarius lib. 4. de Trinitate.

Origenes in Leui. Hom. 4.

Tertullianus li. 4. cōtra Marcionem & de præſcriptio. Hæreticorum.

Irenęus li. 5. ca. 15.

Cyril. Alex. lib. 3. ca. 12. ſuper Ioannem.

Tertullianus libr. de pręſcriptionib.

In 2. cap. ad Rom.

lib. 1. contra hæreſes cap. 1.

Cyprian. dę ſimplicitate prælatorum, ſiue de vnitate Eccleſiæ, ante med.

habere posſit. Eſt igitur Scriptura Rhododaphne, vel Rhadodendron quædam, cuius folia, teſte Plinio, hominibus, hoc eſt, iis, qui vitam agunt rationalem contra ſerpentum venena, id eſt, aduerſùs dæmonum tentationes & inſidias opitulentur: Quadrupedibus autem, id eſt, hominibus carnalibus, rebellibus, ſectariis, qui nihil habēt commune cum Spiritu ſancto, certiſsimam adferunt pernitiem. Quod verò nihilominùs hæretici confugiunt ad Scripturam, hinc accidit, ne prorſus, omni deſtituantur præſidio, reiectis nimirùm traditionibus Patrum & Eccleſiæ decretis. Cùm igitur ſcriptura Sacra certum & euidens Eccleſiæ veræ ſignum eſſe non poſsit, vt ſæpiſsimè iam eſt probatum; idcircò quatuor alias (aſſertione noſtra ſeptima) notas declarauimus, quas euidentes, infallibiles & irrefutabiles eſſe conſtat; quandoquidem ſoli Eccleſię Chriſti conueniunt, & in Satanæ Synagogis aut ſectariorum conuenticulis nullo modo reperiuntur. Nec ſunt illa, ſicut putat aduerſarius, recentes, aut nuper à nobis inuentæ notæ: Sed verbo Dei manifeſtatæ & confirmatæ, à primitiuis & Apoſtolicis fidelibus, eorumq́; ſucceſſoribus ſemper creditę atque obſeruatæ, quando vnam, Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam crediderunt. Hinc Symbolū quidem Apoſtolicum Eccleſiam ſanctam & Catholicam: Conſtātinopolitanum autem, ſicut & Concilia poſteriora Eccleſiam VNAM SANCTAM, CATHOLICAM ET APOSTOLICAM paulò explicatiùs appellārunt. Hinc D. Auguſtinus eaſdem Eccleſiæ notas verbis diſertiſsimis, & exemplo proprio nobis cōmendauit: Multa ſunt, inquit, quę me in Eccleſiæ gremio iuſtiſsimè tenent. Tenet conſenſio populorum & gentium, tenet autoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata; tenet ab ipſa ſede Apoſtoli Petri, cui paſcendas oues Dominus poſt Reſurrectionem commendauit, vſq; ad pręſentem Epiſcopatum, Sacerdotum ſucceſsio: Tenet poſtremò ipſum Catholicę nomen &c. Hæ ſunt notę veriſsimæ, quæ proptereà D. Auguſtinum, in vera, hoc eſt, Catholica & Romana, quam ipſe vocat, Eccleſia Chriſti tenuerūt; quòd ſint euidentes, infallibiles, irrefutabiles, & ſoli Catholicæ Eccleſiæ conueniant, nec vllo modo poſsint apud ſectarios reperiri.

Plinius li. 24. c. 11.

Hæretici cur ad ſcripturam Sacrā ſemper confugiāt.

Veræ notæ probātur quib9 agnoſcitur Eccleſia Chriſti.

Symbolum Apoſtolicum Symbolum Conſtantinopolitanum.

Aug. contra Epiſt. Manich. ca. 4.

Auguſtini verbis & exemplo confirmantur prædictæ notæ.

Eccleſię notę quales ſint.

Laus

Laus Deo, quòd Aduerſarius tandem ipſa veritate conuictus notas prædictas acceptet, ſicut ait; Verùm cur tanquàm attributa, & qualemcunq; deſcriptionem potiùs, quàm ſigna vocet, rationem reddit duplicem; partim; quòd ſingula non ſoli Eccleſiæ conueniant, partim; quòd non ſint viſibiles notæ in oculos incurrentes, cuiusmodi nos requiramus. Quæ ſanè rationes cùm ſint ficulneæ & in aëre fabricatæ, nulli ſubnixæ fundamento, vel ſponte ſua ruent, ſi pius Lector ſuprà dictas notas à Diuo Auguſtino commemoratas attentiùs conſiderauerit. Videbit enim eiuſdem notas ita Catholicæ Eccleſię proprias eſſe, ac ſoli conuenire, vt illarum ne minimum quidem veſtigium aut vmbratilis aliqua ſpecies, apud hæreticos ac Sectarios queat inueniri. Videbit, inquam, eaſdem notas, ita cōſpicuas & viſibiles eſſe, vt non minùs per eas Eccleſia, quàm noua luna (ſicut idē Auguſtinus teſtatur) hominibus quaſi digito poſſit demonſtrari. Sed hæc deinceps per ordinem ad viuum vel oculis conſpicienda ſubijciemus.

Aduerſarius quatenus recipiat notas.

Rationes Aduerſarij cadunt.

Auguſtinus Tom. 9. tract. 1. in epiſt. Ioannis. Et ibid. Tract. 2. Pſal. 18.

TVBINGENSIS Aſſert. I.

77. *Nam quod ad vnitatem attinet, qua ſe ſolos veram Chriſti in terris Eccleſiam vindicare conantur Pontificij; vna quidem eſt Dei Eccleſia in terris: ſed ad quam non pertinent idololatræ Pontificij Prælati, Doctores Papiſtici impij, cum idolo ſuo abominabili Papa Romano. Et ſciendum eſt, quòd, etſi Deus ſit pacis, non tamen omnem illi probari vnitatem, cùm peſſimi quiq́, latrones etiam, & ſeditioſi, adeoq́ Chriſti hoſtes conſpirent; Chore cum ſocijs, Perſecutores veræ Eccleſiæ, & piorum, Pſal. 2. Sicut nec Turcos nec Iudæos, ideò quiſquàm Chriſtianus, pro vera Chriſti Eccleſia agnoſcet, quòd in ſua religione vnum ſint. Aut quod idem eſt, quod vna ſit ipſorum Eccleſia, nec in Sectas diuiſa, ſed vna Fides, vna Doctrina, cum vniformi Sacramentorum vſu (vt Ieſuita de ſua loquitur) multò magis, quam in Pontificia Eccleſia.*

78. *Sed hæc demùm vera eſt vnitas, quæ eſt in Chriſto, eiusq́ verbo ac fide, ipſomet Chriſto atteſtante: Sanctifica eos in veritate, ſermo tuus eſt veritas, vt in te vnum ſint,* Ioann. 17.

79. *In quam ſententiam & D. Hilarius ſcribit: Specioſa quidem eſt pacis & pulchra opinio vnitatis: ſed quis ambigat, eam ſolam Eccleſiæ atq; Euangeliorum vnitam eſſe pacem, quæ Chriſti eſt? Quam ad Apoſtolos poſt paſſionis ſuæ gloriam eſt locutus, quam ad æterni ſui mandati pignus commendauit*

Hilar. lib. contra Arianos vel Auxē.

T

mendauit abiturus:hanc nos fratres dilectissimi et amissam quærere,et turbatam componere,et repertã tenere curauimus.Sed huius ipsius fieri nos vel participes,vel autores,nec tẽporis nostri peccata meruerunt,nec imminẽtis Antichristi preuij, ministriq; sunt passi. Qui pace sua, id est, impietatis suæ vnitate se iactant,agẽtes se,nõ vt Christi Episcopos,sed Antichristi Sacerdotes.

80. *Quodq; Disputator asserit, vnam dici Ecclesiam,quòd perpetuò in ea vigeat,vera fides,vnaq; eiusdem fidei doctrina vniformi Sacramentorum vsu coniuncta,ab vno capite Christo Domino; rectissimè dicitur: nec aliam nos sectari Doctrinam,Fidem et Sacramenta,quàm à Christo sunt tradita & instituta, quisquàm vnquam probare poterit.*

CATHOLICVS Quòd aduersarius,dum vnitatẽ aggreditur,Põtificios Prælatos ac Doctores Papisticos, tanquàm impios & idololatras adeoq; Pont.Rom.idolum esse calumniatur,facit id suo quidẽ & aliorum sectariorum more,sed nunquã probauerit. Verùm, quòd ipsimet vice versa,sint veri idololatræ,quamuis equidem modestiæ caussa tacere velim,luculẽter id tamen de eis probãt, & conuincunt sancti Ecclesiæ Patres.Inter quos D.Augustinus, postquàm de simulachris manufactis nonnulla dixisset, sic ait: Est alius deterior & interior simulachrorum cultus,quo phantasmata sua colunt, & quicquid animo errãte, cum superbia & tumore cogitando imaginati fuerunt,religionis nomine obseruant.De cuius generis phantasmatibus idem Augustinus illum Iosuæ locũ exponit:Auferte Deos alienos de medio vestri, & inclinate corda vestra ad Dominum Deum vestrum.

Aduersarij probãtur veri idololatræ

Augustin. de vera religione ca. 38.

Augußt.quæst.19. super Iosuæ. Iosuæ 23.

Similiter & alium Ezechielis locum: De auro meo & de argento meo fecisti tibi imagines. Ad imagines,inquit,phantasmatum suorum, cum quibus carnalis anima volutari delectatur, cõuertit omnia Sacramenta & verba Sanctorum librorum:nec tamen,quia illæ imagines falsæ sunt, propterea, & illa diuina eloquia sic exhonoranda sunt, vt illorum esse putentur, cùm Dominus dicat:De auro meo,& de argento meo &c. Vincentius quoq; Lyrinensis testatur,hæreses & praua Sectariorũ dogmata in veteri Testamento Deos alienos vocari,quandoquidem ab hæreticis non secus dogmata sua, quàm à gentibus Dij sui,colantur & obseruẽtur. Quod igitur in Deuteronomio legitur: Si surrexerit in medio tui Propheta, qui prædixerit signum

Augustin. lib. 3. de Baptismo contra Donatistas c. vlt.

Libello aduersùs profanas hæresiũ nouitates.

Deuter, 13.

gnum atque portentum, & euenerit, quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus & ſequamur Deos alienos, quos ignoras: non audies verba Prophetæ illius. Quia tentat vos Deus veſter, vt palàm fiat, vtrum diligatis eum &c. per Deos alienos, extraneos errores dicit ſignificari, nouos quoſdã & inauditos, quos qui colunt & adorant, quemadmodùm Sectarij eorumque diſcipuli faciunt, ij vocantur & ſunt idololatræ. Verùm quod ſpectat ad vnitatis notam, rectè quidem aduerſarius ait, idq; probat D. Hylarij verbis, non quamlibet vnitatem Deo probari. Eſt enim quædam non vnitas (niſi per catachreſin loquamur) ſed peruerſa conſpiratio hominum non proborum, videlicet, latronum, ſeditioſorum, ſectariorum, dum ad iuſtitiam tollendam, ad impediendam veritatem, & ad Eccleſiam perturbandam in vnũ illi conueniunt; quales fuerunt impij, quos deſcribit Propheta: Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersùs Dominũ, & aduersùs Chriſtum eius. Pſalm. 2.
Quales etiam extiterunt Phariſæi & Sadducæi, quando cõſenſerunt Herodianis, vt Dominum Ieſum in ſermone caperent. Matth. 22.
Quales deniq; fuerunt ſemper, & adhuc ſunt, oẽs hæretici atq; ſectarij, qui licet inter ſeſe miris modis diſſecti ſint, ac ꝑpetuò diſſentiant, cùm tamen oppugnant Eccleſiã (quod ſtrenuè ſeduloq; faciunt) cõſpirant in vnũ, inſtar vulpecularũ Samſonis, Auguſtino teſte, quæ caudis fuerũt colligatæ, quamuis interim diuerſa diſiunctaq; capita retinerẽt. Verùm hoc loco nõ agitur de peruerſa talium hominũ conſpiratione, vel etiã de qualicũq; Iudęorum, Turcarũ, atq; Barbarorũ falſa ꝑſuaſione, vel infideli ſuperſtitione; qua poſſunt illi tanq̃ latrones inter ſeſe cõſpirare: ſed agitur de vera ac ſalubri vnitate, quę vera fide & eâdẽ fidei doctrina, atq; vniformi Sacramentorũ vſu conſiſtit, vt pluribus locis declarat Apoſtolus: Quæ quidẽ vnitas, ne poſsit vllo modo, ſicut falsò putat & obijcit aduerſarius, Iudęorũ aut Turcarũ cœtibus, vel etiam Sectariorũ conuenticulis tribui, ſed veræ ac ſolius eccleſię Chriſti ſit ꝓpriiſsima nota; dicitur & eſt pręterea vna Eccleſia, quòd ab vno capite Chriſto quatenus eius corpus eſt; & ab vno ſpóſo, quatenus eius ſponſa dicitur; & ab vno Paſtore, quatenus vnum ouile pręđicatur; & ab vno fundamento,

S. Auguſtinus in Pſal. 80.

1. Cor. 1.
1. Cor. 10.
Epheſ. 4.
Qualis vnitas ſit Eccleſiæ nota.
Epheſ. 1.
Cantic. 4.
Ioan. 10.
1. Corinth.
Oſeæ 1.

 quatenus

quatenus eius ſtructura vel ædificatio vocatur,& ab vno Chriſti Vicario Petro, eiusque ſucceſſoribus, quatenus Chriſtus illis oues ſuas paſcendas commiſit, originem ſuam acceperit,& aucta fuerit, & vſque gubernetur, & perpetuò(quamdiu militauerit in terris)ſit vna menſura. Cùm igitur vnitas hoc modo, (ſicut oportet)cōſiderata, ſit euidētiſsima verę Chriſti Eccleſię nota,quæ ſoli ac ſemper Catholicæ ſeu Romanæ Eccleſiæ(tanquàm proprium quarto modo ſumptum)conuenit, quod etiā in ſequentibus,cùm de nota ſucceſsionis agetur, ad viuum demonſtrabitur,profectò hac vnitatis nota luculenter & manifeſtè cōuincimus;Catholicam & Romanam,eſſe veram ac ſolam Chriſti Eccleſiam. Quod etiam ſancti Patres hac ratione conuicti varijs paſsim teſtimonijs confirmatum ac teſtatum reliquerunt. Sic enim ait Irenæus: Ad hanc (videlicet Romanam) Eccleſiam propter potentiorem principalitatem,neceſſe eſt, omnem conuenire Eccleſiam;hoc eſt,eos qui ſunt vndiq; fideles. In qua ſemper ab his, qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, traditio. Sic idem Irenæus alibi vocat, Eccleſiam Romanam, opulentiſsimam veritatis Apoſtolicæ apothecam & vitæ portam. Sic Baſilius Magnus cum Eccleſia Romana tantam habuit communionem, vt ab ea tanquàm filius à matre, opem petiuerit. Sic Tertullianus Romanam Eccleſiam numerat inter eas,quæ ſunt teſtes veritatis Diuinæ, Sic D. Cyprianus Eccleſiam Romanam vocat principalem, vnde Sacerdotalis vnitas exorta ſit. Sic Hieronymus ad hunc modum de Eccleſia Romana loquitur: Faceſſat inuidia Romani culminis,recedat ambitio: cum ſucceſſore piſcatoris loquor. Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, Cathedræ Petri communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum, agnum commederit,profanus eſt:Si quis in arca Noë non fuerit,peribit regnante diluuio. Et paulò pòſt,ſubiungens quoſdam hæreticos aut diſsidentes ait: Non noui Vitalem, Meletium reſpuo; Ignoro Paulinum: Quicunque tecum non colligit, ſpargit: Qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Et alibi fidem Romanam manifeſtè Catholicam vocat: Fidem ſuam, inquit, quam

Ioan. 21.

S. Patrū teſtimonijs,probatur Romana Catholica & vera Chriſti Eccleſia.

Irenæus li. 3.c.3.

Irenæus li. 3.c.4.

Baſilius Magnus Epiſtola 52.

Tertullian⁹ lib. de præſcript. hęret. & lib. 4. aduerſùs Martionem.

Cypr.li.1.epiſt.3.

Hieron. epiſt. ad Damaſum.

Hieron. in Apologia aduerſùs Ruffinum.

quam vocat? Eámne qua Romana pollet Ecclesia? an eam, quæ in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam responderit: Ergo Catholici sumus. Et iterum sic ait: Quisquis es assertor nouorum dogmatum, quæso te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei quæ Apostolico ore laudata est. Sic Augustinus Melchiadem Pont. Rom. non solùm magnificè commendat, sed etiam virum optimum, filium Christianæ pacis, & patrem Christianæ plebis, per exclamationes, mirificè prædicat. Sic Ambrosius: Percontatus est, inquit, ab Episcopo; Vtrúmnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, Romana Ecclesia conueniret? Sic Gelasius ait: Sancta, Romana, Catholica & Apostolica Ecclesia nullis Synodicis constitutis, cæteris Ecclesijs prælata est, sed Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri primatum obtinuit. Sic Anacletus de Ecclesia Romana loquens: Sacrosancta, inquit, & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino primatum obtinuit. Sic Theodosius, Gratianus & Valentinianus Augusti præceperunt, vt cuncti retinerent fidem, in vrbe Roma à Petro Apostolo vsque ad Pontificem Damasum conseruatam, & quam vertex Apostolorum Petrus initiò tradidisset; ac tùm Damasus Romanus Episcopus custodiret. Sic in Concilio Chalcedonensi legimus acclamatum fuisse: Omnes ita credimus: Papa Leo sic credit: Papa Leo ita interpretatus est. Et iterum: Petrus per Leonem ita locutus est: Apostoli ita docuerunt: Piè ac verè Leo docuit. Sic in Concilio Constantinopolitano sexto, tempore Agathonis Papæ contra Monothetitas, id est, eos, qui negabant in Christo duas esse voluntates celebrato, cùm vnusquisq; 170. aut pluriũ Episcoporum, qui ibi erant congregati, subscripsissent; aiebãt: Ita profiteor, & ita credo, quemadmodùm habent suggestiones sanctissimi Papæ antiquæ Romæ Agathonis. Sic omnes orthodoxi Patres, nõ secùs, quàm Paulus Euangelium suum cum Petro & alijs Apostolis contulit, ne fortè currerent in vanum, sua dogmata vel scripta Romanorũ Pontificum iudicio perpendenda, examinanda, confirmandaq; vel etiam reijcienda semper & humiliter obtulerunt. Nam, vt manifestè cõstat; Irenæus Victori Papæ, Cornelio & Stephano Cyprianus, Sylue-

Hieron. ad Pammachiũ & Oceanum, de errorib. Orig.

Tom. 2. epist. 162. ad Episcopos Donatistas.

Ambros. in oratione de obitu fratris sui.

In Concil. Romano 70. Episcoporum.

Anacletus epist. 3. ad oẽs Episcopos. De summa Trinit. L. Cunctos populos. in Cod.

Sozom. li. 7. ca. 4.

Chalcedon. Concil. actione 2.

Actione 8. & 18. in exemplari Iussionis Imp. Constantini Pogonati directæ ad Synodum Apostolicæ Sedis.

Patres et Concilia sua scripta & Decreta Rom. Pont. confirmanda semper subiecerunt.

ſtro Nicęna Synodus, Athanaſius Iulio Ponti; Liberio Baſilius Magnus, Hieronymus & Conſtantinop. Synodus Damaſo; Syritio Ambroſius, Chryſoſtomus Innocentio; Zozimo & Bonifacio Auguſtinus; Cyrillus & Synodus Epheſina Cœleſtino, Sixto, Proſper; Flauianus Martyr & Synodus Chalcedon. Leoni; Gelaſio Synodus 70. Epiſcoporũ; Caſsiodorus Pelagio; Gregorio Magno Synodus Romana; Synodus ſexta Agathoni; Adriano ſeptima Synodus; Synodus octaua Nicolao I. Gregorio VII. Anſelmus; Bernhardus Innocentio II. & Eugenio III. Innocentio III. magna Synodus Latheranenſis; Lugdunenſis Innocentio IIII. Clementi V. Viennenſis; Conſtantienſis Martino V. Eugenio IIII. Florentina; Latheranenſis altera, Iulio II. & Leoni X. Tridentina Synodus; Paulo III. Iulio III. & Pio IIII. ſua dogmata cognoſcenda & confirmanda nec immeritò, ſubiecerunt. Sic deniq; quotquot vnquam Oecumenica Concilia legitimè celebrata ſunt, & quotquot vnquam Doctores extiterunt, Romanam Eccleſiam Catholicam, Apoſtolicam ac veram Chriſti Eccleſiam eiusque Sum. Pont. legitimum Chriſti Vicarium, Succeſſorem Petri, viſibile Caput Eccleſiæ, Epiſcopum & Paſtorem, cui Chriſtus paſcendas oues commiſerit, ſemper agnouerunt, ſemper audiêrunt, ac reuerenter obſeruârunt. Videbant enim in ea Eccleſia fidem Catholicam, purum Dei verbum, ſynceram Euangelij Doctrinam, ac legitimum Sacramentorum vſum rectè cuſtodiri, ac perpetuò vigere. Videbant, inquam, in Eccleſia Romana mirabilem populorum conſenſionem in fide fideiq; doctrina, tot ſæculis, totq; locis per orbem Chriſtianum ſemper & vbiq; conſtantem & vniformem; quæ profectò certiſsimum veritatis inditium eſt, cum veritas (vt ait Epiphanius) ſit res vniformis; mendacium autem in multa diſtrahatur. Et quis non videat, nec admiretur, nec obſtupeſcat, nec manifeſtum Dei miraculum extollat ac prædicet in eo, quòd in Eccleſia Romana tot regna, totque prouincię per totum orbem Chriſtianum (exceptis paucis angulis, quos occupârunt & infecerunt ſectarij) ſub Rom. Pontifice legitimo Chriſti Vicario, vnam Fidem & vnanimem fidei Doctrinam, tanquàm vnius moris in domo habitantes vltrà

Ioan. 21.

Epiphan. in 7. Synod. actione 6.

1530.

1530. iam continuos annos, ſine vlla mutatione ſeu varietate retinent & profitentur, ac iuxta Domini promiſsionem habent cor vnum & animam vnam? Quid enim admirabiliùs, quàm in tanta tamque multiplici nationum, hominum, ingeniorum, linguarum, morum, rituum, ac conſuetudinum diuerſitate fidem vnam, & eadem prorſus fidei dogmata reperiri, quæ tamen velut vno corde creduntur ab omnibus populis, & vno ore prædicantur à Paſtoribus, & vna veluti manu paſſim ab Eccleſiæ Doctoribus, licet ingenti locorum ac temporum intercapedine diſsitis, vniformiter conſcribuntur & explicantur? Nam quæ fidei dogmata Bonifacius in Germania docuit, eadem Hilarius in Gallijs; eadem Ambroſius Mediolani, eadem Auguſtinus in Africa, eadem in Palæſtina Hieronymus, eadem Romæ Gregorius Magnus, eadem Chryſoſtomus Antiochiæ & Conſtantinopoli credidit, docuit, ac libris etiam ſcriptis confirmauit. Quibus ita poſitis, quæ vel ſenſibus manifeſta ſunt, quis vnitatis nota non concludat; Eccleſiam Romanam ſolam ac veram eſſe Chriſti Eccleſiam, aduerſariorum verò cohortes, cùm nullam vnitatis in Fide, fideique Doctrina, nec vmbram quidem habeant, ſed in varias Sectas ſint diſſectæ, nihil ad Chriſtum, ſed ad Antichriſtum omninò pertinere. Interim hoc loco velim obiter admonitum Lectorem, vt quando Romanam Eccleſiam nuncupamus, non de ea tantùm eſſe ſermonem; cui Romanus Pont. immediatè præeſt, & quæ potentiorem habet, teſte Irenæo, principalitatem; ſed Romanam vocari omnem Eccleſiam, vbicunque terrarum illa ſit, quæ Romanæ Eccleſiæ ſubiecta paret, & eius Fidem ac Doctrinam ſequitur & obſeruat.

Hierem. 32. Ezech. 11.

Eccleſia Romana, quæ dicatur.

81. *Sed hoc ipſo Pontificij ab vna illa vera Chriſti Eccleſia excluduntur. Etſi enim olim temporibus Apoſtolorum, & poſteà etiam in Romana Eccleſia viguerit Doctrina Apoſtolica, & Fides illius fuerit annunciata per vniuerſum mundum: tamen poſteà à pijs ſuis Maioribus degenerauerunt, minimè retenta Apoſtolorum Doctrina, ſed quàm longiſsimè ab ea receſſerunt. Quod Antitheſi in quadam alia diſputatione demonſtrauimus. Idem eſt iudicium de legitimo Sacramentorum vſu, & numero.*

TVBINGENSIS

Diſputat. de Ordinaria loci ſucceſſione fol. 310. Diſputationũ Theologicarum.

Rectè

CATHOLICVS

Tom. 1.

Rectè quidem fatetur aduersarius (est enim verum) in Ecclesia Romana temporibus Apostolorũ & posteà viguisse doctrinam apostolicam, & illius fidem annunciatam fuisse per vniuersum mundum, & Apostolos esse Maiores nostros, à quibus oriundi sumus; (cum è diuerso sectarij, nullos præterquàm semetipsos, vel alios hæreticos Maiores habeant) veruntamen in hoc errat grauissimè, quòd eam à pijs suis Maioribus posteà defecisse nugatur, minimè, scilicet, retenta Apostolorum doctrina. Hæc ille pro libidine sua, sicut alia multa calumniatur, sed non probat; Imò nec ipse, nec alius quiuis sectarius vnquã probauerit. Quin ipse Lutherus pro nobis hac in parte stat, & egregiè confutat aduersarium. Nam postquàm alia multa cõtra quosdam hęreticos in laudem Papatus ille dixisset, tandem hæc verba subiunxit: Nos autẽ fatemur sub Papatu plurimum esse boni Christiani; Imò omne bonum Christianum, atque etiam illinc ad nos deuenisse. Quippè fatemur in Papatu, veram esse Scripturam sacram, verum Baptismum, verum Sacramentum altaris, veras Claues ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechismum; vt sunt oratio Dominica, Decem præcepta, Articuli Fidei; Dico insuper sub Papatu veram Christianitatem, imò verum nucleum Christianitatis esse &c. Hæc ille. Quæ si vera sunt, vt sunt verissima, certè discipulus degenerauit à magistri sui doctrina, ex qua conuincitur euidenter Romanam Ecclesiam nõ ab Apostolorum defecisse doctrina, quippè, quæ hæc omnia, quæ recensuit Lutherus, semper custodierit, & nunc etiam habeat, vt ille ait, & conseruet. Verùm vt pio Lectori pleniùs satis fiat, nos hoc loco pluribus demonstrabimus, fidem ac pietatem Catholicam, & purum Dei verbum, & synceram Euangelij doctrinam, & Apostolorum traditiones ac dogmata, quin & hanc vnitatis in fide fideiq; doctrina notam, de qua iam agitur, cum legitimo sacramentorum vsu, non vno solùm, aut breui tempore in Ecclesia Romana durasse, & postmodùm (quod falsò scribit aduersarius) defecisse: Sed ab Apostolorum tempore, omnibus deinceps sæculis, perpetuò viguisse, adeoq; splendore suo tanquàm ardentem lucernam, non sub modio, sed super candelabrum positam

Lutherus in epist. quadam ad duos Plebanos de Anabaptismo.

Tubingensis defecit à Luthero.

positam, errorum tenebras dispulisse, & luxisse semper omnibus, qui in Ecclesiæ domo fuerunt, quod etiam aliquoties & copiosè declaratum est in præcedentibus. Quod autem aduersarius nihilominùs illud Catholicę veritatis ac fidei lumen in Ecclesia Romana defecisse putat, id non propter luminis defectum, sed sua ipsius accidit culpa, quòd ipse nimirùm iucundissimo fidei lumine destitutus, & densissimis errorum tenebris circumfusus miserè cæcutiat, ac propterea, quòd ipse non videat, nullum in Ecclesia Romana fidei lumen esse sibi perperam persuadet. Profectò, si licet, quod res est, fateri, rectissimè quadrat in aduersarium, quod Seneca de quadam muliere cæca commemorat: Ad pastam, inquit, vxoris meę fatuam, scis hæreditarium onus, in domo mea remansisse. Hæc fatua subitò desiit videre. Incredibilem rem narro tibi sed veram. Nescit se esse cæcam. Inde pędagogum suum rogat, vt migret, ait domum tenebrosam. Quòd autem in Ecclesia Romana semper eadem Catholica veritas & fides, eadem religio ac Doctrina fuerit, sibique manserit similis, & inuariata, licet hactenus satis superq; fuerit ostensum, & ita perspicuum sit apud omnes sanæ mentis homines, vt nulla probatione videatur opus: hoc tamen modo potest etiam vel ad oculum demonstrari. Nam quæ modò fideles Orthodoxi passim in Ecclesia Romana Catholicæ fidei dogmata credunt ac profitentur, eadem ante 300. vel 400. annos Maiores nostri crediderunt, quemadmodùm id illius temporis scholastici Doctores libris suis manifestè probant: eadem etiam ante annos 800. recepta creditaque fuerunt, sicut Venerab. Beda & Gregorius Magnus testantur: eadem ante 1130. annos docta & prędicata sunt, vt ex Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, Basilij, Ambrosij, Cypriani, Origenis, Athanasij, & similium illius temporis Patrum libris, abundè constat: eadē temporibus Apostolorum, & in Ecclesia primitiua, ac deinceps fidelib. Apostolicis tradita recepta credita seruataq; fuerunt, vt euidenter patet ex libris Dionysij Areopa, D. Ignatij, Tertulliani, præsertim autem Irenæi, qui D. Polycarpi discipulus fuit: eadē deniq; semper omnibus tēporibus, & in omnibus omnium sęculorum Conciliis Oecu-

In confutatione Assertionis 12.

Seneca in Epistolis.

Demonstratur in Ecclesia Romana, nunquam fidē Catholicā defecisse.

Ecclesiæ Romanę fides nunquā fuit mutata.

Adiaphora pro locorum ac temporum ratione mutantur.

Veritas mutari nō potest.

menicis retenta, confirmata, publicata & seruata sunt. Nam licet Augustinus testetur, priora Concilia per posteriora corrigi, quod ad ritus vel mores, vel cæremonias, aliaque spectat adiaphora, quę pro locorum, temporum, seu hominum ratione, mutanda sunt: nullum tamen in Ecclesia Romana dogma, nullus articulus fidei fuit vnquam mutatus. Verbū enim Domini manet in æternum. Veritas Diuina vel Catholica mutari non potest, cùm semper & quidem necessariò, sit verissimum, quod semel est verum. Quod licet ignorent Sectarij (qui proptereà religionis ac fidei suę dogmata, quòd falsa sint, subinde mutant ac variant, cùm in multa, mēdacium distrahatur) philosophi tamen id optimè nôrunt ac fatentur. Certè, si vel minimus, aut leuissimus error quocunq; tempore circa dogmata fidei ac religionis in Ecclesiam Romanam irrepsisset, is diu non potuisset latere, sed mox omnibus fuisset publicatus; cùm sit Roma gentium omnium oculis exposita, nec vllus vnquam fuerit Romanus Pontifex tàm obscurus, cuius vita, mores & res gestæ non sint fuerintq; semper literis mandatæ. Cùm igitur mutationes, quæ circa fidem ac religionem accidunt, sint grauissimæ, nec absq; magnis perturbationibus ac turbis euenire soleant, & tamen apud scriptores probatos, (qui plurimi fuerunt, & ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis, summa fide, diligentiaq; statum Ecclesiasticum historiis ptobatis ac Chronicis, posteritati suæ declarârūt) ne Iota quidem extet de fidei vel religionis mutatione, quę contigisset in Ecclesia Romana, quis non videat & necessariò concludat; fidem Romanā, nunquam aliam fuisse, nec etiam nunc esse diuersam, sed prorsus eandem, cum ea, quam Apostoli docuerunt & vniuerso mundo annunciatam prædicârunt? Tātùm abest, vt aliquando defecerit in Ecclesia Romana, Catholica fides, vt rectè dixerit Irenæus, Ecclesiā Romanā à duobus Apostolis Petro & Paulo fundatam cōnseruasse eam, quæ ab Apostolis erat, traditionem. Sed libet ex aduersario petere. (Quādo putet, fidem Catholicam & Euangelij veritatem in Ecclesia Romana periisse) sub quibus Pōtificibus & Imperatoribus? Qui duces primarij defectionis huius fuerunt? Defecerúntne omnes Catholici & Romani

Irenæus lib. 3. c. 3. Tertullia de præscript. hæretic. & aduersùs Marcionem lib. 4. Tertull. lib. 1. epistola 3.

Romani fideles? Si sic, apud quos ergo veritas Euangelij deposita & custodita fuit? Sin aliter, quínam deficientes, in veritate non steterunt? & qui constantes in fide perseuerârunt? Qui porrò sunt errores, in quos incidit Ecclesia Romana? Per quos illi tandem, & quo tempore sunt extirpati & profligati? Nam hæc hisque similia de singulis hæresibus, quæ fuerunt vnquam excitatæ, facillimè demonstrantur. Ac ne sim prolixior recensendis, antiquarum hæresium exemplis, ob oculos vnum, idq; modernum & omnibus notissimum exemplum ponam. Nam si prædictæ circumstantiæ de præsentibus horum temporum erroribus petantur, mox responsiones in promptu sunt. Lutherus illorum Primarius inuentor extitit. Is primus docuit, Sacrosanctam Eucharistiam non esse Sacrificium, nec esse per Sacerdotes offerendum. Is multas hęreseis antiquas iam olim sopitas ab inferis reuocauit. Nam cum Nouatianis credidit; Presbyteros non habere potestatem remittendi peccata; cum Aërio docuit non esse pro defunctis orandum, nec statis diebus ieiunandum, Iouinianum secutus, sensit virginitatem non esse maioris meriti, quàm castitatem coniugalem. Atque vt omittantur cætera, has & alias hæreseis cœpit spargere circa annum Domini 1517. Restitit illi summus Pont. Leo Decimus. Restiterunt Episcopi multi. Restiterunt item Doctores plurimi. Tùm Colloquia multa sunt inter Catholicos, & Lutheranos Lypsiæ, Augustæ, Ratisbonæ, Vvormatię habita: Postremò Tridentina Synodus sub Paulo Tertio legitimè inchoata, sub Paulo Tertio, Iulio Tertio, continuata, & sub Pio IIII. fœliciter absoluta & confirmata, omnes Lutheri & eiusdem asseclarum errores patefecit, euertit, cõfutauit, & Anathemate percussit. Quod si, quemadmodùm Lutherus Ecclesiam Romanam deseruit, sic etiam ipsa defecisset aliquando ab Orthodoxa pietate & fide Catholica; necessum esset, vt aduersarij circumstantias eiusmodi, defectionis illius producerẽt. Quod nunquam fecerunt, sed nec facere possunt: Nec est, quòd rudioribus animis vanum, & otiosum hunc prætextum ampliùs obtrudant; quòd nimirùm, quando Pastores Ecclesiæ dormirent, inimicus zizania semper seminauerit, atque sic irrepserint errores multi,

Hæreses Lutheri omnib⁹ notę sunt.

Lutherus fuit Nouatianus.

Lutherus defendit Aërij & Iouiniani hæreses.

Pontifex & Episcopi restiterunt Luthero.

Doctores restiterunt Luthero.

Colloquia habita propter Lutherũ.

Conciliũ Tridentinum damnauit errores Lutheri.

Nullum est indicium quòd Ecclesia Romana aliquando errârit.

Diluitur vanus aduersariorũ prætextus.

multi, qui tandem omnium fidelium, præfertim autem Epifcoporum & Pontificum animos occupauerit. Nam fi res ita habet quonam tot Chrifti promifsiones euanuerunt, de quibus in cõfutatione 12. affertionis tractatum eft? Quid uilius & incertius religione Chriftiana, quę Iudæorum Synagoga multis parafangis inferior exifteret? Certifsimum eft, Ecclefiam Romanam, hoc eft, Catholicam & veram Chrifti Ecclefiam, fic à Spiritu fancto directam ac gubernatam perpetuò fuiffe, vt nunquam nec latum quidem digitum à puro Dei verbo, vel à legitimo Sacramentorum vfu difcefferit, fed eandem fidem, eandemque fidei Doctrinam femper retinuerit. Quod licet de fingulis articulis fidei cõtrouerfis euidenter ac facilè demonftrari pofsit, cùm tamen huius Apologię breuitas tantam prolixitatem non patiatur, fatis erit hoc loco vnicum duntaxat exemplum de Sacrofancto Miffæ facrificio fubiicere, quò conftet omnibus, quòd Ecclefia Romana, quemadmodùm his tẽporibus noftris credit, docet ac profitetur facrificium Miffæ verum noui Teftamenti ac propitiatorum effe facrificium, quod à facerdotibus falubriter pro viuis & defunctis offeratur: Sic hoc ipfum eadem Ecclefia Romana primitiua, fic hoc ipfum eadem Romana fubfequens Ecclefia, fic hoc ipfum omnibus deinceps temporibus & fæculis eadem Ecclefia Romana, femper credidit & credendum aliis prædicauit. Quod, vt aduerfarij longè verifsimum effe cognofcant, legant tres Apoftolicos canones, videlicet tertium, quartum, & nonum: legant quoque primos & quidem fanctifsimos Pontifices & Martyres, quos ipfi non debent nec meritò poffunt negare, Clementem epiftola fecunda, cap. 13. & Anacletum epiftola prima, & Euariftum epiftola fecunda, & Alexandrum epiftola prima, & Telefphorum in eius Decretis, & Soterem epiftola fecunda, & Leonem epiftola feptuagefima nona ad Diofcorum, & Iulium in epiftola per Ægyptum, & Gregorium Magnum libro quarto, Dialog. cap. 57. & Martinum Pontific. De Confecrat. diftinct. fecunda Cap. Non oportet. & Sergium in eadem diftinct. cap. Triforme, & Pafchafium de corpore & fanguine Chrifti, eadem diftinc. Cap. Iteratur. & Innocentium tertium

Ab inconuenientibus.

Ecclefia Romana dirigitur à Spiritu fancto ne erret.

Exemplo Miffæ probatur in Ecclefia Romana fides eadẽ femper fuiffe.

tertium de Summa Trini. vt cæteri consultò prætermittantur. Legant Concilium Nicænum cap. 14. & Concilium Ephesinũ ad Nestorium, & Chalcedonense, in epistola Dorothei Diaconi Alexandrini, & Synodum septimam act. 6. & Synodum Lateranensem sub Innocentio tertio, & Synodum Florentinam sub Eugenio quarto, & Synodum Neocæsariensem cap. 13. & Concilium Laodicenum cap. 19. & Carthaginense tertium ca. 33. & Toletanum primum cap. 5. & Toletanum secundum ca. 8. Legant quoque sanctos Ecclesiæ Patres, Ignatium epistola 5. ad Smirnenses, & Dionysium Areopagitam lib. Ecclesiasticæ. Hierarchiæ cap. 20. & Irenæum lib. 4. ca. 32. & sequent. Et Tertullianum libr. de cultu fœminarum, & Cyrillum contra Nestorium, & Isidorum libro primo de officiis cap. 15. & Chrysostomum super Matthæum cap. 7. & super epistolam secundam ad Timotheum cap. 1. Homel. secunda, & Cyprianum ad Cœcilium, & in sermone de cœna Domini, & Ambrosium super Lucam capite primo, & in epistolam ad Hebræos capite decimo. Legant denique Patres posteriores, & Theologos quoque Scholasticos, & in omnibus & singulis meridiana luce clariùs videbunt in Ecclesia Romana semper, omnibus, inquam, sæculis, vsque in hæc nostra tempora fidem eandem, eademque dogmata religionis, absque vlla mutatione iam olim fuisse, & nunc etiam esse. Tantùm abest, quod ait aduersarius, Pontificios à maioribus suis degenerasse, vel ab Apostolorum doctrina recessisse.

82. *Nec tanta est in Ecclesia Pontificia vnitas, quantam ipsi iactitant, cùm contraria extent eorum decreta, dogmata, sententiæ, Doctores, sectæ innumeræ: Variæ & diuersæ Scripturæ interpretationes, secundùm currentem Ecclesiæ ritum, quo mutato, iterum sententia Scripturæ mutatur, iuxta ipsorum Cusanum. Et vbi hodie in Ecclesia Pontificia vniformis iste Sacramentorũ vsus, cum eo, qui temporibus fuit Apostolorũ, & in primitiua Ecclesia, in qua integer fuit secundùm Seruatoris nostri institutionem Cœnæ Dominicæ vsus? Et vbi omnes vnquam Ecclesiæ in toto orbe Christiano Romanum Pontificem Christi in terris Vicarium, & D. Petri Successorem agnouêre? Quod magno hic profert nugator hiatu.* TVBINGENSIS Vide disputat. de dissensionibus in Ecclesia.

83. *Aut igitur vnitas non erit nota Ecclesiæ veræ, aut Pontificia Ecclesia, vera Christi Ecclesia non erit, cùm nota hac destituatur.*

CATHOLICVS Quamuis pręcedenti responsione videatur assertionibus istis ita satisfactum esse, vt nisi quis sua ipsius excæcatus malitia, neglecto veritatis lumine, velit perpetuò misereque cæcutire; possit luculenter agnoscere, nullas in Ecclesia Romana circa religionis dogmata, vel articulos fidei, vel Sacramentorum, vt vocant, substantialia, & vsum legitimũ dissensiones aut sectas aliquando fuisse, vel etiamnunc esse; nec diuersas circa fidem esse sententias, nec Doctores inter se contrarios (aliud est iudicium de rebus adiaphoris, leuioris momenti, & nondum definitis, vbi cuique hoc vel illud opinari, suoque sensu abundare licet, quod non minùs in quibusdam Theologicis, quàm Philosophicis quæstionibus liberrimum semper fuit) nec Scripturæ varias interpretationes, nec vnquam verã Scripturæ sententiam secundùm currentem Ecclesiæ ritum fuisse mutatam, quod falsò nobis aduersarius impingit. Ad hunc modum Diuus Augustinus de Patrum ac Doctorũ non dissensionibus grauibus, sed opinionib' diuersis loquitur: Alia sunt, inquit, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atq; optimi regulæ Catholicæ defensores, salua fidei compage, non cõsonãt, & alius alio, de vna re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem vnde agimus (de peccato origin. loquens) ad ipsa fidei pertinet fundamenta. Hactenus ille: Porrò quod spectat ad mutationes in Ecclesia factas, (quoniam absque discrimine aduersarius omnia confundit, maioris intelligentiæ gratia, cogor repetere quædam, licet aliquoties insinuata fuerunt, quę profectò cognitu necessaria sunt, & si perspecta fuissent aduersario, procul dubio non tàm absurdè diuinam vereque miraculosam Ecclesiæ Romanæ vnitatem traduxisset. Philosophi, nedum Theologi, necessarium hoc inter verum & bonum, seu vtile, constituunt esse discrimen; quòd hæc nimirùm veritatis ratio sit & natura, vt falsa vel sibi dissimilis nullo modo fieri possit. Vnde, cùm veritas non ab hominum arbitratu seu voluntate, vel ingenio dependeat, iuxta hanc Philosophi sententiam: Propter nostrum affirmare vel negare, nihil

Marginal notes: Aug. lib. 1. contra Iulianum, cap. 2. — Verum & bonum differunt. — [illegible]ratio, in[illegible]ũstat.

hil mutatur in re; profectò quod ſemel verum eſt, id perpetuò manet veriſsimum, nec à ſe ipſo diuerſum fieri poteſt; quicquid homines excogitent, fingant, diſputent, mutent aut decernant, quemadmodùm ipſe Deus, qui Veritas eſt, adeò mutari, ſibique diſsimilis fieri non poteſt, vt ſi mutaretur, Deus nõ eſſet. Hinc omnia fidei dogmata, quãdo ſemel ab Eccleſia Romana ſeu Catholica declarata fuerunt, ſemper eadem dogmata, eodem ſenſu & eâdem fidei veritate ſemel tradita, ſemper deinceps illæſa, inuariata & immutata permanſerunt, & vsque ſic creduntur & obſeruantur in Eccleſia Romana; nec potuit vllus vnquam Sectarius vel minimum fidei dogma proferre, quod in Eccleſia Catholica ſeu Romana mutatum aut variatum fuerit. Atque perſpicuum id ſatis fiet, ſi quis ea fidei dogmata, maximè verò controuerſa, quæ Concilium Tridentinum, ſuperioribus annis, diligenter examinauit, diſcuſsit, expendit, ac tandem credenda ſalubriter decreuit, reiectis & damnatis hæreſibus & erroribus omnibus bona fide; ſeduloque cum ſcriptis antiquiſsimorum Eccleſiæ Patrum, & cum Conciliorum Oecumenicorum omnium decretis, & cum ſacris Eccleſiæ traditionibus, adeoque cum ipſa Scriptua ſacra contulerit, in omnibus, vbique, per omnia, mirabilem religionis harmoniam, vniformem fidei conſenſionem, docendique regulam & normam inueniet ac videbit. Videbit, inquam, in fide fideique doctrina (quod ſæpiùs repetere cogor) omnes Orthodoxos Eccleſiæ Romanæ Patres, omniaque Concilia Oecumenica idipſum in omnibus ſapere. Videbit multitudinis credentium cor vnum & animam vnam. Videbit vnum Corpus, vnum Spiritum, vnum Dominum, vnam fidem, vnum Baptiſmum &c. Videbit vnum ouile & vnum Paſtorem. Imò (licet id neget aduerſarius) videbit vniformem Sacramentorũ vſum cum eo, qui temporibus fuit Apoſtolorum & in primitiua Eccleſia, in qua, ſicut & nunc eſt, tàm ſub vna, quàm ſub vtraque ſpecie communicandi, fuit vſitatiſsimus & probatiſsimus ritus. At verò, ſi conuerterit ſeſe ad Sectarios (cùm illi veritatem non habeant, neceſſum eſt, vt iuxta prædictam Epiphanij ſententiam, illorum mendaciũ in multa diſtrahatur) videbit incõſutilem

Actor. 2. Epheſ. 4. Ioan. 10.

Epiph. act. 6. Nicænæ Synod.

Ioan. 19. 1. Corinth. 11

futilem Christi vestem miris modis distractam, adeoque Christum ipsum apud eos diuisum. Videbit scissuras & schismata, & quot sunt homines, tot opiniones & inter sese dissentientes. Videbit apud eos indies fidei regulas variari, ac mutari religionis articulos ad cuiusque libitum, quod Tertullianus de sectariis temporum suorum grauissimè conqueritur. Videbit vsu nobis iam venire, quod Hilarius scripsit ad Constantium Augustum, dum ait: Periculosum nobis admodùm atq; etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates, & tot nobis doctrinas esse, quot mores. Videbit verissimum esse, quod Epiphanius iam olim de eis prædixit: Hunc morem, ait, habent hæretici, quoties vno verbo pietatem contempserint, & à via veritatis aberrauerint, in multos & varios errores labi. Vniformis enim res veritas, mēdacium autem in varia distrahitur. Videbit denique, rem ita prorsus habere, sicut scribit Nicephorus his verbis: Sed non diu hæreticos tulit, qui nostræ salutis curam gerit Deus. Nam adulterina dogmata, quæ paulatim emicuerant, breui sunt extincta, & seipsis inter se abolita, cùm alij super alios, nouis rebus studerent. Atque hæc de natura veri seu veritatis, quod ad fidei dogmata spectat, sint dicta. Verùm circa bonum & vtile (quò pertinent ceremoniæ, ritus & alia quædam adiaphora) longè secùs res habet. Hæc enim non solùm mutabilia sunt, sed etiam aliquando necessariò mutātur pro temporum, locorum atq; hominum dispositione: Nam Ecclesia, vt est, prudens piaque mater, sicut à Spiritu sancto regitur, sic adiaphora eiusmodi suauiter disponit, ordinat, prohibet, aut præcipit, sicut fidelium saluti magis cōuenire viderit. Ac si contingat in eiusmodi suboriri hæreses, quibus illa (cùm tamen adiaphora sint) perperàm ad salutem obseruatu necessaria iudicentur, ad hæreses eiusmodi delendas ea mutat, & aliter seruanda præcipit. Hinc Ecclesia Sacramentum Baptismi nonnunquam per trinam, aliquando per vnam duntaxat immersionem conferri voluit: Hinc certas ob caussas communicandi quoque ritum (cùm & ille numeretur inter adiaphora, quæ iure diuino, nec præcepta, nec prohibita sunt) ita mutauit, vt aliquando, tàm sub vtraque, quàm sub vna, nonnun-

Tertul. in lib. de præscript. contra hæreticos.
Hilar. lib. ad Constantium August.
Epiphan. actio. 6. Nicænæ Synodi.
Niceph. li. 4. ca. 5. Ecclesiast. hist.
Euse. li. 4. hist. c. 7.
Actor. 15.
Concil. Toletan. 4. Can. 5.
Conc. Constant. sess. 13.

nonnunquam ſub vna tantùm ſpecie per totum fermè Chriſtianum orbem, ſanctiſsimæ Euchariſtiæ Sacramentum fidelibus dari permitteret, quamuis igitur in eiusmodi ritibus ſeu adiaphoris, mutationes aliquando factę ſint, ac neceſſariò fiāt, quòd nō omnia temporibus, nationibus ac locis, vel hominibus omnibus conueniant, integra tamen & inuariata Catholicæ fidei dogmata, ſemper in Eccleſia Romana manſerūt. Sed de his quoque ſatis.

84. *Quòd verò nobis obiicit varietatem, diſſenſiones, ſectaria conuenticula. Varietas apud nos non eſt: ſed eandem, quā ab initiò, & ante annos 44. toti Imperio Romano publicè noſtri Principes obtulerunt, imò omnium primam, quam ex ſacra Scriptura hauſimus, nuſquam ab ea deflectentes, retinemus ac profitemur. Quod ſi vnus aut alter ſuo conſilio aliquid variauerit, quid hoc ad vniuerſos? Sectæ quoque nihil ad nos, cum quibus etiam nihil commune habemus. Sed nec hoc nouum eſt, cùm Satan non vllo conquieſcat tempore, zizania ſua ſeminare, & quidem in agro Domini.* TVBINGENSIS Ieſuita hic. Aſſert. 8. Marc. 1. Actor. 17.

CATHOLICVS

Mirum videtur, quòd aduerſarius apud ſe ac ſuos nullam agnoſcat varietatem, cùm tamen apud ipſos non ſolùm in rebus adiaphoris; ſed in ipſis quoq; dogmatibus & articulis fidei manifeſtę ac ſcandaloſæ diſſenſiones, ſciſſuræ, contentiones & contradictiones palpentur, nedum conſpiciantur. Quod propemodùm innumeris exemplis cùm de Luthero cęterorum Anteſignano ſecum diſsidente, tùm de poſteris eius diſcipulis, & ſibimetipſis & magiſtro ſuo diſſentientibus & paſsim contradicentibus, euidenter demonſtratur. Ac primùm quidem, quod ſpectat ad ipſum Lutherum, manifeſtas ac plurimas ille contradictiones implicauit, vt eius libri teſtantur. Dum enim agit de ſola fide, ſic loquitur: Deus Pater in fide omnia poſuit, vt ſi quis hanc habuerit, omnia habeat. Alibi huic ſententiæ contradicit his verbis: Dominus & Magiſter noſter Ieſus Chriſtus dicendo: Pœnitentiam agite, omnem vitam fidelium, pœnitentiam eſſe voluit, non tamen intendit ſolam interiorem; Imò interior nulla eſt, niſi foris operetur varias carnis mortificationes. Et rurſus. Ergo neque opera pœnitentiæ, neque Sacramēta iuſtificationem, hoc eſt, remiſsionem peccatorum faciunt, ſed ſola fides; at alibi cōtradicit huic ſen-

Lutheri contradictiones. Lib. de libertate Chriſtiana. In Reſolutionib. In aſſert. artic. 1.

X ten-

In Visitat. tentiæ: Absq; pœnitentia, inquit, nulla est peccatorum remissio, neq; potest peccatorū remisſio absq; pœnitentia intelligi.

Ad Galat. cap. 2. Et iterū: Sola fides, inquit, Christi necessaria, quòd iusti simus, cætera omnia liberrima, neq; præcepta ampliùs, neq; prohibita: at alibi cōtrarium affirmat, cùm ait: Vita Christiana, est credere & diligere. At diligere nihil est, nisi benefacere. Sic, dum agit de Sacramentis, ait, septem esse Sacramenta, alibi contrarium affirmans, dicit: Neganda sunt septem Sacramenta. Rursus, vno loco ait: Tria sunt in Ecclesia Dei Sacramenta, Baptismus, Eucharistia & pœnitentia. Cui contradicit aliâs, cùm vel vnum tantùm, vel duo tātùm, vel etiam plura Sacramenta profitetur. Iterum circa Sacramentorum effectum seu efficaciam, manifestam implicat contradictionem. Ait enim. Moriturus magnificiat Sacramenta, ea veneretur, eis securè hilariterque confidat, ac contra peccatum mortemque & infernum, ea sic libret, vt longè præponderent, ac multò plùs de Sacramentis & eorum virtutibus cogitet, quàm de peccatis. Ecce, quàm eximiè sensit, quàm præclarè ac verè pieque Lutherus hoc loco de Sacramētis loquitur? Sed notet pius Lector, quid alio quoque loco dicat, cùm ait: Visitata, sed hæretica sententia est, Sacramenta nouæ Legis dare gratiam, his, qui non ponunt obicem. Quid his contradictionibus manifestius? Ad eundem modum circa communionem vtriusque speciei, frequenter Lutherus contraria docet. Nam cùm dixisset, impium & Tyrānicum esse, nec in manu vllius Angeli, nedum Papę, aut Concilij cuiusquam positum, Laicis vtranque speciem negare: alio tamen loco profitetur oppositum his verbis: Quamuis populo nunc non datur vtraque species, sicut olim, neq; est necesse; tamen Sacerdotes vtranque sumunt quotidie coram populo, & satis est, populum quotidie desiderare, & suo tempore alteram speciem, quantùm ordinat & dat Ecclesia Catholica, sumere. Nónne sunt hæc manifestè contradictoria? Sic quando tractat de Missa, frequenter eam commendat & extollit, cùm asserit, à tota Eccclesia approbatum esse, Missas pro viuis & defunctis valere, & Christifideles obligari, vt Dominicis ac festis diebus in Parochia sua Missam audiant, & plùs Missam prodesse

Marginal notes: De 10. leprosis. — De potest. Papæ. — In captiuit. Babyl. — Ibidem. — De capt. Babylon. ad Vvaldenses. — Lib. de potest. Papæ. — In serm. de præparatione ad mortē. — In Resolutione & Assertione. — De captiui Babyl. — In ser. de Euchar. — De 10. Præcept. — In Decalogum. — In Resolut. conclus. 16.

desse, si per Sacerdotem applicetur vni, quàm si sine applicatione celebretur pro omnibus. Et Missam esse partem, imò summam & compendium Euangelij: nonnunquam Missam eandem, & eodem ore, sed spiritu contradictionis diuerso calumniatur, ac damnat, cùm dicit, impiissimum in Ecclesia abusum esse, persuaderi; Missam opus bonum & sacrificium esse, & Missam summam peruersitatem, & manifestum & impium errorem esse; Missam pro peccatis, pro satisfactionibus, pro defunctis, aut quibuscunque necessitatibus suis, aut aliorum offerre seu applicare. Hæc ne sibi bellè consonant? Sic, dum circa Sacramentalem confessionem versatur, nunc solis Sacerdotibus esse confitendum, dicit; nunc affirmans contrarium, statuit omnibus & singulis Christianis, etiam mulieribus esse dictum: Quodcunque ligaueritis super terram &c. & eos absolui legitimè, qui sic fuerint confessi. Verùm non ero iam prolixior, recensendis pluribus contradictionibus, quibus vbique scatet Lutherus: maximè verò, cùm de concupiscentia carnis, sitne peccatum, vel non? De certudine salutis nostræ; de Conciliis generalibus, annne vel non errauerint? De bonis operibus, atque de aliis nostræ salutis ac pietatis Christianæ dogmatibus, deque venerandis mysteriis agit atque tractat. Hunc verò contradictionis ac mendacij spiritum, in suos quoque discipulos & complices euomuit atque transfudit, vt illi propterea, nec cum magistro suo Luthero, nec inter semetipsos vllo quidem modo conueniant, sed mutuis intestinis ac perpetuis dissensionum ac discordiarum bellis, (etiam in sanctissimis fidei dogmatibus) semetipsos oppugnent, affligant, misereque mordeant atque consumant. Ac licet id aduersarius hoc loco neget; alij tamen eius complices ipsa veritate conuicti, minimè negant, sed apud ipsos esse grauissimas dissensiones in articulis fidei palàm profitentur. Vnde hac etiam in parte vehementer à suis quoque complicibus aduersarius dissentit. Sic enim scribit quidam Vvittenbergensis Theologus: Obiiciunt nobis Pontificij scandalum dissidiorum, fateor id maius esse, quàm vllis vt lachrymis deplorari posit. Fateor, turbari infirmos animos, vt

X 2 dubi-

De captiui. Babyl.
De captiui. Babyl.
De capt. Babyl.
In resolut. & 10. Præceptis.
In captiuit. Babyl.
In Assert. art. 2.
in Psalm.
De 10. Præceptis.
In epistol. ad Gal.
De captiuitate Babyl.
In resolut.
In art. 28.
In assert. 32.
Maior in Orat. de Confess. dogmat.

dubitent, vbi sit varietas, & an aliqua sit Ecclesia Dei distincta à cæteris gentibus. Hæc ille. Quibus euidenter confutat aduersarium hoc loco, dum non solùm varietatem, quam hic negat, sed etiam maius dissidiorum scandalum apud ipsos esse fatetur, quàm vllis vt lachrymis deplorari possit. Idem alius illorum Theologus, non modò fatetur, sed pluribus quoque verbis exaggerat, dum ait: Se non loqui de contradictionibus, quas ipsi cum Papistis, vel aliis hæreticis sustineant, sed de grauissimis dissidiis, quæ sint ac grassentur apud suos & ipsosmet puræ scilicet doctrinæ cultores. Et copiosè recenset, quàm turpiter illi de bonis operibus, de iustificatione hominis, de libero arbitrio, de veritate seu præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, de Christi humanitate, de proprietate humanæ naturæ in Christo, de maiestate & ascensione Christi, & quomodò sedeat ad dexteram Patris; de Vbiquitate, deque pluribus aliis dissentiant ac rixentur. Et quemadmodũ nullus nec finis nec modus sit contradictionum ac dissidiorum, dum suam quisq; conatur opinionem aliis tanq̃ veram obtrudere ac persuadere, atque cæteris obscuratis, gloriosum sibi nomen apud homines comparare. Hoc ipsum quoq; Nicolaus Gallus his verbis profitetur: Perit, inquit, iusto Dei iudicio, non armis hostium, nõ inuictis hæreticorum armis, vera à nobis religio & Ecclesia; Sed nostrarum inter nosmetipsos perfidia, infidelitate, iniuria. Idem fatetur Smidelinus vester, dum ait: Non amplius, aut certè parùm de verbis cœnæ litigatur, sed de his ipsis (notet aduersari⁹) fidei articulis, qui sunt de incarnatione Verbi, & sessione Christi hominis ad dexteram Dei, scilicet plurimũ litigatur. Idẽ lamentatur Heſshusius: Quóquo, inquit, vertimus oculos, intuendo Christi cœtũ (apud Euangelicos videlicet) nihil propemodùm occurrit, q̃ noua Docẽtium dissidia, incrementa errorũ, Insignium doctorũ defectiones à veritate, ministrorum piorum oppressiones, scholarum vel euersiones vel corruptiones, & Ecclesiarum, quæ laudabiliter erant constitutæ, in quibus sana Christi doctrina fulgebat, quæ domicilium erant veritatis, & sancta Spiritus sancti officina, tristissimæ vastationes &c. Verùm quid attinet aduersùs aduersarium aduer-

Nicolaus Selneccerus sup. Psal. 13.

Nicolaus Gallus Thema deprauat. August. Confess.

Smid. in præfat. Apol. de Maiestat. hominis Christi.

Heſshus. in epi. de exorcismo.

aduerſariorum, hoc eſt Lutheranorum Theologorum plura de hac re teſtimonia proferre, cùm illorum diſſenſiones nimis manifeſtæ, non poſsint ampliùs occultari, ſicut ipſimet fatentur? Cur ergo dicit aduerſarius nullam apud ipſos varietatem reperiri? Qua fronte negat ipſe, quod eius aſſeclæ vel Magiſtri negare, nec poſſunt, nec volunt; ſed palàm & confidenter affirmant? Quis ignorat Lutheri ſectam in plurimas & propemodùm infinitas ſectas fuiſſe diſſectam, quæ quidem ſectæ, cùm ex diametro ſecum, & inter ſe pugnent; ſeſe mutuò conficiunt, excommunicant, damnant anathematizant? Abundè conſtat, illud ex voluminibus quæ nuper Lutherani rigidi, hoc eſt Illyricani ſeu Flacciani contra Lutheranos molles, hoc eſt, Vvittenbergenſes Theologos, & hi viciſsim aduerſus ipſos ediderunt. Atque vt breuitatis ſtudio plurima contradictionum exempla prætermittantur, videat quæſo, pius lector, quàm turpiter inter ſe diſſentiant aduerſarij, præſertim circa hæc Chriſti Domini verba: Hoc eſt corpus meũ. Quamuis enim Chriſti Domini corpus vt eſt vnicum, ſic vnitatis atque charitatis quoque certiſsimum ſit argumentum & Symbolum, illius nimirùm, vnitatis quam in eius myſtico corpore, quod eſt Eccleſia, agnoſcimus ac profitemur: ſic tamẽ (proh dolor) ab aduerſariis diſtractum ac diuulſum cernitur, vt iam non charitatis, non vnitatis, non concordię vel coniunctionis Sacramentum, ſed potiùs lapis offenſionis, & petra ſcandali, adeoque plurimarum contradictionum ac diſſenſionum propter ſectariorum modernorum importunitatem, quaſi ſeminarium, licet immeritò, videatur. Adeò mel aduerſariis modernis etiam circa Cœnam Domini, vertitur in toxicum. Adeò Deus illorum non pacis, ſed diſſenſionis Deus apparet: Adeò ſpiritu erroris nunc in hypocriſi loquuntur mendacium, non vnum, ſed plurima. Quod pius lector veriſsimum eſſe videbit, ſat ſcio, quando perpenderit quàm miſerè ſacroſancta Chriſti Domini verba: Hoc eſt corpus meũ: ſuis diſsidiis dilacerârint atque profanârint. Nónne Lutherus aliorum princeps priuatam & abſurdam inuenit horum verborum expoſitionẽ, cùm ait. Hoc eſt corpus meum, id eſt, panis iſte eſt corpus meum, & vinum eſt ſanguis meus: quis vnquã Chriſti verba ſic expoſuit?

Contra Regem Angliæ.

Melanchthon in cõfeßione ſua quã miſit ad Comitem Palatinum.

Nónne (vt alias Lutheranorũ interpretatiões ſcilicet; in pane, cũ pane, ſub pane &c. omittã) Melanchthon circa eadẽ Chriſti verba, nouã & à Luthero diuerſam opinionem habet, quando ſic ait? Hoc eſt corpus meum, id eſt hic panis eſt κοινωνία, id eſt participatio corporis mei; ſcilicet per manducationẽ? Nónne

Carolſtadius libro, quem edidit Baſileæ cõtra Lutherum.

Carolſtadius longè aliter, quàm Melanchthon, eadem Chriſti verba profanat, cùm affirmat pronomen (Hoc) nõ illud, quod Chriſtus manib. geſtabat demonſtrare, ſed potiùs corpus ſuũ, quatenus viſibili forma menſæ aſsidebat, hoc nimirùm ſenſu. (Hoc eſt corpus meum) id eſt, hic ſedet corpus meum? Quam monſtroſam abſurditatem abſurdiùs confirmat, quòd pronomẽ (Hoc) ſit generis Neutri, tàm apud Græcos quàm Latinos, & ideò ad panem referri nequeat. Nónne Zuinglius iterum à

Zuinglius lib. de vera & falſa religione cap. de Euchariſtia.

Carolſtadio diuerſam habet ſententiam ſuper iiſdem Chriſti verbis, quando plenis buccis, nedum ſcriptis, inculcauit ſimplici plebeculę nullum in pronomine, (Hoc) ſed in verbo (Eſt) manifeſtum eſſe tropum, ad hunc videlicet modum: Hoc eſt, id eſt, ſignificat corpus meum? Nónne Oecolampadius, licet

Oecolampadius lib. de genuina expoſitione verborũ Domini, hoc eſt corpus meum.

aliôquin cum Zuinglio ſentire videatur, in hoc tamen ab eo diſcrepat, quòd non in verbo (Eſt) ſicut ille, ſed potiùs in dictione (Corpus) metaphoram eſſe docet, vt ſic ab aliis ſeparatam habeat opinionem, dum ait? Hoc eſt corpus, id eſt, figura

Bucerus lib. quem edidit an. 56. contra Sacramentarios.

corporis mei? Nónne ab his omnibus Bucerus vehementer diſcrepat, dum autore Eraſmo Albero, ſic interpretatur eadem Chriſti verba: Hoc eſt corpus meum, id eſt, Hoc eſt prote-

In confeßione ſua.

ſtatio & memoriale beneficiorum Dei? Nónne quidam Theologi Sileſitæ longè diuerſum ſenſerunt & docuerunt, quando tradiderunt, pronomen (Hoc) accipiendum eſſe, pro demonſtratione ſpirituali, qua mentes humanæ ad Chriſtum in cœlis eleuãtur, hoc ſenſu. Hoc, id eſt, in cœlis eſt corpus meũ: Nónne

Scuuenckfeldius li. de duplici ſtatu Chriſti. Art. 17. & 18.

Scuuenckfeldius eadem Chriſti verba longè ſecùs exponit, dũ ait: hoc eſt corpus meum, id eſt Deitas mea: quando idem ille credit poſt aſcenſionem, Chriſti corpus non ampliùs manſiſſe

Ioannes Lãgius in ſuis Annotationibus ſuper ſecũdam Apologiam Iuſtini Martyris.

corpus, ſed in Deitatem eſſe mutatum? Nónne plurimùm ab omnibus aliis præcedentibus diſcrepat Valentinus Crotoaldus, quandoquidẽ eadem Chriſti verba ſic interpretatur. Hoc, id eſt panis ille, qui eſt cibus ſpiritualis. Vel hoc, id eſt, hæc res,

quæ

quę est cibus spiritualis, est corpus meũ? Nónne Henricus Bullingerus nouũ adhuc & priuatũ sensum, inuenit, quando dixit: Hoc est corpus meum. i. monumentũ & recordatio passionis meæ? Nónne Ioannes à Lasko planè diuersam ab istis inuētionem habet, cùm ait: pronomen (Hoc) non demonstrare panē, sed potiùs actionē totam Cœnę Dominicæ? hoc nimirũ sensu. Hoc, id est quicquid dixi, vel egi in vltima cœna, vel tota actio cœnę est corpus meum, id est repręsentabit vobis corpus meũ: Nónne Vvolfgangus Musculus, tanquam cæteris prudētior & acutior, longè alium prædictis verbis sensum attribuit, quādo ait: hoc, id est panis, quatenus est Sacramentum corporis mei, eatenus est corpus Christi, ratione & modo sacramentali, quāuis ratione ipsius naturę naturaliter sit panis? Nónne Frãciscus Stankarus ab istis omninò discrepātem expositionē habet, cũ ait: Hoc est corpus meũ, id est, hic est arrabo seu arrha & pignus corporis mei? Nónne Caluinus opinionem nouã, eamq; multiplicem de iisdem Christi verbis habet, dum cum Zuinglianis aliquando ait: Hoc est corpus meum, id est hic panis significat efficaciter, vel est efficax signum corporis mei: Nonnunquã ait secundùm Lutheranorũ mentem: Hoc est corpus meum, id est hic panis exhibet credenti corpus meũ? aliquando coniungit expositionem vtranq; insinuans fore, vt Lutherani tandē fiant Caluinistæ: Ait enim, videtur, quòd hæc oratio: Hoc est corpus meũ, designet: hic panis significat corpus meũ & exhibet se, si fides corporis Christi excitetur signo. Nónne Petrus Martyr adhuc aliam inuenit expositionem, dũ ait: Hoc est corpus meũ id est Sacramentũ corporis mei, vbi nomine Sacramenti plùs quidem, q̃ Zuinglius, at minùs q̃ Caluinus interpretatur? Nónne longè diuersum sapit Petrus Boquinus, quando dicit, panē vocari corpus Christi, per communicationē idiomatũ, quemadmodũ, Deus homo dicitur? Nã sicut in Christo duæ naturæ, videlicet diuinitas & humanitas sic vniũtur, vt Deus homo dicatur; sic affirmat ille in Sacramento, quadã hypostatica coniunctione cũ Christi corpore panē copulari, vt panis dicatur & sit Christi corpus, hoc sensu: Hoc est corpus meũ, id est hic panis dicitur corp⁹ meũ, propter communicationē idiomatum & hypostaticam vnionē. Nónne Petrus Richerius suum quoq; sensum

Bullingerus libro, cuius titul⁹: Institutio eorum, qui propter Dominũ nostrũ de fide examinantur.

Musculus in locis cõmunibus, titulo De cœna Domini. Caluinus in vltima admonitione ad Vvestphalum.

In Dialogo de vtraq; in Christo natura.

Boquinus in examine libro Heshusij.

Richerius in propositionibus suis.

sensum à reliquis diuersum profert: quando dicit: Hoc est corpus meũ, id est hic panis significat oblationem meam in cruce peractã? Et cõcedit quidem ille corpus Christi in Sacramento realiter, sed non corporaliter cõmunicantib. exhiberi. Nónne deniq; Beza propriã adinuenit expositionem, quando contra magistrum suũ Metonymiam non in pane, sicut Caluinus, sed in Christo corpore vult intelligendam? Vt non panis corpus, sed ediuerso corpus Christi panis esse dicatur? Ecce quã præclarè moderni nouatores de cœna Domini, deq; sanctissimo Christi corpore sunt cõmentati ac meriti; quando illud, postquam à Catholicæ Ecclesiæ verissima sententia & Orthodoxa fide deficientes singuli vias suas ingressi, tot opinionum, contradictionũ & mendaciorum sectis dissectis lacerârunt. Videat igitur aduersarius; an apud ipsos, nécne sit aliqua dogmatum varietas. Nec attinet hîc dicere tot ac tãtas apud ipsos dissensiones etiam nunc existere, vt Tubingenses, propter vbiquitatẽ ab aliis Lutheranis tãquam Eutychiani damnati sint, quod non accidisset, si cum eis in fidei dogmatibus conuenirent. Similiter nec vero consonat, quod ait aduersarius, apud suos eandem, imò & omnium primam (scilicet Augustanam quam vocant) Confessionẽ retineri, à qua nusquam etiam deflectãt. Si Tubingenses ab ea nusquam deflexerunt aut deflectunt, cur nouum & falsum de vbiquitate dogma finxerunt ac nunc defendunt, de qua ne minimum quidem Iota habet Augustana confessio. Cur spuriam filiam Brentij, quam alij Lutherani nõ insulsè vocant, pro legitima confessionis suæ filia recipiunt, tantoque studio fouent & extollunt? Porrò quomodò confessionem eandem ipsi retinent & profitentur? & quomodò non deflexerunt à confessione prima, quæ ante annos 44. toti Romano Imperio fuit oblata, postquam confessionem primam, per aliam scilicet confessionem anno 40. editam, non solum auxerunt, sed multis etiam locis mutârunt, correxerunt, mutilârunt? Quod exemplis aliquot hîc subiectis verissimum esse, sic demonstratur. Non Confessio prototypa Anno trigesimo seu, vt ait aduersarius, ante 44. annos oblata, articulo quinto sic habet: Nam per Verbum & Sacramenta tanquam per instrumenta donatur Spiritus sanctus, qui fidem efficit, vbi

Beza in Apologia contra Claudium Santesium.

Vvittenbergenses in disputat. gram. contra Selneccerũ.

Tubingenses sunt Vbiquitarij cõtra Confess. Augustanam.

Confessionis Augustanæ mutationes & varietates.

Vera mutatio.

vbi & quando visum est Deo, in his qui audiunt Euangeliū &c. At in confessione variata & Anno 40. edita, hoc modo legitur: Cùm consolamur nos promissione seu Euangelio, & erigimus nos fide, simul datur nobis Spiritus sanctus. Nam Spiritus sanctus datur & est efficax per Verbum Dei & per Sacramenta. Viderit hoc loco pius Lector, quomodò variata sit Augustana Confessio, cùm editione prima doceatur, quòd Spiritus sanctus in nobis efficiat fidem, altera verò editione contrarium insinuetur; nimirùm postquàm nos erexerimus fide, tandem simul Spiritum sanctum nobis dari. Non ergo retinēt aduersarij confessionem illam prototypam, cùm illam apertè mutauerint. Item in Confessionis prototypę sexto Articulo sic legitur: Item, docent, quòd fides illa debeat bonos fructus parere, & quòd oporteat bona opera mandata à Deo facere, propter voluntatem Dei, non vt confidamus, per bona opera iustificationem coram Deo mereri. Nam remissio peccatorum & iustificatio fide apprehenditur, vt Christus testatur: Cùm feceritis hæc omnia, dicite, serui inutiles sumus &c. Sed in eodem articulo posterioris editionis, hæc ad hunc modum sunt mutata: Item, docent, quòd cùm fide recōciliamur, necessariò debeat sequi iustitia bonorum operum, quæ Deus nobis mandauit, sicut & Christus præcipit: Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Et paulò pòst: Postquàm autem persona reconciliata, & iusta fide, id est, accepta est, placet obedientia, & reputatur esse quædam iustitia, sicut Ioannes inquit: Qui in me manet, non peccat. Et 2. Cor. 1. Gloria nostra hęc est, testimonium conscientiæ nostræ. Ac debet hæc obedientia, repugnare prauis cupiditatibus, & subinde spiritualibus exercitijs fieri purior, & cauere, ne quid committamus cōtra conscientiam, iuxta illud; Summa legis est dilectio, ex puro corde & conscientia bona, & fide non ficta. Qui verò obtemperant prauis cupiditatibus, & agunt contra cōscientiam; versantur, in peccatis mortalibus, nec fidei iustitiam, nec iustitiam bonorum operum retinent, iuxta illud Pauli: Qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt &c. His inter se collatis, apparent multæ varietates & mutationes. Nam editione prototypa negatur bo-

Alia mutatio.

Y norum

norum operum iuſtitia: At editione altera, ſeu variata, dicitur iuſtitia bonorum operum poſt recōciliationem neceſſariò ſequi debere. Sic editione prima, negatur, per opera bona nobis mereri iuſtitiam, quam ſola fide, ſcilicet, apprehendamus: Altera verò ſeu variata editione dicitur, per obedientiam erga legem, nobis reputari quandam iuſtitiam, nosq; mereri præmia, eamq; obedientiam ſpiritualibus exercitijs debere fieri puriorem &c. Hęcne ſunt eadem omninò, vel potiùs variata & mutata? Eodem planè modo variatus eſt articulus decimus. Nam in editione prima ſic ille habet: De cœna Dñi ſic docetur; quòd verum corpus & ſanguis Chriſti veraciter ſub ſpecie panis & vini in cœna præſens ſit, & ibi diſtribuatur ac ſumatur. Idcircò & reijcitur doctrina cōtraria. Ecce quàm benè hîc ſentiunt, & adhuc tranſubſtantiationem agnoſcunt. At editio poſterior, aliter habet: De cœna Domini docent, quòd cùm pane & vino verè exhibeantur corpus & ſanguis Chriſti veſcentibus in cœna Domini, & quædam etiam omiſſa ſunt: Illa dicit corpus & ſanguinem Chriſti veraciter ſub ſpecie panis ac vini adeſſe: hæc affirmat corpus & ſanguinem Chriſti cum pane & vino veſcentibus exhiberi. Quænam eſt, Bone Deus, ſi hæc manifeſta varietas & diuerſitas non eſt? Sic (vt omittantur aliæ mutationes, quæ plurimæ ſunt) In Articulo decimoquinto, circa ritus Eccleſiaſticos editio poſterior, in multis priorem variauit, correxit, mutilauit. At articulo decimoſexto editio poſterior prototypam nō mutauit ſolùm, ſed etiam tanquàm erroneam damnauit. Nam cùm illa perperàm docuiſſet Euangelicam perfectionem in timore & fide conſiſtere: altera defectum prioris ſupplēdo, prædictis dilectionem & obedientiam addidit, dum ait: Euangelica perfectio eſt ſpiritualis, hoc eſt, conſiſtit in motibus cordis, in timore Dei, fide, dilectione, charitate & obedientia. Viderit nunc Aduerſarius, quantùm abſint ſui complices à prima Confeſsione ante 44 Annos toti imperio Romano oblata, quam profectò non ampliùs r[illegible]inent, nec profitentur. Verùm, eſto (vt poſito falſo caſu fingamus rem ſic habere) nónne ex hoc ipſius fundamento euidenter & neceſſariò concludimus Tubingenſem fidem, non Apoſtolicam,

Alia mutatio.

In exemplari germanico.

Alia mutatio.

non Catholicam, nec Christianam quidem, sed Lutheranam tantùm esse, quippè quę ab initio, hoc est, ante 44 Annos à Luthero suam traxit originem, & ab Imperio Romano tàm politica, quàm Ecclesiastica potestate reiecta & reprobata fuit? Ac si illa censebitur vera fides, quæ ante 44 Annos primùm inuenta fuit; O miseros nostros tot sæculorum maiores, ô miseram religionem & fidem Catholicam, ô miseram Ecclesiam Christi, ô miserum Euangelium Christi, ô miserrimos denique Apostolos, cùm tàm ipsi, quàm eorum Doctrina, Fides, Euangelium, Ecclesia, & ipsa quoque Sacramenta per 1500. cotinuos Annos delituerint, adeoque penitus interierint, donec nuper ab initio, hoc est, ante 44 Annos prodiret noua Cõfessio, quæ nec tunc recepta, sed confutata, damnata, ac tandem miris modis corrupta fuit ac variata. Quod autem subiungit Aduersarius: Si vnus aut alter suo consilio aliquid variauerit, Quid hoc ad vniuersos? Nónne ridiculum prorsus apparet? Apud illos non vnus, vel alter, sed vniuersi sic comparati sunt, vt iuxta libitum regulas suas subinde varient, (vt ait Hilarius) adeoq; secum, nedum cum alijs perpetuò dissideant. De qua re non attinet hoc loco plura profundere verba, cùm pius Lector suprà luculenter intellexerit, quemadmodùm etiam quasi vniuersi, (dum exponunt hæc Christi verba. Hoc est corpus meum) inter sese dissentiant. Sed neque Sectas agnoscit Aduersarius, cum quibus nihil, scilicet, habeat commune. Verùm mirabile videtur hoc in oculis nostris; cùm alij Lutherani cœtum Tubingensem, tanquàm Sectam, cùm propter alia, tùm maximè propter vbiquitatem oppugnent, & persequantur. Imò, cùm nec ille cœtus habeat quicquam, quo magis aut certiùs, quàm VVittenbergenses aut Flacciani, Sectæ notam à se depellere queat, quomodò cum Sectis nihil commune habet?

85. *Secundam notam faciunt, quòd sit sancta. Est quidem Ecclesia Christi sola Sancta, carens ruga & macula in conspectu Dei Patris. Sanctificata & mundata lauacro aquæ, in verbo vitæ. Non ergo propria operum ipsius sanctitate, sed Christi, quæ per fidem imputatur, & per Spiritum sanctum regeneratur.* TVBINGENSIS

86. *Verùm hæc ſanctitas non ita apparet foris, ſed intrinſecum bonum eſt, humanis oculis inuiſibile, ſicut eam Spiritus ſanctus deſcribit in ſuo Epi-*
Pſal. 45. *thalamio: OMNIS GLORIA FILIÆ REGIS AB INTVS,*
Matth. 23. *in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus. Quod enim ex bonis operibus iudicium fit, fallax eſt hoc, cùm hypocritæ eadem facere poſſint, vt foris appareant honeſta ſpecie.*

CATHOLICVS Eccleſiam Chriſti ſanctam eſſe, nobiſcum & rectè quidem aduerſarius fatetur: ſed cùm illa varijs modis ſit ac prædicetur ſancta, vnum tamen ille duntaxat ſanctitatis expreſsit modum, quem & nos agnoſcimus, de lauacro nimirùm regenerationis, qua ſanctificamur; non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, &c. Qui profectò ſanctificationis modus (vt ſtudio breuitatis cæteros omittam) ad primam hominis iuſtificationem iuxta veriſsimam Theologorum ſententiam ſpectat, nec impedit, quicquam, quò minùs neceſſaria bonorum operum
Iacob. 2. acceſsione, quando fieri poteſt, quam Theologi meritò ſecun-
Apocal. 22. dam hominis iuſtificationem vocant, teſte Scriptura conſummetur ac perficiatur. De qua re, licet hic non ſit proprius dicendi locus, oportuit tamen illud obiter inſinuare, cùm ille mentionem de operum ſanctificatione ſatis callidè fecerit. Sed quoniam ſanctitatem, tanquàm Eccleſiæ notam propterea vix admittit, quòd ſcilicet, hæc ſanctitas, vt ait, ſit intrinſecum bonum humanis oculis inuiſibile, idcircò prætermiſsis alijs ſanctitatis modis, qui ſunt ab intus, nec in oculos aduerſarij fortè poſſunt incurrere, duntaxat vnicum declarabo ſanctitatis modum ſatis notabilem, ſatis conſpicuum, ſatis viſibilem, quo ſanctitas hæc verè dicitur & eſt Eccleſiæ nota. Profectò iuxta ſententiam illorum, qui Latinè ſcripſerunt, Sanctum illud vocatur, quod ita ſtabile, firmum ac munitum eſt, vt violari vel euerti ac deſtrui facilè nequeat. Sic leges ſanctæ, quòd inuiolabiles, ſic muri ſancti, quòd robuſtiſsimi, ſic æraria ſancta dicuntur, quòd optimè munita ſint. Hoc igitur ſenſu meritò ſancta prædicatur Eccleſia Chriſti vera, cùm illa nihil fortius, nihil firmius, nihil ſolidius aut ſtabilius exiſtat, tùm quòd

Sanctitas quomodò vera, cōſpicua, propriaque Eccleſiæ nota probatur.

Epheſ. 1. æterna prædeſtinatione ſit à Deo ſic præordinata, tùm quòd Filio Dei Chriſto Redemptori noſtro dicata & precioſo eius ſanguine

ſanguine conſecrata ſit: (cui, quod dedit Pater, nemo poteſt eripere) tùm denique quòd, ſuper firmam petram ſit tanquàm Dei domus ædificata; vt neque pluuijs, neque ventis, neque fluminibus in eã irruentibus, vllo modo ſubuerti poſsit, & quòd portæ inferorum aduerſùs eam nunquam ſint præualituræ. Portas inferorum dicit Auguſtinus eſſe peccata, minas & blandimenta hæreſis, &c. hæc non præualebunt, hoc eſt, nõn eam à fide & charitate mea ſeparabunt. Vnde declarans illa Pſal. verba: Fundâſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi, &c. Terram, inquit, intelligò Eccleſiam. Quæ eſt firmitas eius, ſuper quam fundata eſt, niſi fundamentum, de quo ait Apoſtolus: Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod eſt poſitum, quod eſt Chriſtus Ieſus; Huic fundamento cùm innitatur, nulla eſt, neque fuit, neq; erit vis vnquam tanta, qua ſuperari poſsit. Ad quem modum D. Hieronymus exponens illud Pſal: Ædificauit ſicut vnicornium ſanctificium ſuum in terra, quam fundauit in ſæcula &c. Ipſam, inquit, Eccleſiam ſingulari virtute firmauit, vt immobilis in ſæcula ſempiterna conſiſtat. Huc quoq; ſpectant D. Chryſoſtomi verba, quibus fortiorem Eccleſiam terra, imò fortiorem ipſo cœlo, vbi radices eam fixas habere affirmat, nõ in terra, ſolem vt extingui ſit faciliùs, quàm Eccleſiam obſcurari. Huc reſpexit inſuper Propheta dum ait: Regnum ipſius, hoc eſt, Eccleſia omnibus dominabitur, vnde, quoq; terribilis, vt caſtrorum acies ordinata, dicitur, quippè, quę paganos & Tyrãnos ſæuiſsima minitantes & inferentes ſuppliciorum genera, ſpernendo; quæ ſchiſmaticos pacem & vnitatem perturbantes, bonum ordinem retinendo; quæ ſectarios & hæreticos, tanquàm falſos fratres Scripturas ſacras adulterantes, erudiendo dociles, pertinaces confundendo, reprobos anathematizando, ſemper conuicit, profligauit, exterminauit. Et quamuis ab eis frequentes imò continuos & quidem grauiſsimos incurſus & impetus ſemper ab initio ſuſtinuerit; & vſque ſufferre cogatur, nihil tamen ijs læditur nec debilitatur quidem, vt ipſamet per Prophetam ait: Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea; Etenim non potuerunt mihi. Nec ſolùm nihil

Ioan. 10. Matth. 7. Matth. 16. Auguſtinus ſuper Pſal. 103. 1. Cor. 3. Hieron. ſuper Pſal. 77. Chryſoſt. Tom. 5. Homil. de expulſione ſua. Pſal. 101. Cant. 6. Pſal. 128. Ibidem.

potuerunt aduersùs eam, ſed etiam oppreſsionibus & infeſtationibus varijs & aſsiduis, vel inuiti ac nolentes effecerunt; vt Eccleſia Dei magis hinc corroborata, ſemper creſceret, ac augeretur. Teſtatur id Clemens Alexandrinus his verbis. Et Græcam quidem Philoſophiam, ſi quiuis Magiſtratus prohibuerit, ea ſtatim perit, noſtram autem Doctrinam, à prima vſque prædicatione prohibent ſimul Reges & Tyranni, & ſinguli duces & Magiſtratus cum vniuerſis ſatellitibus & innumerabilibus etiam hominibus, in nos belligerantes, & nos pro viribus excindere conantes; Illa autem magis etiam floret. Non enim emoritur, vt doctrina humana, neque flacceſcit, vt donum imbecillum. Nullum enim Dei donum eſt imbecillum; manet autem eiuſmodi, vt prohiberi nequeat. Ad quem etiam modum, Diuus Hilarius de Eccleſia loquitur: Dum perſequitur, floret: dum opprimitur, creſcit: dum contemnitur, proficit: dum læditur, vincit: dum arguitur, intelligit; Tunc ſtat, cum ſuperari videtur. Vnde quidam olim dixiſſe fertur, Martyrum ſanguinem optimum eſſe ſemen, vnde Chriſtiani naſcantur ac multiplicentur. Cùm igitur hæc Eccleſiæ ſtabilitas, atque firmitas, vnde ſancta nuncupatur, ſit omnibus conſpicua, tanquàm peculiaris Eccleſiæ prærogatiua, quæ non reperitur in vllis Sectis (quę ſicut cum autoribus ſuis ortę ſunt, ſic & pereunt) nemo niſi mentis emotæ dubitauerit, quin hæc ipſa ſanctitas ſit manifeſta, certa, euidens, ac propria Nota, qua vera Chriſti Eccleſia facillimè cognoſcitur.

Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum.

Hilarius lib. 7. de Trinitate.

Tertul. in Apologetico, in fine.

[...]INGENSIS

87. *Et quòd IESVITA probare conatur, ſua, hoc eſt, Pontificiæ Eccleſiæ ſanctitatem monſtrari poſſe, infinitis, ſcilicet, ſtupendisque miraculis, quæ faciat.*

88. *Bifariam errat & fallitur miſer. Miracula enim minimè Nota ſunt ſanctitatis, nec ſolius Chriſti Eccleſiæ ſunt propria. Chriſtomet teſtante, ac dicente: Multi venient in illa die dicentes, Domine, Domine, Nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas edidimus? Sed quid reſponſi ſunt accepturi, ibidem ſequitur. Similiter & Pſeudoprophetas ſurrecturos prædixit, qui edituri ſint ſigna & prodigia magna, adeò vt in errorem inducturi ſint, ſi fieri poſſet, electos.*

Matth. 7.

Ibidem 29.

Craſſum

CATHOLICVS

Crassum & blasphemum errorem hoc loco commisit aduersarius, cùm ait, miracula minimè Notam esse sanctitatis, nec solius Christi Ecclesiæ esse propria. Quid enim aliud hoc verbo, quàm Ecclesiam Christi dissipare, & Euangelium Christi in dubium vocare, adeoq; Christum ipsum dissoluere, molitur? Nónne Christus filius Dei miraculis plurimis, quæ in præcedentibus eius prophetijs, in conceptione, in natiuitate, in vita, in doctrina, & morte acciderunt à Deo patre nobis cõmendatus est? Ait enim ipse: Opera, quę dedit mihi Pater, vt perficiã ea, ipsa opera, quæ ego facio, testimoniũ perhibent de me, quia Pater misit me. Quòd si miracula sunt certa Nota, qua Christus verus Messias ac filius Dei cognoscitur ac demõstratur, cur aduersarius negat, Ecclesiam Christi per miracula tanquàm infallibilem Notam posse demõstrari? Si testimonium opera perhibent de Christo, quòd à Patre sit missus, cur eadẽ opera de Ecclesia, quòd sit Christi sponsa, testimonium non perhibebunt? Nónne Christus ipse doctrinã Euangelij sui, miraculis inchoare, & confirmare voluit? Nónne grauiter ac meritò coarguit ac reprehendit incredulos, pertinaces & cæcos Iudæos, tanquàm inexcusabiles, quòd miraculis seu operibus fidẽ non haberent, dum inquit; Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatũ non haberent? Ecce nemo alius opera fecit, quę Christus fecit, vt idcircò illi de peccato suo, vt ait Dominus, excusationem non habeant. Quòd si quiuis alius, vt vult aduersarius, contra manifestũ Christi verbum, eadem opera, eodẽq; modo facere potest, quæ & quomodò fecit Christus, Nónne hoc loco Christi verbum eneruatur? Certè hoc modo Iudæi possunt excusationem prætexere, cur propter opera, Christum non receperunt, cùm eadem opera, quæ faciebat Christus, & alij fecerint ac facere potuerint. Sed quoniam frequenter admonet eos Dominus, vt licet verbis suis credere nolint, saltem operibus credant, & inde cognoscant & credant; quia Pater sit in ipso & ipse in Patre; & vt propter opera credant. Quin & miraculo probauit, se potestatem habere dimittendi peccata, Dum ait: Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Surge & ambula.

Esaiæ 35. Matth. 11. — Ioan. 5. — Matth. 4. Marc. 1. Ioan. 2. 5. 9. 11. 20 — Ioan. 15. — Ioan. 10. — Ioan. 14. — Matth. 9.

Vnde miracula de Christo, peculiariter testimonium perhibuerunt. Et quemadmodùm de Christo, sic de Christi corpore, quod est Ecclesia, testimonium perhibent, atque sic non possunt omnibus esse communia. Huc accedit, quòd in veteri Testamento miracula veritati testimonium adeò perhibebant, vt ipsius Dei iussu, verus ille Propheta iudicaretur, qui prophetiam suam miraculo confirmaret, vnde Iudæi quoque signa petebant, quibus verus Messias probaretur. Et Apostolus ait: Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis, videlicet, signorum ac miraculorum, fuit. Quamobrem repræhendit etiam quosdam, quòd Euangelicam ipsius doctrinam miraculis cõfirmatam non reciperent, aut receptam desererent. Quæ quidem prophetica & Apostolica exempla penitus ad hunc sensum Chrysostomus & Hieronymus rectè interpretantur atq; defendunt. Nam facere miraculum, quemadmodùm vires naturales omnium creaturarum excedit, sic opus est solius Dei, qui facit, vt ait ille, mirabilia magna solus. Facit, inquam, mirabilia magna solus, tanquàm omnipotens, qui dixit & facta sunt, qui ea, quæ non sunt, tanquàm ea, quæ sunt, vocat. Veruntamen non immediatè semper per seipsum, sed frequenter per Angelos, per sanctos suos Seruos, & aliquãdo per fideles peccatores, nunquam tamen per hæreticos aut Sectarios aut Pseudoprophetas (saltem in testimonium suæ hæresis) vera miracula Deus operatur. De Angelis atque sanctis Dei Seruis, nulla probatione videtur opus, cum probatissimis exemplis abundemus. Quod verò spectat ad fideles peccatores, Scripturis sacris ac verissimis rationibus id manifestum est. Hinc ait Dominus: Multi venient in illa die dicentes; Domine, Domine: Nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Et respondebitur illis: Quia nunquam noui vos: discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Ecce vocat eos Dominus, non hæreticos, non seductores, non sectarios, aut Pseudoprophetas, sed operatores iniquitatis, quales sunt fideles in peccatis etiam mortalibus existẽtes. Quamobrem

Exod. 14. Deut. 18. 1. Reg. 12. 1. Cor. 1. 1. Cor. 2. Galat. 13. Ephes. 3. Chrysost. Hom. 1. super act. Apostol. Hieronymus super Matth. ca. 10. Psal. 71. Psal. 135. Psal. 32. 1. Cor. 1.

Miracula Deus per alios operatur.

Matth. 7.

Miracula Deus nonnunquàm operatur per fideles peccatores.

obrem perperàm hæc Christi verba citauit aduersarius, cùm nihil impediant, quò minùs vera Ecclesia Christi miraculis tanquam certissima nota cognoscatur: quandoquidem eiusmodi operatores iniquitatis seu fideles peccatores, per quos Deus operatur nonnunquam miracula, sunt in Ecclesia, adeoque sunt Ecclesiæ membra. Dignatur, autem Deus eos hac miraculorum gratia, cùm sit gratia gratis data, sicut honor, nobilitas, doctrina, sanitas, robur, eloquentia, donum prophetiæ, gratia curationum, aliæque similes donationes, quas Apostolus differentes secundùm gratiam nobis donatas affirmat. Quæ quidem gratia gratis data, cùm hominem non sanctificet, nec Deo gratum faciat, in fidelibus peccatoribus locum habere potest, vt per eos ad aliorũ vtilitatem aliquando fiant. Quod verò spectat ad alia Christi Domini verba de Pseudoprophetis, qui surrecturi sint, atq; prodigia & signa, adeò magna facturi, vt etiam, si fieri posit, electi seducantur; nec aduersarius illa vero ac genuino sensu citauit, quandoquidem ea signa, vel prodigia, quæ Antichristus, vel eius satellites Pseudoprophetæ, nonnunquam edituri sunt, non vera sunt miracula, sed mendacia signa, & fallacia prodigia, quæ per Dæmonum illusiones & præstigia fiunt, ad decipiendos homines. Neque enim Antichristus, cùm sit creatura futurus, minùs autem eius ministri, possunt vera facere miracula: Nec ea Deus aliquãdo per ipsos operatur. Nam cùm Deus (vt est in confesso) miracula soleat operari ad confirmanda veritatis ac fidei seu religionis Catholicæ dogmata, non potest Deus sibi fieri dissimilis, vel contrarius, vt fidem Catholicam iam anteà miraculis confirmatam, nouis miraculis euertere atque destruere, adeoque errores aut hæreses constabilire velit. Quòd si Deus veritatis, véræque fidei testis est, certè falsitatis & hæreseωs vel errorum testis esse non potest. Ac si miraculis veritatem confirmat, profectò falsitatem miraculis confirmare non potest. Vnde nec vnquã inuentus est vllus hæreticus, vel Pseudopropheta, per quem Deus aliquando miraculum fecerit. Quamobrem, si quid aliquando contigit, vel etiam scriptura Sacra per Pseudoprophetas futurũ insinuat, quod prodigij speciem

Matth. 7.

Miracula cur Deus operetur per fideles peccatores.

Rom. 12.

Matth. 24.

Antichristi & Pseudoprophetarũ miracula falsa.

2. Thess. 3.

Miracula cur Deus nõ faciat per Pseudoprophetas.

Hæreticus nullus vnquam fecit miraculum.

præ se ferat, id de mendacibus Dæmoniorum signis ac præstigiis, non autem de veris Dei miraculis intelligendum venit. Sic insuper interpretanda sunt exempla nonnulla, quæ ab antiquis historicis commemorantur, eorũ videlicet, hominum, qui cum hæreseωs essent suspecti; miracula tamẽ quædam edidisse probantur. Nam quicunq; fuerint illi, si vera miracula per eos Deus operatus est, certè nõ illi fuerunt hæretici, nimirùm in hæresibus retinendis, docendis, ac defendendis, pertinaces ac refractarij, quod hæreticorum est proprium; quamuis aliôqui potuerit accidere, citra culpam ipsorum, vt quædam fidei dogmata nondum à Patribus vel ab Ecclesia tum declarata, haud satis intelligerẽt, vel etiam penitus ignorarent. Aut profectò si prorsus constaret, aliquos eorum manifestos ac pertinaces hæreticos fuisse, non igitur pro veris Dei miraculis, sed pro Satanæ præstigiis habenda sunt eorum miranda & supernaturalia opera, quæ patrasse leguntur, aut falsam esse narrationem, dicendum est. Nihil enim absurdius cogitari potest, quàm quòd Deus, vt superiùs à nobis assertũ est; cùm sit fidelis & verax, nec mutetur, vt homo, Fidem, Veritatem, Doctrinam, Ecclesiam Catholicam, iam olim miraculis inchoatam, & cõfirmatam, deinceps miraculis nouis abolere atq; hæreseis plãtare & fouere voluerit. Atq; hic sensus Diuinæ sapientiæ, bonitati, iustitiæ, & scripturæ Sactæ, & vnanimi Sanctorum Patrum sententiæ, quàm optimè consonat. Quo insuper argumento luculenter deprehendimus, ac diiudicamus, quænam sint vera Dei miracula, quæ item mendacia Satanæ prodigia; qualia
2. Thess 2. fuerunt Simonis Magi, & olim Magorum Ægypti, quibus illu-
Exod. 7. sus & circumuentus Pharao, noluit iuxta mãdatum Dei filios Israël dimittere. Nam si finis miraculorum tendit ad fidei & Ecclesię Catholicę confirmationem, citra dubium, sunt opera Dei. Quòd si res aliter habet, vt nimirùm aduersùs Catholicam veritatem dirigantur, non vera Dei miracula, sed fallacia Diaboli signa probãtur. Cùm enim veritas & Ecclesia Catholica iam olim per Dei miracula semel approbata, constituta, & confirmata fuerit, satis superque præmuniti sumus, ne quid sub specie miraculi contra veritatem Catholicam, iam rece-

ptam

ptam & conſtabilitam deinceps admittamus. Vnde veritas & Eccleſia Catholica nobis proponitur, tanquã regula certiſsima, vel etiam vt lapis Lydius, ad quem ſigna & prodigia, quæ fiunt perinde, ſicut aurum, atteri & examinari debeant, quouſque, ſintne vera, an falſa ſigna, diiudicatum fuerit. Nam ſicut Deus, ſic etiam Eccleſia Dei, nec errat in his, cùm ſit columna & firmamentum veritatis. Ac proinde nobis Eccleſiæ ac veritati Catholicæ ſic adhæreſcendum eſt perpetuò, vt, licet nunc ipſi Apoſtoli, vel Angelus de cœlo prædicauerit aliud nobis Euangelium; præterquam accepimus, id Anathema iudicare debeamus. 1.Timoth.3. Galat.1.

TVBINGENSIS

89. *Nec ſolùm homines in Eccleſia, verumetiam extra illam; gentiles, qui vera Dei caruerunt agnitione, Miracula ſtupenda fecerunt. Quæ Liuius & alij fide digni hiſtorici, deſcripſêre.*

90. *Quin etiam Satan Deo permittente, & Antichriſtus, venturus ab Apoſtolo prædicitur, ſecundùm operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus &c.* 2.Theſſal.2.

CATHOLICVS

Sat multa in Præcedentibus dicta ſunt de mendacibus Satanæ, Pſeudoprophetarum & Antichriſti ſignis ac prodigiis, quæ cùm facilè cognoſcantur eſſe fallacia, quòd contra fidem & Eccleſiam Catholicam fiant, & plerunque ſint inutilia, vana, curioſa, quæ pernitiem potiùs, quàm vtilitatem adferant, (qualia fuerunt Simonis Magi, qui ſtatuas ambulantes, latrantes æreos canes; ſalire montes &c. oſtendebat) nihil impediunt, quò minùs vera Dei miracula, quibus, vt ait Auguſtinus, autoritas Eccleſiæ fuit inchoata, (tanquam certiſsima quædam Nota) veram Chriſti Eccleſiam perſpicuè nobis demonſtrent. Nec quicquam obſtat huic ſententiæ noſtræ, quòd refert aduerſarius apud Gentiles, nonnunquam mirabilia potiùs opera, quàm ſtupenda miracula contigiſſe. Nam licet illa non fuiſſent arte magica vel Satanica, ſed prouidentia Dei per eos facta, cùm tamen non acciderint in alicuius infidelitatis vel erroris vel ſuperſtitionis atteſtationem; ſed potiùs in teſtimonium, vnde gentiles aliquam veri Dei, ſicut & prouidentiæ diuinæ cognitionem haurire potuerint, atque vt adſueſcerent in periculis & calamitatibus ſuis, verũ Deum inuocare; mirum

Clemens libro 3. Recognitionum.

Auguſtinus cap.4. contra epiſt. Fundamenti.

obſecro, venit in mentem illi, quòd miracula Dei, Pontificia vocat,& recipere non vult,& per contemptum ad ſtatuas Sanctorum facta, calumniatur? Nónne grauiſsimam in omnipotentem Deum,qui facit mirabilia magna ſolus, blaſphemiam committit, dum miracula Dei contemnit? Nónne contumeliam intolerabilem infert Dei Sanctis, dũ eos irridet, per quos Deus ſtupēda miracula dignatur operari, ſicut his verbis ipſemet Chriſtus teſtatur? Signa eos, qui crediderint, hæc ſequentur:In nomine meo Dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis,ſerpẽtes tollent &c. & alibi:Maiora horum faciet. Verùm, hoc loco metuendum videtur, ne aduerſarius de ſtupēdis Dei miraculis id ſentiat,quod illi Phariſæi,qui dicebant:In Beelzebul principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia. Nam ſi candidè ſentiret,de hac Dei virtute,qua miracula fiunt,abſq; contẽptu, maiori circumſpectione, reuerentia & humilitate de miraculis Sanctorum fuiſſet locutus. Profectò non ſic, ſed longè candidiùs & humiliùs maiorique reuerentia Tertullianus, Cyprianus,Irenæus, & alij Eccleſiæ Doctores, paſsim de Sanctorum miraculis ſenſerunt & locuti ſunt; Certè Diuus Auguſtinus multa reuerenter & copioſè de miraculis illorum temporum per reliquias ſancti Stephani Protomartyris factis,ſcripta reliquit;ſicut & Seuerus Sulpitius,quando ad longum ſancti Martini vitam perſcripſit. Cùm igitur Deus Eccleſiam Romanam infinitis ac ſtupendis miraculis confirmârit, illuſtrârit, & amplificârit, adeoque hæc autoritas ipſa miraculis inchoata(tanquam certiſsima Nota)diuum Auguſtinum & alios Orthodoxos Patres in eadem Eccleſia meritò retinuerit, omnium ſanè calculis ac ſuffragiis euidenter ac neceſſariò cōuincitur, Romanam eſſe ac fuiſſe ſemper Catholicam ac veram Chriſti Eccleſiam. Porrò Scripturæ locus ex Deutero. citatus, nihil facit ad præſens inſtitutum de miraculis Sanctorum; Imò rectiſsimè retorquetur in ipſos aduerſarios. Pręcipit enim Dominus,vt caueantur Prophetæ ſomniatores,qualem fuiſſe Lutherum conſtat, præſertim quando ſcripſit aduersùs Miſſam, quam vocat,angularem.

Marc. vltimo. Ioan. 14. Luc. 11. Aug. lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8. Deut. 13. Lutherus Propheta ſomniator.

TVBINGENSIS Aſſert. 10. 92. *Catholicam eſſe & dici Chriſti Eccleſiam in terris militantem, nemo facilè*

facilè negabit. Sed quid nomine, Catholicon, veniat, priùs videndum. Significat autem vniuersalem; quòd videlicet Catholica Ecclesia talis sit hominum Cœtus, qui vniuersalem doctrinam Prophetarum & Apostolorum, de vera & æterna diuinitate Christi Filij Dei, vbicunque locorum versetur, sequitur. Et sic oppositum est Hæretico, vt Arrianis, & aliis quicunque aliam doctrinam, cum Prophetica & Apostolica pugnantem sequebantur & profitebantur.

93. *Quod facilè ex sacra Scriptura, aliisq; probatis autoribus confirmari potest. Sic enim Apostolus Catholicam describit Ecclesiam, hoc est, Vniuersalem. Non pudet me Euangelij, potentia siquidem Dei est ad salutem, omni credenti, Iudæo primùm simul et Græco. Et Petrus Apostolus: Christo omnes Prophetæ testimonium perhibent, remißionem peccatorum accipere per nomē eius, omnes, qui credunt in eum. Non est enim personarum respectus apud Deum, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Rom. 1. Actor. 10.

94. *Sic etiam lex Imperatorum habet, vt secundùm Apostolicam disciplinam, Euangelicamque doctrinam Patris & Filij & Spiritus sancti, vnam Deitatem, sub pari Maiestate, & sub pia Trinitate credentes, Catholicorum nomen amplectantur. Reliquos verò dementes, vesanosq; iudicantes, Hæretici dogmatis infamiam sustinere.* Codic. de Summa Trinit. & fide Catholica, 1. Cūctos populos.

CATHOLICVS

His tribus assertionibus aduersarius nobiscum & rectè fatetur, Ecclesiam Christi in terris militantem esse & dici Catholicam, & quamuis quid nomine Catholico intelligendum veniat, prolixè satis inquirat, non tamen integram ac plenam, sed imperfectam, mancam ac mutilam illius vocabuli significationem ac vim expresſit, & omninò truncatim præcipitauit. Idcircò necessum fuit hoc loco per ordinem aliquot illius vocis acceptiones Scripturis sacris & Ecclesiæ Patribus vsitatas, receptas & probatas enumerare; quò maior ac certior non vocabuli tantùm, sed multò magis ipsius rei cognitio poſsit haberi. Igitur καθολικὸν iuxta ἔτυμον, Latinè sonat vniuersale; quod nimirùm circa totum vel omnia versatur. Quo sensu scripsit Diuus Augustinus, Ecclesiam Christi vocari Catholicam, quòd palmites suos in omnia tempora, omnia loca, omnemque nationem hominum extendat. Ad quem etiam modum posteà Vincentius Lyrinensis: Hoc est, inquit, verè proprieque August. li. de vnit. Eccles. cont. Petil. Vincent. Lyrinens. li. cont. hæres. ca. 3.

rarum causę in Deo sunt Creatore. Ethica quoque, quoniã vita & honestas nõ aliunde formantur, quàm cùm ea, quę diligenda, quemadmodùm diligenda sunt, diliguntur, scilicet Deus & proximus. Logica demùm, quoniam veritas luméq; rationalis animę non est, nisi Deus. Deinde dicitur Ecclesia Catholica respectu prædicationis seu promulgationis eiusdem doctrinæ, quæ quidem pręedicatio, Catholica dicitur & vniuersalis, quòd nõ in vna mundi parte, sed per vniuersum terrarum orbem sit facta. Porrò nec Christus promisisset, se mansurum in Ecclesia vsq; ad consummationẽ sæculi, nisi præsentia & gratia sua; maximè cùm ipse sit Catholica veritas, eandem in Ecclesia sua ꝑpetuò cõseruare voluisset. Cùm igitur aduersariorum Ecclesiæ non semper fuerint, sed tùm ab initio, hoc est, ante 44. annos primùm esse ceperint, sicut aduersarius superiùs ꝓtestatus est, profectò tàm recentes illorum Ecclesiæ nõ possunt vllo pacto Catholicæ iudicari: Romana verò Ecclesia, cuius fides annunciata fuit in vniuerso mundo, cùm Apostolorum Petri & Pauli prædicatione fundata, nec non eorum, sicut & aliorum, qui eis successerunt, miraculis, exemplis ac martyriis cõsecrata ac dilatata semper (omnibus, inquã, sæculis) floruerit, & vsq; vigeat, meritò à Patribus Catholica semper pronunciata fuit. Deniq; Catholica dicitur Ecclesia Christi, ꝙ ad vniuersas nationes & oĩa loca pertineat, vnde dicitur in Apoc. Redemisti nos Deus in sanguine tuo, ex omni tribu, lingua, populo ac natione, & fecisti nos Deo nostro regnum. Ad quem modum Augustinus de Romã. loquitur Ecclesia: Hęc verò nostra Ecclesia, inquit, toto orbe est diffusa, & à Solis ortu vsq; ad occasum vnius fidei splẽdore diffunditur. Et alibi declarans illud Psalmi: A finibus terrę ad te clamaui, sic ait: Quis vnus homo clamat à finibus terræ? non clamat à finibus terræ, nisi hęreditas illa, de qua dictum est Filio: Postula à me &c. Christi corpus, vna Christi Ecclesia. Nec his quicquam obstat; quòd Ecclesia non mox, simulatque ab Apostolis fundata & Catholica nuncupata fuit, etiam actu per totum orbem sit diffusa, cùm illud deinceps ac paulatim esset futurum, dicente Propheta: Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, hoc est, à

Secundò dicitur Ecclesia Catholica ratione pdicationis vniuersalis.

Psalm. 18. Matth. vltimo.

Assert. 84.

Rom. 1.

Tertiò dicitur Ecclesia Catholica ratione nationum & locorum omnium.

Apocal. 5. Augus. ser. 131. & 181. de tẽpore.

Aug. super Psalm. 60.

Psalm. 71.

flumine Iordanis, vbi vox Patris intonuit super Christum: Hic est Filius meus dilectus &c. dominabitur. Inde ergo, vt ait Diuus Augustinus, Doctrina eius incepit, inde autoritas magisterij dilatata, inde regula Baptismi per totum mundum emanauit. Similiter cùm de nationibus, locis & hominibus loquimur, non singula generum, sed genera singulorum intelligimus secundùm Diui Augustini sententiam, qua hæc Prophetæ quoque verba sunt accipienda: Conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium. Verùm, ne hoc quidem modo potest cœtus Tubingensis, aut quæuis aduersariorum secta vocari Catholica, cùm, quæcunque sit illa, certis & angustis Germaniæ quibusdam angulis alligata, coarctata sit & conclusa.

Psalm. 21.

TVBINGENSIS 95. *Si igitur dicto modo Vincentij Lyrinensis descriptio, quæ ab aduersario hîc recitatur, intelligatur, nihil habet incommodi. Certissimum enim est & verissimum, doctrinam Propheticam & Apostolicam de Christo semper in Ecclesia Filij Dei sonuisse, eamq; omnes, quotquot vnquam saluati sunt, fide amplexos esse.*

CATHOLICVS Quisnã genuinus sit Vincentij Lyrinensis sensus, cuius facilè patet, qui vel obiter eius verba suprà memorata perpenderit. Nõ enim ille perplexis vel obscuris, sed perspicuis ac disertis verbis ait, hoc esse verè proprieque Catholicum, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Itaq; iuxta Lyrinensem, præter vniuersalem Prophetarum & Apostolorum doctrinam, ad constituendam Catholicæ fidei rationẽ, prædictę locorum, temporum, & hominum seu nationum circumstantiæ necessariò requiruntur, quas aduersarius euitare, sed frustrà nititur, cùm eas in cœtu suo minimè reperiat. Ex eadem Vincentij Lyrinensis descriptione luculenter quoque probatur, eos esse verè proprieque Catholicos, qui retinent ac profitentur ea fidei dogmata, quæ semper, vbique, & ab omnibus Christifidelibus credita seruataque fuerint, & vsq; creduntur. Vnde D. Augustinus postquàm Catholicos bonos, qui veram fidem ac bonos mores sequuntur, distinxisset à Catholicis malis, qui licet vera credant, flagitiosam tamen vitam agunt, tandem hæc verba subiungit: Qui autem aliquid eorum non credit,

Catholicũ quid.

Catholici qui verè dicendi.

Aug. li. 3. de quæstion. Euangelicarum, Quæst. 2.

credit, quæ ad fidei doctrinam pertinēt, dicitur infidelis & hæreticus; Infidelis quidem, quia fidem non habet; hæreticus, quia sectæ suæ assertor est & defensor, & phantasias suorum errorum pertinaciter præfert autoritati diuinæ. Qui nolit igitur infidelis aut hæreticus meritò censeri, sed potiùs desideret, esse verus Catholicus, diligenter ac seriò prædictas Lyrinensis & Diui Augustini sententias secum perpendat. Consideret etiam Apostolicam admonitionem, quæ plurimùm ad rem hanc facit: O Timothee, depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt &c. Hæc, quæ scripsit Apostolus Timotheo, Catholicis omnibus scripta dictaque sunt; vt nimirùm Catholicæ fidei preciosum depositum in medio furum, in medio latronum, in medio sectariorum & hæreticorum constituti, diligenter omniq; circumspectione custodiant; ac proinde meminerint, se non autores aut inuentores esse nouorum dogmatum, sed antiquæ Catholicæque fidei custodes à Deo constitutos. Depositum Catholicę veritatis, quod illis commissum & concreditum est, non mutare, non variare, non corrumpere vel deprauare, sed integrum, sed inuiolatum, sed incorruptum bona fide custodire iubentur, deuitantes interim, non dixit Apostolus, antiquitates aut vetustates, sed profanas vocum nouitates. Quòd si nouitates profanæ sunt, ac vitari debent, profectò venerandæ & retinendæ sunt Catholicæ pietatis antiquitates. Aliôqui per profanas vocum nouitates imprudētes impingent in oppositiones falsi nominis scientiæ, qualis inuenitur apud hæreticos, qui suam ignorantiam nomine scientiæ, ac vocum nouitatibus; & caliginem seu tenebras, appellationibus, titulis ac fucis Euangelici luminis, velare consueuerunt. Quos, qui non vitant, iuxta frequentes Apostolorum admonitiones, circa fidem (quod iam passim accidit) excidere ac naufragari solent. Porrò nec dissimulādum est, quod ait aduersarius, doctrinam Propheticam & Apostolicam de Christo semper in Ecclesia Filij Dei sonuisse &c. Si verum est hoc, sicut est verissimum; ergo suprà falsum dixit, Ecclesiam non semper fuisse secutam Verbi

Infidelis quis. Hæreticus quis.

1. Timoth. 6.

1. Corinth. 5. 2. Ioan. 1.

Assert. 12.

eorum Doctrina nec sit vna, nec vniformis, sibique consentiens, sed multiplex, varia, sibi repugnans & contradictoria, nec diu stabilis, aut in eodem statu permanens; sed, vt in humanis opinionibus accidit, subinde mutetur ac nouã induat formam, nec apud omnes nationes & populos per orbem terrarum vigeat, sed in quibusdam tantùm angulis ad modicum appareat, quomodò Catholica, & non potiùs angularis, & (sicut hoc tempore sonant ipsorum nomina) Lutherana, Zuingliana, Osiandrina, Melanchthoniana, Illyricana, seu Flacciana, aut Caluiniana, nuncupatur, vt cæterarum hæresium, quæ propemodùm sunt infinitæ, tot monstrosæ nouitates omittantur? Verùm si aduersario lubet iocari, (licet absurdus sit ille iocus, vt dicantur Catholici, peccatores, Idololatræ, raptores, fures, homicidæ, adulteri, impostores aliique scelesti) nouerit interim Catholicos tales in ipsorum conuenticulis sub Euangelio nouo plures fortè, quàm in Ecclesia Romana reperiri, quòd ipsorum Magistri, vel experientia conuicti, minimè negant, cùm plurimùm doleant, tam infortunatum ac sinistrum Euangelij noui successum deplorantes. Certè Lutherus aliorum Dux & Princeps, acerbè scribit aduersus deprauatos Euangelicorum suorum mores, quos sub eius Euangelio non solùm peiores esse concedit, quàm antea, sub regno, sicut ipse vocat, Roman. Pont. fuissent, sed etiam ipsis Sodomitis decies corruptiores euasisse grauiter conqueritur. Et rursus ait alibi, suos non minùs quàm Papistas insulsos esse. Adeò rem necessariam, (inquit) putant libertatem à traditionibus Papę, vt nisi eas omnes statim violent atque aboleant, timeant se peccare. Ad eundem modum, nouorum Euangelicorum mores perstringit Melanchthon. Loquitur, inquit, res ipsa, in his regionibus omne ferè studium conniuiorum apparatibus, & ebrietati, & immanibus illis poculis impendi. Quare manifestum est nunc à Deo variis modis puniri, vt incendiis, bellis & conuulsionibus & confusionibus Regiminum seu Politiarũ, plusquam beluinam illam ventris ingluuiem & helluandi perpotandique consuetudinem. Prætereà quoties videtis temulentos homines vltrò ruere in suas clades, & sæpe cruento ferro

Lutherus in Dominica prima Aduentus.

Idem in cap 6. ad Galat.

Melanchthon in cap. 6. Matthæi.

inter seipsos concurrere, imò & cędibus mutuis grassari? Quomodò potest laxior annona sperari, in tantis profusionibus, helluationibus, pomparum conuiuiorumq; apparationibus? Hæc ille, hisq; scribit plura, quibus affirmat Euangelicos suos homines esse Homerico Gryllo similes, qui à Circe in porcum mutatus, hominis recipere formam recusauit. Adeò delectantur, ait, immunditia, sordibus, & illuuie, vt in morem suis lutulenti, quaslibet res, panem, carnes, cereuisiam, & id genus alia corrumpere & contaminare soleant. Et iterum: Ea barbaries est in populo, vt plerisque persuasum sit, se, si vnum diem ieiunent, noctem continuò sequentem non posse viuere. Huic Magistrorum suorum sentētiæ Schmidelinus libenter accedit ac subscribit, quando fructū Euangelij sui verbis istis, copiosè declarat: Altera, inquit, pars & turba Germanorum suum quidē locum verbo Dei, vt prædicetur, tribuit; nulla verò interim sentitur in illis morum emendatio, sed horrenda, Epicuræa, & animalis seu ferina eorū vita cernitur, in cōmessationibus, cōpotationibus, cupiditatib9, pompis & diuini nominis profanationibus, siue blasphemiis. Qua in parte volunt æquè liberè & impunè peccare, sicut Papistę in sua idololatria. Mādat seriò Deus, in verbo suo, & à suis Christianis requirit seriam & Christianam disciplinam. Hæc ipsa verò apud istos, nouus Papatus, nouusque Monachismus existimatur. Sic enim inquiunt: Didicimus modò per solam fidē in Christo saluari, qui sua morte pro peccatis nostris omnibus satisfecit; nos vero satisfacere non possumus nostris ieiuniis, eleemosynis, precationibus ac aliis operibus. Quamobrem sine & permitte, vt huiusmodi opera missa faciamus, cùm per Christum aliòquin saluari possimus, & solùm gratia Dei Christique meritis nitamur. Atque vt totus mundus agnoscat eos, non esse Papistas, nec bonis operibus quicquam fidere, illorum etiam operum, nullum exercent penitus. Ieiunij loco, commessationibus & perpotationibus nocte dieque vacant, vbi pauperibus benè facere oportebat, eos deglubunt & excoriant, precationes vertunt in iuramenta, blasphemias & diuini nominis execrationes, idque tam perditè, vt Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodiè tantoperè

Schmidelinus cōcione 4. in Christi verba Luc. 21.

tantoperè blaſphemetur. Demùm pro humilitate regnat paſſim apud illos ſuperbia, faſtus, elatio, luxuria veſtium, quæ aut ſumptuoſiſsimè aut etiam ſtultiſsimè ſunt elaboratę. Atq; hoc vniuerſum vitæ genus ab illis Euãgelicum dicitur inſtitutum. Interim ſibi perſuadent homines miſerrimi, ſe rectam veramque in Deum fidem in animis ſuis retinere, & ſibi propitium eſſe Deum: imò etiam ſe probiores impiis & Pſeudoapoſtolicis Papiſtis iudicant. Videat igitur nunc aduerſarius qualis apud Lutheranos ipſius Lutheri, Melanchthonis ac Schmidelini teſtimoniis Catholiciſmus eſſe probetur, ac definat Eccleſiam Romanam in hac parte deinceps calumniari &c.

TVBINGENSIS

97. *Catholicon igitur, non tam ad id, quod vniuerſaliter, ſemper, vbiq; & ab omnibus creditur & obſeruatur, in diſputatione de Eccleſia Chriſti in terris, quàm ad id, quod piè, rectè, ſanctè, & iuſtè, hoc eſt, ſecundùm Doctrinam Propheticam & Apoſtolicam creditur & obſeruatur, referendum eſt. In Sacris enim non multitudo, conſenſus populorum, temporis diuturnitas, & cõſuetudo locum habent, ſed verum & rectum (vt Pſaltes canit) ſiue iam pauci, ſiue multi amplectantur. Sicut & olim in gente Iſraëlitica minima pars hominum rectè de vera religione ſenſit, maiorque pars eorum veræ Eccleſiæ membra eſt perſequuta. Et electi hodiè, numero, reprobatis & impiis, etiam quò ad profeſſionem, ſunt pauciores, & ſic rectè conuenit veræ Chriſti Eccleſiæ; quòd ſemper eandem veram verbi Dei doctrinam retineat omnibus temporibus, & locis, vbicunque toto terrarum orbe eſt diſperſa, nec certis temporum, locorum vel hominum circumſtantiis ſit alligata.*

CATHOLICVS

Hæc aſſertio cùm ex falſo procedat fundamento, non poteſt non eſſe falſiſsima iuxta leges Philoſophorum. Nam ex eo, quòd aſſertione præcedenti Catholicũ peccatoribus, idololatris, furibus, raptoribus, adulteris, & id genus aliis ſceleratis hominibus competere ſatis inſulsè & abſurdè dixerat, nunc infert; Catholicon igitur non ad id, quod vniuerſaliter, ſemper, vbiq;, & ab omnibus creditur & obſeruatur, referendum eſſe &c. Notet pius lector, quibus & quantis abſurdis aduerſarius hoc loco ſe ſuoſque diſcipulos implicauerit, ex quibus profectò ſeſe nunquam extricare poterunt. Primùm enim fingit abſurdiſsimam vocabuli (Catholicon) acceptionẽ, qualis nunquam ab orbe condito fuit audita, ſicut nec apud vllum

Aduerſarius malè concludit.

Abſurdum 1.

Eccleſiæ

Ecclesiæ Doctorem reperta. Quis enim eò dementiæ deuenit, vel adeo crassè cæcutiuit aliquando, vel delirauit, vt fures, raptores, adulteros (propter hæc videlicet peccata quæ passim committuntur) Catholicos vocari dixerit? Et tamen hoc est aduersarij principale fundamentum, quo totam hanc suam disputationem ille sustentat. Sed facessat hinc insulsum hominis somnium tanquam indignum, de quo plura fiant inutiliter verba. Quę sint verę propriæque Catholici significationes, ex Scripturis sacris, & Patribus Ecclesiæ, præcedenti responsione recensuimus, nec attinet hîc repetere. Verùm nónne grauissimum quoque censendum est absurdum, quod secundo

Absurdum 2. loco committit aduersarius, dum vocem, Catholicon, ab vsitata, recepta & genuina significatione sua detorquet & aduersùs manifestum Scripturæ atque Patrum omnium Orthodoxorum, nedum solius Vincentij Lyrinensis, sententiam asserit, Catholicon non tam ad id, quod vniuersaliter, semper, vbiq;, & ab omnibus creditur & obseruatur &c. referendum esse. Ac mirum videtur, quòd hoc loco nec vsui probato nec euidenti rationi, nec tantæ patrum autoritati pro sua, si qua valet, mo-

Absurdum 3. aduersarij. destia cesserit. Porro nónne manifestum absurdum in eo committit (licet apud imperitos & vulgares homines quãdam veri speciem præ se ferre videatur) quod ait ad id potiùs referendum esse Catholicon, quod piè, rectè, sanctè & iustè, hoc est, secundùm Doctrinam Propheticam & Apostolicam, creditur & obseruatur? Nos quidē hæc omnia minimè reiicimus, imò profitemur ad veram nominis Catholici rationem necessariò pertinere, quę modò dixit aduersarius? Veruntamen, si sic nudè proponatur, (vt ab eo proponuntur) absque debitis ac necessariis, locorum, temporum atque nationum seu hominum circumstantiis, nimis hæc generalis est descriptio, nec euidenter, sicut oportet, quænam sit fides, vel Ecclesia, vel religio Catholica, nobis demonstrat. Nam quemadmodùm aduersarius hanc generalem Catholici nominis descriptionem pro sua quidem, qua pollet, autoritate, Tubingensi cætui vendicabit, & tanquam propriam adiudicabit, nónne idem & eâdē prorsus autoritate facient, Caluinistę, Pickardi, Anabaptistę, Sacramentarij

mentarij & Schwermeri? Nónne quilibet eorum certatim cōtendet & clamabit, apud se, suosque, Catholicam esse fidem, quandoquidem habeant ea (scilicet) dogmata, quæ piè rectè, sanctè & iustè, hoc est, secundùm doctrinam Propheticam & Apostolicam creduntur & obseruantur? Et si volet aduersarius eos erroris damnare, qua potestate fecerit id aduersarius, eâdem ab eis ipse damnabitur; nec quicquam ipse præ cæteris habet, quo non illi possint æquè, atque ipse, gloriari & abuti. Verùm quando cum Orthodoxis Patribus ad id, quod, piè, rectè, sanctè & iustè, hoc est, secundùm doctrinam Propheticam & Apostolicam &c. etiam necessarias istas circumstantias addimus, videlicet; quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum & obseruatum est; iam omnes Sectarij caussa, velint nolint, cadunt, nec quisquàm Sectarius sibi suisq; poterit ampliùs Catholicon vsurpare, quod tamen hoc modo & euidenter quidem in sancta, Rom. Ecclesia cônstat reperiri. Sed quid obsecro, venit in mentem aduersario, quòd in sacris non multitudinem, non consensum populorum, non temporis diuturnitatem, nec consuetudinem habere locum astruit? Nónne his verbis oppugnat ipsum Catholici nomen, quod cùm sit vniuersale, ratione locorum, temporum, nationum atque hominum, non potest non ad multitudinem pertinere? Neq; enim hîc agitur de secreta & inuisibili electorum, sed de visibili ac Catholica Ecclesia, quæ bonos & malos complectitur. Nam quatenus Regnū cœlorum nūcupatur, habet tàm fatuas, quàm prudentes virgines: Quatenus Sagena missa in mare nominatur, bonos & malos habet pisces: quatenus appellatur Area dominica, sunt in ea paleæ granis mixtæ: Quæ omnia profectò multitudinem denotant. Quòd si de pijs Dei fidelibus, omninò sit agendum, nec desunt manifesta Scripturę sacrę loca, quibus multitudo conuincitur atque probatur. Hinc enim dicebat Propheta: A solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen Domini. Hinc postquàm Ioannes ex singulis tribubus 12. millia signatorum recēsuisset, ait; posthæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus, & populis, & linguis, stantęs ante Thronum, &c. Hinc

Quartum absurdum Aduersarij.

Multitudo credētium probatur.

Matth. 25.
Matth. 13. 3.

August. Tom. 9. in Euangel. Ioannis Tract. 6.

Psal. 112.

Apocal. 7.

amplitudo Ecclesiæ, & credentium multitudo passim tàm Apostolicis, quàm Propheticis Scripturis cõmendatur. Verùm quis hîc non admiretur ac stupeat ingenium aduersarij, cùm dicat consensum populorum in sacris locum nõ habere? Certum est vnitatem & cõsensionem populorum esse verissimam Ecclesiæ Notam, vt suprà demõstratum est. Certum est Deum, non dissensionis, sed pacis esse Deum. Certum est, Christum oues congregasse, non dispersisse, vt vnum ouile sit & vnus Pa-
Ioan. 10. stor. Certum est per consensionem populorum & gentium. D. Augustinum in Ecclesia Romana retentum fuisse. Certum est
Ioan. 14. 20. Christum Dominum discipulis suis pacem frequenter dedisse, ac supra modum cõmendasse. Certum est Ecclesiam Dei, sicut ipsius Ecclesiæ vox sonat, esse congregationem & consensionem, nõ autem dissipationem fidelium. Certum est, illud charitatis & consensionis vinculum à Christo datum, pronuntiatum & confirmatum esse, tanquàm certissimum signum, quo verè possint ac debeât ipsius discipuli cognosci, dum ait: In hoc
Ioan. 13. Assert. 78. sçient omnes, quòd mei estis discipuli, si vos dilexeritis inuicẽ. Quod cùm non ignoret aduersarius, sed insuper superiùs tra-
Ioan. 17. ctans de vnitate produxerit hæc Christi verba: Sanctifica eos in
Aduersarij contradictio. veritate, sermo tuus veritas est, vt in te vnum sint, certè iam sibi contradicit, quando cõsensum populorum asserit in sacris lo-
Deuter. 32. cum non habere. Et si diuturnitas temporis in sacris locũ non habet, cur ait Propheta: Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga patrem tuum, & annunciabit
Hierem. 6. tibi, maiores tuos & dicent tibi? Cur alius Propheta Dei mandato fidelibus ita pręcepit: State super vias, & videte, & interro-
Esaiæ 40. gate de semitis antiquis, quæ sit via bona & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris? Cur iterum ait alius:
1. Pet. 1. Verbum Domini manet in ęternum? Cur ipse Christus promi-
Matth. vlt. sit se mansurum in Ecclesia ad consummationem vsq; sæculi?
Daniel. 7. Mich. 1. Cur, quod alius deniq; Propheta vaticinatus est, nos in Sym-
4. Esa. 9. Luc. 1. bolo fidei profitemur; Et regni eius nõ erit finis? Aliter & lõgè
Lib. contra hæres. suprà citato. rectiùs, quàm aduersarius, sapuit olim & scripsit Vincẽtius Ly-
Catholicum, quid propriè dicatur. rinensis, dum ait: Hoc est etenim verè proprieq; Catholicum, quod ipsa vis nominis ratioq; declarat, quę omnia verè vniuer-

saliter

ſaliter comprehendit. Sed hoc ita demùm fit, ſi ſequamur, vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequemur autē vniuerſitatem hoc modo, ſi hāc vnam fidem, veram eſſe fateamur; quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia. Antiquitatem verò ita, Si ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos maiores & patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt. Conſenſionem quoq; itidē, ſi in ipſa vetuſtate omnium vel certè penè omnium ſacerdotum pariter & magiſtrorū definitiones ſententiasq; ſectemur. Ac ſi temporis diuturnitas in ſacris locū non habet, quomodò tuebimur Apoſtolicas traditiones, de quibus Irenæus ſic ait? Quid aūt, ſi neq; Apoſtoli quidē Scripturas reliquiſſent nobis, nónne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus cōmittebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiunt multę gentes Barbarorum, eorum, qui in Chriſtum credunt, ſine charactere vel atramento ſcriptā habentes per Spiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterē traditionē diligenter cuſtodientes &c. Ad quem modum de traditionibus quoq; ſcripſit D. Hieronymus: In Symbolo fidei ac ſpei noſtræ, ait; quod ab Apoſtolis traditum, non ſcribitur in charta & atramēto, ſed in tabulis cordis carnalibus &c. Et quid abſurdius, quàm quòd aduerſarius à ſacris etiam conſuetudinem, proculdubiò, probatam, reijcit? Et quamuis non ſit inſtituti vel loci ac temporis huius ex profeſſo de traditionibus ac conſuetudine tractare; audiat ille tamen Auguſtinum ſic ad Ianuarium ſcribentem: Ad quamcunq; Eccleſiam veneris, eius mores ſerua. Idem: In his rebus (ait) de quib⁹ nil certi ſtatuit diuina Scriptura, mos populi Dei & inſtituta maiorū pro lege tenenda ſunt; & ſicut præuaricatores diuinarū legum, ita cōtemptores Eccleſiaſticarū conſuetudinum coërcendi ſunt: Audiat Tertullianū ita loquentē: Harum & aliarum huiuſmodi diſciplinarū, ſi legem expoſtulas Scripturarū, nullam inuenies; Traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo cōfirmatrix, & fides obſeruatrix, rationē traditioni, conſuetudini, fidei, patrocinaturā aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo, qui perſpexerit, diſces. Et idem Tertullianus ait: Conſuetudo etiā in ciuilibus rebus pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex, nec differt, Scriptura an ratione

[Margin notes: Vniuerſitas. — Antiquitas. — Conſenſio. — Iren lib. 3. ca. 4. Traditiones probantur. — Hieron. ad Pammachium epiſt. 61 — Conſuetudines probantur. — Auguſt. epiſt. 118. — Auguſt. in epi. 86. ad Caſulanū preſbyt. diſtinc. 11. ca. In his. — Tertul de Corona militis. — Tertull. ibidem.]

consistat, quando & legem ratio commendat. Audiat denique D. Hieronymum in hæc verba scribentem: Multa alia, quæ per traditionem in Ecclesijs obseruantur, autoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt, multaque alia, quæ scripta non sunt, rationabilis sibi obseruatio vendicauit, &c. Verùm hæc Patrum testimonia, de veris, receptis & approbatis Ecclesiæ traditionibus & consuetudinibus, non autem de malis malorum hominum abusibus manifestè cum verbo Dei pugnantibus intelligenda sunt. Vnde perperàm aduersarius verum & rectum à multitudine, à consensu populorum, à diuturnitate temporis, & à consuetudine separauit; cùm verum & rectum in his, quatenus nobis Ecclesiam seu doctrinam Catholicam probant & commendant, necessariò reperiantur. Similiter nec legitimè citauit exemplum Israëliticæ gentis: cuius maximam partem de vero Dei cultu rectè sensisse constat, licet aliquando multi ad idololatriæ vitium relaberentur: ipsa Scriptura sacra testimonium perhibente: Notus enim in Iudæa Deus, & in Israël magnum nomen eius. Sic etiam iam olim fuit, & nunc est Ecclesia Christi per totum quasi orbem terrarum adeò diffusa, vt in Turcarum & Principum Ethnicorum vel Schismaticorum Regnis, magni sint Patriarchę, qui nostris temporibus Ecclesię Romanæ subscripserunt, noua Lutheranorum dogmata meritò reprobantes.

Contra Luciferianos.

TVBINGENSIS 98. *Hanc verò Notam nulli alij, quam soli Ecclesiæ Rom. competere asserit IESVITA, D. Pauli testimonio, quòd fides illius prædicata sit in vniuerso mundo, similiter & Patrum, Cypriani, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Gratiani quoq; Imperatoris sententijs, qui hoc illi perhibuerint testimonium, quòd Catholicam tunc tenuerit fidem. Atque ita ad Roman. Pontificem eiusq; successores Episcopos alligatam, vt quicquid hi statuerint, agnoscendum sit pro decreto diuino; qui verò hos non agnoscat, non esse verum Ecclesiæ membrum, sed extra illam, hæreticum.*

99. *Quod ad Paulum, & Patres, vera esse non negamus, quæ tùm perhibuerunt illi testimonia. Et nihil aliud ad ea respondemus, quàm quod Virgilius ciuis olim ipsorũ, de Troianis cecinit: Fuimus Troës, fuit Ilium & ingens gloria Teucrorum, Sed iam, vt idem, quantùm mutatus ab illo Hectore, qui redijt exuuias indutus Achillis? Sic & de sua Roma, quæ quondam*

 capuт

caput orbis erat, Romanos rerum Dominos, gentemq́ togatam. Talis iam, vt non agnoscitur, ita nec est. Hanc igitur fidem, hanc doctrinam, & religionem petimus nobis dari, quam illis temporibus Ecclesia habuit Romana, & agnoscemus, amplectemur, sequemur.

His duabus assertionibus, Aduersarius partim concedit esse verum, quod iuxta piam ac verissimam D. Pauli, sanctorum Patrum, Cypriani, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Gratiani Imperat. & aliorum sententiam defendimus; hanc nimirùm Catholici Notam, soli Ecclesiæ Rom. competere (in quo certè non exiguam laudem meretur) partim ex Virgilio, Epistolam S. Pauli ad Rom. interpretatur, vt hinc cõcludat, Ecclesiam Romanam non eandem esse, quæ fuerit olim, nec fidem ac doctrinam primitiuam nunc retinere. Quam quidem, si probetur habere, vult eam agnoscere, amplecti, sequi. Quod igitur spectat ad hoc institutum, meminit pius Lector, nos in cõfutatione præcedentis cuiusdam assertionis, (vbi prorsus idem obijciens, astruebat, in Ecclesia Romana temporibus Apostolorum viguisse quidem doctrinam Apostolicam, sed eam posteà degenerasse à pijs suis maioribus) diligenter & ex professo diluisse, tàm falsam & pernitiosam eius obiectionem, & euidẽter ac perspicuè vel ad oculum demonstrasse, Fidem, Doctrinam, & Religionem Ecclesiæ Romanæ, nũquam, ne in minimo quidem articulo variatam aut mutatam esse, sed à temporibus Apostolicis, deinceps omnibus sæculis, in hæc vsq; tempora nostra, semper eandem, stabilem, firmam, constantem, integram & prorsus inuariatam mansisse. Quod exempli gratia de Sacrosancto Missæ sacrificio, citatis probatissimis S. Patrum testimonijs, à nobis abundè confirmatum est: ac de cæteris etiam fidei dogmatibus euidenter demonstrari posset, nisi certũ esset periculum ne tanta materiarum ac rerum prolixitas & multitudo, consuetum ac debitum Apologiæ modum excederet. Verùm nihilominùs operæpreciũ fuerit huc adscribere quasdam D. Augustini sententias, quibus ille prædictum aduersarij errorem, egregiè confutat, & Ecclesiam Catholicam nunquam defecisse sed nec aliquando defecturam esse euidenter ad hunc modum conuincit: Sed illa Ecclesia (loquitur in per-

CATHOLICVS

Assert. 11.

August. Tom. 8. in Psal. 101. Conc. 2

sona hæreticorum quæ fuit omnium gentium iam non est;pe-
Ecclesiam periisse dicunt, qui in Ecclesia non sunt. rijt. Hoc dicunt qui in illa non sunt. O impudentem vocem.
Illa non est,quia tu in illa non es? Vide,ne tu ideo non sis. Hanc
vocem abominabilem & detestabilem præsumptionis & fal-
Psal. 101. sitatis plenam,nulla veritate suffultam, nulla sapientia illuminatam,nullo sale conditam, vanam, temerariam,præcipitem,
pernitiosam præuidit Spiritus Dei, & tanquàm contra illos,
cùm annunciaret vnitatem:In conueniendo populos in vnum
& regna, vt seruiant Domino. Et paulò pòst. Quoniam quidem dicturi erant contrà, fuit (scilicet Ecclesia Catholica) &
Ibidem. non est. Exiguitatem, inquit, dierum meorum annuncia mihi. Quid est, quòd nescio quî, recedentes à me, murmurant
contra me? Quid est quòd perditi me periisse cōtendunt? Certè enim hoc dicunt, quia fui, & non sum: annuncia mihi exiguitatem dierum meorum. Non à te quæro illos dies æternos, illi sine fine sunt, vbi ero: non ipsos quæro, temporales
quæro, temporales dies mihi annuncia. Quamdiù ero in isto
Hæreticorum vox est,apostatasse & periisse Ecclesiã. sæculo,annuncia mihi,propter illos qui dicunt,fuit, & iam nō
est,propter illos qui dicūt,implete sunt Scripturę,crediderunt
omnes gentes; sed apostatauit, & perijt Ecclesia de omnibus
Matth. 28. gentibus? Respondetur post pauca. Ecce ego vobiscum sum
vsq; in consummationem sæculi.Sed hîc existunt & dicunt,vobiscum sum, inquit, vsque in consummationem sæculi, quia
nos præuidebat, quia pars Donati (pars Lutheri) erat in terra.
Nunquid ipsa est,quæ dixit; Exiguitatem dierum meorum annuncia mihi, ac non illa potiùs quæ superiùs loquebatur: In
Psal. 101. Imperatores cōtra hæreticos leges proponunt. conueniendo populos in vnum & regna vt seruiant Domino?
Vnde vobis cor dolet? Quia & Imperatores contra Hæreticos leges proponūt:ibi impletum est, & regna vt seruiant Do-
August. Tom. 2. epist. 48 ad Vincētium, post medið. mino,&c. Ipsa est,quæ aliquando obscuratur & tanquàm obnubilatur multitudine scandalorum, quando peccatores (hæ-
Nō perit Ecclesia, quàuis aliquando scandalis obscuretur. retici) intendunt arcum, vt sagittent in obscuro rectos corde.
Sed etiam tunc in suis firmissimis eminet.

Aug. Tom. 8. Psal. 47. Vide Tom. 9. de Symb. li. 1. c. 5. Non insultent Hæretici per partes concisi, non se extollant, qui dicunt: Ecce hic est Christus, Ecce illic. Qui dicit,
Hæretici p partes concisi. Matt. 24. ecce hîc est, ecce illic, ad partes inducit. Vnitatem promisit

Deus,

Deus, reges in vnum collecti sunt, non per Schismata dissipati sunt. Sed fortè ista ciuitas quæ mundum tenuit, aliquando euertetur? Absit. Deus fundauit eam in æternum. Si ergo eam Deus fundauit in æternum, quid times ne cadat firmamentum. Psal. 47. Firmamentū Ecclesiæ non est casurum.

100. *Sed rectè monet sanctus Hilarius, inquiens: Vnum moneo, cauete Antichristum, Malè enim vos parietum amor cœpit. Malè Ecclesiam Dei in tectis ædificijsq́ veneramini, malè sub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est in his Antichristum esse sessurum? Montes mihi & Syluæ, et lacus, & carceres, & voragines sunt tutiores: in his enim Prophetæ, aut manentes aut demersi, Dei Spiritu prophetabant.* TVBINGENSIS Hilarius lib. cōtra Arianos vel Auxent. in fine.

Nihil contra præsens institutum facit, prædicta Diui Hilarij sententia, per quam ille declarat Antichristum in materiali templo, sessurum esse. Protulit enim Hilarius eam sententiam aduersùs Auxentium Episcopum Arianum Mediolanensem, qui per Ariani Principis fauorem, eam Ecclesiam obtinuerat, & Hilarium excommunicauerat. Quamobrem Hilarius admonet & cohortatur cæteros Episcopos Catholicos, ne propterea communicarent cum Episcopo Ariano, quòd Mediolanensem Ecclesiam occuparet, sed potiùs, vt eum haberent pro Antichristo, qui sessurus est in loco Sancto, quemadmodùm Auxentius Antichristi membrum tunc in Episcopatu Mediolanensi sedebat. Sed quid hæc contra veram & Catholicam Christi Ecclesiam faciunt? Nam Ecclesia Christi vera, nec parietibus, nec tectis, nec ædificijs materialibus, sed lapidibus viuis super Apostolorum ac Prophetarum fundamentum ædificatis constat. Neq; tamen hæc idcircò cōtemnenda sunt, cùm ex sacris vtriusq; Testamēti Scripturis ad sacrum Dei cultum salubriter ac diligenter exequendum necessaria probentur. Et si negat hoc aduersarius, cur ipse suique complices templis materialibus vtuntur? Cur parietes & tecta quęrunt? Cur templa Catholicorum vel rapiunt, vel saltem per nephas occupare student? Cur quibusdā in locis templa noua moliuntur ędificare? Sin verò minimè negat, Cur igitur aduersùs templa Catholicorum malè citat Hilarij sententiā? Cur in Catholicis reprehendit, quod ipse facit, vel facere certè desiderat? CATHOLICVS Aduersarius dilēmate cōuincitur.

101. *Quod*

TVBINGENSIS 101. *Quod ad nos nostramq́ doctrinam, quærit IESVITA, num affirmare poßimus, quòd paßim per totum terrarum orbem prædicetur. Et si optima non semper pluribus placeant, & sæpè ad ingentem paucitatem redigatur verè credentium cœtus, sicut temporibus Noë, Abrahæ, Aduetus Christi in carnem, & præsertim circa nouißima tempora, de quibus Saluator; Putas, Filius hominis veniens, inueniet fidem in terris? Et de tenebris horrendis in Ecclesia illius temporis: Nisi abbreuiarentur dies illi, non salua foret omnis caro, Vt circa mundi finem & extrema illius tempora, in quæ nos deuenimus, misera sit futura Ecclesiæ species, et ingens verè credentium paucitas. Quæ etiam iuxta magnificas illas promißiones, necessariò sunt consideranda, ne Ecclesia fingatur politia Platonica.*

CATHOLICVS Dum agitur de Catholica, hoc est, vniuersali Christi Ecclesia, ne cogatur aduersarius, suum, & alios sectariorum cœtus cum pudore vel ignominia tanquàm angulares (quales re ipsa tamen sunt) agnoscere, paucitatem, scilicet, rectè sentientium iterum, sicut aliàs sæpiùs, commendat & inculcat. Quo responso videtur imitari suos maiores, hoc est, Donatistas & alios Sectarios, qui semper conati sunt, Ecclesiam Christi & religionem veram, ad vnam mundi partem, vel ad quosdam angulos, & ad credentium paucitatem redigere. Quod exemplis Noë, Abrahę, & Aduentus Christi in carnem existimat ille satis probatum iri. Et quamuis hæc exempla nihil aduersùs præsens institutum concludant, quò minùs Ecclesia Christi sit & prædicetur, non paucorum hominum, non particularis, non angularis, sed vniuersalis & Catholica, quæ plurimos fideles complectatur (licet ab initio mundi pauciores fideles extiterint) malè tamen Aduersarius citat & applicat exempla prædicta. Nam tempore Noë seu diluuij, cùm octo tantùm essent animæ, fideles omnes fuerunt, excepto solo Cham, qui tandem maledictus ac reprobatus legitur. Temporibus Abrahæ recens erat idololatria, teste Epiphanio, vnde nec est verisimile, tunc omnes idololatras fuisse. Cùm autem Christus venit in carnem, Hebræi fideles dispersi fuerunt per totum ferè mūdum. Vnde multi quoque gentiles veniebant in Hierusalem, vt illic adorarent. Et vnus Centurio, qui Iudæis Synagogam extruxerat, auxilium à Christo postulauit; alius Centurio post exaudi-

Aduersarius paucitatem fidel'um frequēter sed perperàm vrget.

Aduersarius imitatur Donatistas.

Exēpla citata regeruntur in Aduersarium.

Ioan. 12.
Lucæ 7.

exauditas, eius orationes, meruit à D. Petro doceri ac baptizari; sic Eunuchus vir Æthiops Candacis Reginæ Æthiopum ex vltimis terræ finibus venerat adorare in Hierusalem, & reuertebatur sedens super currum suum, legensq; Esaiam Prophetam &c. Vnde colligitur eum non exiguam Dei cognitionem habuisse, & post acceptum sacrum Baptisma Christi fidem passim diuulgasse. Sic in Pentecoste memorantur in Hierusalem fuisse viri religiosi ex omni natione. Sic Christus mandauit Apostolis, vt euntes in mundum vniuersum docerent omnes gentes & prędicarent Euangelium omni creaturę, non vt pauci, sed vt multi credentes seruarentur. Sic frequenter credentium non paucitatem, sed multitudinem Scriptura sacra commendat. Cur igitur aduersarius Christi patrimonium & hæreditatem ita deprimit? Cur amplitudinē & latitudinem Ecclesiæ sic extenuat? Cur ipse derogare ac detrahere nititur Filio Dei, quod Pater cœlestis benignissimè donauit? Cur calcitrat contra stimulum cum graui periculo suo, dum nititur è manibus Christi rapere, quod ei donauit pater? Putátne tot excellentes promissiones Christo factas, tanquam ociosas aut falsas euanuisse? Nam si Cætus verè credētium redactus est ad ingentem paucitatem, quorsum Abrahę facta est hęc promissio? Benedicentur in semine tuo omnes gētes, nisi, quòd per Christum (Abrahæ semen) in omnes gentes, salutis gratia, diffundi deberet? Quorsum per Psaltem Pater Filio sic promisit: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ? Quorsum exclamat Esaias? Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes? Et iterum: Suges lac gentiū & mammilla Regum lactaberis? Quorsum ait ipse Dominus. Oportebat prædicari, in nomine Christi pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes? Et alibi: Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria & vsq; ad vltimum terræ? Quorsum Apostolus Paulus ab Hierusalem per circuitum vsq; ad Illyricum repleuit Euangelium Christi? Nec est quòd aduersarius obiiciat, istas gentes omnes, quas Pater filio tanquam hæreditatem donauit, à cognitione veritatis penitus excidisse. Nam licet multi defecerint frequenter,

Actor. 10. & 11. Actor. 8. Actor. 2. Matth. vlt. Marci vlt. Psal. 2. Genes. 12. Galat. 3. Psal. 2. Esaiæ 11. Idem 60. Lucæ 24. Actor. 1. Rom. 15.

Catholica fides, nunquam deficit. plurimi tamen in vera Dei cognitione perseuerârunt, & fidem Catholicam semper retinuerunt ac professi sunt, iuxta verissimum Psaltis vaticinium: Populi cōfitebuntur tibi in ęternum, & in sęculum sęculi. (Psal.44.) Desinat igitur aduersarius, Christi regnum diminuere, Ecclesiam eius coarctare, ac nobis ingratam paucitatem obtrudere. Reuocet potiùs in mentem ac certò sibi persuadeat, quod longe verissimum est, & ad oculum, si voluerit, demonstrari potest, nimirùm his nostris quoque temporibus (licet propemodùm innumerę videantur hæreses ac sectę) Catholicam tamen fidem ac pietatem passim in orbis Christiani prouinciis ac regnis omnibus adeò vigere, vt nemo non facilimè, nisi cæcutire quis in ipso meridie velit, lucernam ardentem non sub modio, sed super candelabrum positam, & omnibus, qui sunt in domo, lucentem videre possit. (Matth.5.) Nam eadem Catholica & Romana fides ac religio, quam in Italia, Petrus & Paulus, D. Apollinaris, Prosdocimus & Aspremis: In Germania S. Bonifacius & Cyrillus: Adalbertus in Polonia: In Hungaria S. Astricus: Vvilibrordus in Frisia: In Hibernia Patritius: Augustinus & Mellitus in Anglia: In Galliis Martialis, Dionysius, Maternus, Valerius, & Eucharius tanquam primi regionum istarum Apostoli, plantârunt, nondum extincta est, sed vsque floret & viget ac in mediis errorum ac hæresum tenebris tanquam lucidissima stella fulget. Adeò nunquam fuit ardens lucerna, penitus extincta. Adeò Christi promissiones Ecclesiæ factę, sunt ac fuerunt semper efficaces. Adeò contra Romanam & Catholicam Ecclesiam (sic eam Ambrosius, Hieronymus, Victor, aliiq; patres appellant) inferorum portę nunquam præualuerunt. (Ambros. de obitu fratris. Hier. in Apologia, aduersus Ruffinū, Victor in historia Vandalica. Matth.16.) Qui plura volet contra hanc aduersarij paucitatem nosse, legat epistolam Quadragesimam octauā Augustini, qui diligenter aduersus hæreticos suorum temporum hæc ipsa, quæ mouet aduersarius, obiecta dissoluit atque diluit. (August. epist. 48.)

TVBINGENSIS 102. *Idem de populo Dei vaticinatur Propheta Azarias 2. Paralipomen. 25. Transibunt multi dies in Israël absque Deo vero, & absque Doctore, & absque Lege. Cuius etiam volumen prorsus est amissum 2. Reg. 23.*

Hoc

Hoc loco rurſus aduerſarius corrupit ac mutilauit ſcripturæ Sacræ textum. Nam in verbis ex 2. Paralip. (non 25. ſicut ille citat) ſed 15. capite productis, omiſit vocem (Sacerdotis) cùm ſic legatur: abſque Sacerdote Doctore. Nec abſque conſilio putauit in ſacris à doctoratū, licet contra manifeſtum Dei verbum, Sacerdotium eſſe ſeparandum, ne videlicet Lutheranos Doctores offenderet, qui Sacerdotes non ſunt. Verùm in ſuam gratiam, aut hominum aliorum philautiam, non oportuit vel Dei verbum corrumpere, vel ſcripturam Sacram mutilare, vel ſeducere ſimplices animos, vel etiam Deum offendere. Grauiter enim Deus comminatus eſt iis æternum ſupplicium, qui verbis ſuis (humana nimirùm ac temeraria præſumptione) aliquid addiderint vel abſtulerint, quod ſacræ Scripturæ ſententiam mutet, corrumpat, vel inuertat, vel ad rem non faciat; & à Spiritu ſancto, non ſine cauſa ſit additum, & noſtrâ ſcire multùm referat, ſicut accidit hac præſenti omiſsione. Et quoniam Deus cum Sacerdotio Doctoratū (videlicet in ſacris) coniunxiſſe videtur, ſemper in Eccleſia Catholica more receptū fuit, vt nemo legitimè ſacræ Theologiæ Doctor crearetur, qui non itē eſſet Sacerdos. Quod porrò ſpectat ad ipſum Scripturæ locum, quem ille produxit, manifeſtè conſtat iſta verba fuiſſe dicta, de Decē tribubus Iſraël, quæ Ieroboam autore ſeſe à Iuda & Beniamin ſiue à domo Dauid ſeparauerant, ac verum Dei cultum reliquerant, vt patet 3. Reg. 12. cap. Vnde nihil illa probant, quò minùs Eccleſia Chriſti ſit, maneatque ſemper Catholica: Porrò volumen illud, quod aduerſarius amiſſum ait, tempore Ioſiæ Regis fuit repertum. De quo non agitur 2. Reg. 23. ſicut ille citat, ſed 2. Paralip. cap. 34.

CATHOLICVS

Aduerſarius mutilauit Scripturæ ſacræ textum.

Corruptores Scripturæ ſacræ grauiſsimè peccant.

Deuter. 4. Prouerb. 30. Apocal. 22.

Doctores Theologiæ ſemper fuerūt Sacerdotes.

Aduerſarius malè citauit Scripturam ſacram.

TVBINGENSIS

103. *Quod ſi in Eccleſiam veteris Teſtamenti tantæ potuerunt incidere tenebræ in religione, cum tot tamque crebrò Deus illis excitauerit Prophetas tam inſignes; quid mirum eſt, ſi Eccleſiam noui Teſtamenti quoque non ſemper pariter florere aſſeramus? quòd Chriſtus futurum hoc prædixerit. Præſertim cùm ſuperioribus ſæculis linguarum ſtudium ferè penitus amiſſum fuerit, & ſequuta barbaries: Vbi etſi Biblia Dei beneficio manſerint: Liber tamen fuit ſignatus, & prorſus neglectus. Vt ſcripta Patrum & Ariſtotelis etiam in maiori eſſent admiratione, & vſu, quàm ipſa Biblia.*

CATHOLICVS Non eſt eadem omninò ac par veteris ac noui Teſtamenti ratio, maximè, quod ſpectat ad multas & excellentes prærogatiuas ac promiſsiones, quibus præ Synagoga, peculiariter Chriſtus Eccleſiam ſuam dotare, munire & exornare voluit. Nec tamen exiſtimandum eſt in veteri Teſtamento veram fidem verumque Dei cultum aliquando penitus extinctum aut ſublatum fuiſſe. Quamuis enim frequenter ad alienos Deos & idololatriam defecerint multi, reliquit ſibi tamen Deus non ſolùm multa millia in Iuda, ſed ad ſeptem millia virorum in Iſraël, qui non curuauerunt genua ſua ante Baal. Nec propterea ſuperioribus ſæculis, quòd linguarum ſtudium non ita vigeret, periit fides Catholica, nec ſacra Biblia, ſicut ait, neglecta ſunt. Imò tunc accuratiùs, maiorique ſtudio præcipuæ Bibliorum difficultates examinatæ, diſcuſſæ & explanatæ fuerunt. Vnde Theologia, ſicut vocant, Scholaſtica nomen & ortum accepit, quòd nimirùm in Scholis viri Docti grauiſsimas Scripturæ ſacræ materias methodica & compendiaria quadam ratione ſuis auditoribus enuclearent, atq; traderent: adhibitis etiam diſputationibus, quibus difficultates enodari ac veritas erui ſolet. Quod ſanè Scholaſticum Theologiæ ſtudium multis modis vtiliſsimum & ſaluberrimum ſemper fuit, non ſolùm, quòd exerceret ac muniret ingenia, contra ſectarios & infideles; ſed etiam vt cognitis & perſpectis Catholicę fidei venerandis myſteriis, haberent in ea facultate fundamenta ſolida, quibus hæreſes oppugnarent, dogmata fidei rectiùs intelligerent ac fideliùs populo Chriſtiano traderent; adeoq; vt ipſa Biblia & Sanctorum Patrum volumina tutò legere atque interpretari poſſent. Et quoniam ad eam rem non parùm facit cognitio Philoſophiæ, quæ Theologiæ tanquam cœleſtis cuiuſdam Reginæ pediſſequa, ſeu ancilla meritò nuncupatur, in miniſterium illius deſtinata: Idcirco Theologi Scholaſtici iudicârunt (& rectè quidem, quod nec aduerſarij negare poſſunt) futuris Theologis valdè profuturum, ſi ſtudiis Philoſophicis ſaltem mediocriter eſſent imbuti, quò rectiùs, faciliùs ac tutiùs Theologicam & Sacram facultatem aggredi poſſent. Studium verò linguarum, nec omninò neglexerunt, ſed ita circa corticem

3. Reg. 19. Rom. 11.

Theologia Scholaſtica cur & vnde prodierit.

Theologiæ Scholaſticæ vtilitas.

corticem ac folia verborum ac linguarum versati sunt, ne fructum ipsum ac medullam sacrorum mysteriorum præterirent. Cùm verò ceperunt homines magis linguis ac verbis, quàm ipsis rebus attendere, mox hæreses ortæ & multiplicatæ sunt, quòd scioli plerique linguarum, qualicunq; cognitione contenti, sacris materiis ac dogmatibus non intellectis, sed neglectis, in errores crassissimos inciderent, quando sibi nihilominùs ꝑpter linguas plus nimio tribuerent ac blandirentur. Simili modo, quamprimùm lectio Bibliorum vulgaris, & eorũ interpretatio omnibus etiam idiotis permissa conmissaq; fuit, (Dum videlicet asinus accedit ad lyram; dum sanctum datur canibus; dum rosę porcis obiiciuntur) Bone Deus, quæ non rerum omnium perturbatio confusioque secuta est? Ac ne quicquam dicatur de cæteris, & quidem grauissimis abusibus, adeò reuerentia Bibliorum sacrorum hinc apud omnes viluit & prostituta est: Adeò sacrosancta Dei mysteria & eloquia diuina, pollutis hominum impurorum ac rudium labiis, & manibus illotis contaminata sunt; Adeò Scriptura sacra pro cuiusque lubitu diuulsa, distracta, distorta corruptaq; modò iacet, vt nihil apud eos integrum, nihil vniforme, nihil stabile, sibiq; consentiens conspiciatur; sicut responsionibus aliquot præcedentibus id copiosè demonstratum est. Nihil dico, quòd aduersarij sacris Bibliis Augustanam Confessionem præferre videantur, cùm discipulos suos non in illa, sed in hanc iurare cogant.

Linguarum studiũ apud Catholicos non est neglectum.

Aduersarij quomodò studeãt linguis.

Bibliorum lectio vulgaris, obest imperitis.

TVBINGENSIS

104. *Tamen hoc affirmare verè possumus, semper aliquos fuisse, aliàs plures, aliàs pauciores, qui nobiscum in præcipuis religionis Christianæ partibus & capitibus senserunt, & Pontificiæ impietati contradixerunt, accusantes Romanæ Ecclesiæ falsa dogmata. Sed Cainicam hanc, Edomiticam, & Sanguinariam Ecclesiam, testes veritatis, vi, ferro, flamma, fune, flumine, sustulisse. Sicut Ioannem Hus & alios plurimos antè & pòst, omnibus ætatibus. Vnde Inquisitores hæreticæ prauitatis. Verùm ignis, Deus ipsorum consumens, non soluit argumenta.*

CATHOLICVS

Hac assertione seipsum satis depingit ac declarat aduersarius, qualis sit, & quid de religionis ac fidei dogmatibus sentiat, quippe qui veteres hæreses iam olim ab Ecclesia meritò

 damnatas,

damnatas,ab inferis reuocat,ac pro veris ſententiis recipit,atque defendit. Quos enim poteſt alios intelligere p iſtos (quos aliàs pauciores,aliàs plures fuiſſe,& cum ipſo ſenſiſſe commemorat) niſi Donatiſtas, Arianos, Nouatianos, Aërianos, Iouinianiſtas, Vigilantianos, Berengarianos, Vvaldenſes,aliosque ſimiles hæreticos,qui Romanam Eccleſiam oppugnare conati ſunt,ſed tanquam fumus euanuerunt? Hos enim & his ſimiles alios licet inter ſe diſsidentes in multis erroribus Lutherani ſtrenuè ſunt imitati. Verùm cur Ioannem Hus exempli gratia proponit, ſicut etiam quoſdam eius prædeceſſores fortaſsè Pickarditas & Vvickleuitas inſinuat, cùm illi cum Lutheranis minimè ſenſerint? Nam Ioannes Hus recepit Inuocationem Sanctorum; credidit ac retinuit ſacrificium Miſſæ,tanquã veriſsimum noui Teſtamenti ſacrificium,quod pro viuis & defunctis offertur; Docuit in Euchariſtia Chriſtum adorandum, & extra vſum manere; credidit, nullum eſſe Sacramentum ſacræ Euchariſtię,niſi à vero ſeu Pontificio Sacerdote conſecratum; credidit, Eccleſiaſtica ieiunia diligenter ac religioſè ſeruanda, ſicut etiam certis temporibus ab Eccleſia præſcriptis; non abſque diſcrimine veſcendum quibuslibet,ſed à cibis nõnullis abſtinendum eſſe. Nunquam tradidit Hus, per ſolam fidẽ (ſecluſis aliis virtutibus & operibus charitatis) hominem ſaluari poſſe; defendit etiam (quod & opere præſtitit) peccata legitimis, & ab Eccleſia Romana conſecratis Sacerdotibus eſſe confitenda. Quæ quidem omnia,cùm Lutherani negent,certè nec aduerſarius cum eo, nec ipſe cum aduerſario, circa religionem conuenit. Quorſum igitur allegat Ioannem Hus, qui, licet tanquam hæreticus propter alios errores meritò ſit combuſtus, in multis tamen diſſenſit à Lutheranis, & in iis, quæ Lutherani damnãt, adhæſit Papiſtis? Inquiſitionem hæreticæ prauitatis fuiſſe ſemper, & nunc eſſe neceſſariam, verbo Dei quidem & maiorum exemplis demonſtrari poſſet, niſi Lutherani præſertim Molles per experientiam edocti, nobiſcum ita ſentirent. Vident enim abſq; diligenti inquiſitione, ſe nec ſuum quidem Lutheraniſmum tueri diutiùs poſſe, quin in Caluinianiſmum tranſeat, niſi per inquiſitionem id impediant.

Aduerſarius cum hæreticis vetuſtis videtur ſentire.

Ioannes Hus non ſenſit per omnia cum Lutheranis.

Aduerſarij culpãt inquiſitionẽ Catholicorum, cùm ipſi tamen inquiſitione carere nequeant.

105. *Et*

105. *Et Diuus Bernardus ad Pontificem Romanum ſcribit. Murmur loquor, & Querimoniam communem Eccleſiarum, truncari ſe clamitant, ac dimembrari.* TVBINGENSIS Bernard. lib 3. De conſid. ad Eugen. Papam.

CATHOLICVS Nihil ad hoc inſtitutum facit illa Diui Bernardi ſententia, quam aduerſarius non genuino & germano, ſed alieno ac diſtortô ſenſu, contra mentem autoris, adduxit. Nam D. Bernard⁹ prędictis verbis nihil agit de fide vel religione (de qua hîc agitur) ſed tantùm conqueritur de quibusdam Abbatibus & Epiſcopis; quòd hi ab Archiepiſcoporum, illi ab Epiſcoporum ſuorum ordinaria Iurisdictione viderentur exempti. Sed quid hæc ad fidem? & quo iure præſumpſit aduerſarius Diui Bernardi verbis addere vocem hanc (communem) quam D. Bernardus non habet? Ergo ne cuique iam liberum eſt, vt Patrum ſententias iuxta placitum ſuum mutare, augere ac mutilare poſſit? Quàm verò Diuus Bernardus egregiè, Spiritu Ptophetico, deſcripſerit atque confuderit Lutheranos, Videat pius Lector in eius ſermone ſexageſimo ſexto ſuper Cantica, cùm breuitas Apologetica non patiatur, vt ea huc inſerantur.

106. *Quibus & hoc addimus ac conſtanter affirmamus, omnes, quotquot omnibus temporibus hinc à mundo condito ſaluati ſunt homines (quæ & ipſa verè fuit Catholica Eccleſia, nobiſcum in fundamento ſenſiſſe & crediſſe, eundemq́ Catholicum conſenſum tenuiſſe nobiſcum.* TVBINGENSIS

CATHOLICVS Multa quidem (eaque falſiſsima) dicit & aſſerit aduerſari⁹ hoc loco; ſed nihil probat. Nos & è diuerſo rectiùs affirmamus, nullum ex eis, qui fuerunt vnquam ab orbe cōdito ſaluati, ſic credidiſſe, quomodò credunt Lutherani vel Auguſtana Confeſsio tradit. Quod ita manifeſtū eſt, vt nulla ſit alia, quàm ipſius aduerſarij, probatione opus, maximè cùm ſuprà fuerit ꝓteſtatus, ſe ſuoſq; retinere, ac profiteri fidē illam, quæ ſit omnium prima, quæq; ab initio ante 44. annos toti Imperio Romano fuerit oblata? Itaque ſi Lutheranorum fides ante 44. annos primùm cepit, ſicut rectè fatetur aduerſarius, profectò per eam ab orbe condito, nō potuerunt homines ſaluari, nec maiores noſtri, qui tot ſæculis præceſſerunt, potuerunt credere vel ſentire cum poſteris Lutheranis ac Sectariis, qui ſpretis antiquis ſuorum Maiorum ſemitis, nouas cogitationum ſuarum vias Aſſert. 84. Hierem. 2.

vias ingresſi ſunt, & derelinquentes fontem aquæ viuæ, foderunt ſibi ciſternas, quæ aquas continere non valent. Hoc tamē facilè conceſſerim, quòd ſectarij, cùm nonnulla vera falſis & hæreſibus ſuis habeant admixta; quæ vera ſunt, ea cum Maioribus ſuis habeant communia, hæreſes verò minimè, veruntamen hæc pauca vera, nihil illis ad ſalutem proſunt, niſi cætera quoque veriſsima Catholicæ fidei dogmata credant ac profiteantur. Nam ſi ille, qui iuxta D. Iacobi ſententiam offendit in vno, reus omnium factus meritò cenſetur, quomodò paucula vera, tot ac tantis erroribus permixta Lutheranis ad ſalutem ſufficere poſſunt?

Iacob. 2.

TVBINGENSIS 107. *Et Catholica eadem eſt, quæ & Apoſtolica, conſenſusq́ doctrinæ & religionis non tàm conſiſtit in multitudine populorū, quàm in doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ (ſuper quam Eccleſia eſt ædificata) perpetuitate. De quo conſenſu Catholico D. Petrus concionatur, Cornelio dicens: Chriſto teſtimonium perhibent omnes Prophetæ, remiſsionem peccatorum accipere per nomen eius, Omnes, qui credunt in eum. Hunc in modum crediſiſſe, & ſaluatos eſſe Patres omnes, idem teſtatur Apoſtolus Actorum 15. Siue igitur iā pauci ſiue multi ſint, vel fuerint vbicunque locorum, qui hanc Catholicam, Propheticam & Apoſtolicam doctrinam amplectuntur, hos, dicimus eſſe Catholicam Eccleſiam.*

Actor, 10.

CATHOLICVS Si conſenſus religionis non conſiſtit in multitudine populorum, cur ait diuus Auguſtinus, ſe conſenſione populorum & gentium, in Eccleſiæ gremio retentum fuiſſe? Cur Vincentius Lyrinenſis id verè Catholicū eſſe definit, non ſolùm quod vbique, quod ſemper, ſed etiam, quod ab omnibus creditum fuit? Cur idem iterum ait; conſenſionem, videlicet, hominum ad rationem Catholici, neceſſariam eſſe, & eam conſenſionem nos ſequi, qui in ipſa vetuſtate, omnium, vel certè penè omniū Sacerdotum pariter & magiſtrorum definitiones ſententiasq́; ſectemur? Sed cùm hac de re copioſiùs & aliquoties in præcedentibus, præſertim autem in confutatione aſſertionis 97. ſit actum, non attinet, hìc plura dicere. Mirum interim videtur, quòd aduerſarius audeat doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ perpetuitatem allegare, cùm illa perpetuitas apud ſolos Catholicos in Eccleſia Romana luculenter appareat, & apud Lutheranos

Aug. contra epiſt. Manichæi cap. 4. Lyrinen. lib. cont. hæreſ. ſuprà citat.

theranos planè nulla sit, quippe quorũ doctrina primùm ante 44. annos ceperit, vt aduersarij testimonio sæpe demonstratũ est. Contra præsentem errorem pius Lector plura videre poterit, si lubet, apud D. Augustinum, qui non eleganter minùs, quã solidè confutat hæc somnia. August. epist. 84.

108. *Et verè Catholicam esse, id est, vniuersalem Ecclesiam credimus & profitemur, hoc est, sicut D. Augustinus interpretatur; Quòd per totũ orbem terrarum diffundatur.* TVBINGENSIS Epist. 70.

Rectè quidem credit & profitetur aduersarius cum Diuo Augustino, verè Catholicam, id est, vniuersalem Ecclesiam esse, quæ nimirùm per totum orbem diffundatur: Veruntamen hinc aduersùs eum euidenter concludimus, nec Augustanam Confessionem, nec Lutheranam Doctrinam, esse Catholicam, quippe, quæ non est per totum Orbem terrarum diffusa, sed angustis quibusdam Germaniæ (nec tamen Germaniæ totius) limitibus coarctata, vacillãs, donec expiret, ac penitùs intereat. CATHOLICVS

109. *Quòd si Nota hæc est vera Catholicæ Ecclesiæ; per vniuersam terram radios & ramos suos porrigere & extendere: (vt habet assertio decima) certè Romana hoc ipso minimè est Catholica. Tantùm enim abest, vt in Asia, Græcia, Ægypto, Syria, aliisque regnis plurimis, amplißimis, potentißimis & populosißimis, quæ tamen Christianam religionem profitentur, agnoscatur Romanus Pontifex, vt ab his hæreticus habeatur, & excommunicetur à Patriarcha Constantinopolitano, qui se Oecumenicum vocat, & sub sua Iurisdictione habet Hierosolymitanum, Antiochenum, Alexandrinum Archiepiscopos; quibus in Concilio Nicæno, æqualis potestas cum Romano Episcopo est concessa. Quique in doctrina etiam adeò non cum Romano hodie per omnia faciunt, vt Pontificios Romanos pro hæreticis habeãt, quòd à constitutionibus Synodorum & Patrum, secessionem fecerint, Ideoq; Græcæ fœminæ etiam legitimo coniugio iunctæ Italis, Gallis, Hispanis, à Presbyteris & Patriarcha Constantinopolitano excõmunicantur. Quod certum est. Et res ipsa testatur, Romanum Episcopum nunquam nec fuisse, nec agnitum esse Caput totius Ecclesiæ.* TVBINGENSIS

Hac assertione propterea negat aduersarius, Ecclesiam esse Catholicam, quòd Asia, Græcia, Ægyptus, Syria, aliaque regna non agnoscant Romanum Pontificem, & quòd Con- CATHOLICVS

 stanti-

ſtantinopolitanus Patriarcha ſe vocauerit Oecumenicum, & cæteri Archiepiſcopi, Hieroſolymitanus, Antiochenus, Alexandrinus æqualem cum Epiſcopo Romano poteſtatem acceperint, nec cū eo conſentiant, quodq; fœminas Græcas, quando Latinis maritis nupſiſſent, Patriarcha Conſtantinopolitanus excommunicauerit &c. Quæ quidem omnia, cùm ſint falſiſsima, ſicut per ordinem iam comprobabo, velit nolit, cogetur ille certiſsimis demonſtrationibus conuictus, manifeſtæ veritati cedere; Deo gloriam dare, & Eccleſiam Romanam eſſe Catholicam, profiteri. Principiò igitur, quòd Aſia Romanū Pontificem, tanquam ſuum & vniuerſalis Eccleſiæ Paſtorem habuerit & agnouerit, cùm aliundè, tùm ex eo maximè probatur, quòd Victor, eius nominis, primus Romanus Pontifex, Epiſcopis Aſiæ præfuerit, & comminatus ſit excommunicationem, quando præberent ſe difficiles, ad Paſcha, dominico die, celebrandū, Euſebio teſte. Quod, proculdubio, Victor minimè feciſſet, niſi certò conſtitiſſet ipſum legitimam in Epiſcopos Aſiæ poteſtatem ac iurisdictionem habere. Quam ſanè iurisdictionem nec vllus vnquā negauit, ipſum in eos habuiſſe & exercere potuiſſe. Nam quamuis Irenæus aliiq; nonnulli nō laudarent eam Victoris in excommunicando ſeueritatem, non tamen negârunt, ſi iuſtis de cauſsis id faceret, quin iure facere potuerit. Vnde idem Victor epiſt. 1. ad Theophylum Epiſcopum Alexandrinum ſcripta, hoc vtitur titulo: Victor Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus. Et poſteà: Celebritatem, inquit, S Paſchæ die dn̄ico agi debere, & Prædeceſſores noſtri iā ſtatuerunt, & nos illud vobis eâdem die celebrari mandamus. Nam non decet, vt membra à capite diſcrepent. Tandē addit, in conſtitutionibus Apoſtolicis reperiri, ꝙ omnes Epiſcopi, ſi grauarentur à Metropolitanis ſuis, poſsint ad Rom. Pont. ſeu vniuerſalis Apoſtolicæ Eccleſiæ ſedē appellare. Igitur falsò dixit aduerſarius in Aſia non agnoſci Rom. Pont. Similiter quis vnquā Orthodoxus dubitauit, Pont. Rom. in Eccleſiam Conſtātinopolitanam adeoq; in Græciam totam, habuiſſe & exercuiſſe iurisdictionem ac poteſtatē ſuam? Certè Gregorius non ſolùm in genere teſtatur, Rom. Eccleſiam, Deo autore, cunctis prælatam

Aſia Romanum Epiſcopum agnoſcit.

Euſeb. li. 5. ca. 24. aliis 25.

Epiſtola prima ad Theophilū Epiſcopum Alexandrinum.

Conſtantinopolitana ſeu Græca Eccleſia Romano Pontifici eſt ſubiecta.

Gregor. li. 2, epiſt. 30. & li. 7. epi. 63.

prælatã esse, sed etiam de præsenti negotio peculiariter ita scripsit: Quis dubitat, Constantinopolitanam Ecclesiam sedi Romanæ esse subiectam, quòd & Dñs piissimus Imperator, & frater noster Eusebius eiusdem ciuitatis Episcopus assiduè profitentur? Hoc ipsum idem Gregorius epist. sequenti testatur iterum, & addit, Imperatorem voluisse, vt ipse tũc Pont. Roman. existens, Constantinopolitanum Episcopum secundùm antiquos Canones iudicaret. Quòd verò Græcia tota fuerit Ecclesiæ Rom. subiecta, & in eius Episcopos Rom. Pont. iurisdictionem & potestatem Ecclesiasticam exercuerit, idem Gregorius epistolis variis testatum reliquit. Igitur nullã habet vim, imò ridiculum est, ꝙ aduersarius ait, Rom. Pont. à Constantinopolitano Patriarcha pro hæretico habitũ & excõmunicatum fuisse. Esto, quòd Ioãnes Episcopus Constanti. (quod D. Gregorius de eo queritur) se vniuersalem & œcumenicum Episcopũ vocauerit, ergóne fuit ille talis? Esto, quòd ille de Rom. Pont. secùs, q̃ oportuit, senserit ac locutus fuerit, ergóne rectè fecit, & ipsius impudens factum, tanq̃ sit probatum, in exemplum rapietur? Esto, quòd fuerit ille rebellis, ambitiosus, contumax, & supbè contempserit Pastorem suũ (quod & hodie facit aduersarius) ergóne, quod in eo docti piiq; viri meritò culpant ac reprehẽdunt, id quasi rectissimè sit factũ, contra Pont. Rom. aduersarius allegabit? Esto, quòd etiam Iosephus Patriarcha sese nominauerit œcumenicũ, nõ tamen propterea fuit talis, quod & ipse iãiã moriturus agnouit. Vnde publico scripto in Concilio Florentino protestatus est, se Rom. Pont. tanq̃ Pastorũ suum venerari. Sic esto, quòd Asia, Græcia, Ægyptus, Syria, & similes aliæ prouinciæ aliquando non agnouerint Rom. Pontificem, ergóne modò nõ eum agnoscunt? Et quid si necdum eũ agnoscerent, ergóne iure non erit illarum Pastor? Esto, quòd verum sit (licet fabulosum videatur) Græcas fœminas fuisse nonnunq̃ excommunicatas, ꝙ Latinis maritis nupsissent, ergóne manifestus Græcorũ istorum error tanq̃ Catholica veritas recipietur & approbabitur? Cõstat, multas Græcorum Ecclesias fuisse schismaticas & instabiles, quæ frequenter ad vnitatem Ecclesiæ Rom. redierunt ac subinde defecerunt, vt propterea iusto Dei

Græcia & Cõstãtinopolis agnoscunt Rom. Pont.

Gregor. li. 4. epist. 15. 50. 55. & 56. & lib. 5. epist. 7. & lib. 10. epist. 37.

Anton. part. 3. tit. 22. cap. 13.

iudicio Turcarum tyrãnidi subiectæ sint, vt Antoninus nõ verè minùs, q̃ eleganter declarat. Quod etiam Ecclesiis nostris Septentrionalibus ob defectiones easdem certò metuẽdum est. Nec propterea, quòd defecerint illæ, Pont. Roman. desinit esse vniuersalis omnium fidelium Pastor, sicut Ecclesia Rom. nihilominùs Catholica vocatur & manet. Quamuis diffitendum non sit, tàm olim in Orientalibns, q̃ etiam nunc in Septentrionalibus Ecclesiis ita deficientibus, semp aliquos præstantes & eximios viros ac Patriarchas fuisse, qui Pont. Rom. agnouerint & etiamnum agnoscãt. Vt adeò nunq̃ illæ Ecclesiæ penitùs defecisse videantur. Vnde falsò concludit aduersarius, ꝙ nimirũ sit certum, & res ipsa testetur; Roman. Põt. nunq̃ nec fuisse nec agnitum esse Caput totius Ecclesię. Quę. n. est illa Tubingensiũ Theologorum Philosophia, qua per manifestum abusum, syllogizant, argumentantur, ac se bellè concludere putant? Nullus vnquam Constantinopolitanus fuit vniuersalis vel Oecumenicus Episcopus: sed Episcopi Romani frequenter Vniuersales (quòd cæteris omnibus prę essent) appellati sunt. Id Diuus Gregorius manifestè fatetur de Leone I. quem Chalcedonense Concilium Vniuersalem Episcopum nominauit, quãuis ille humilitatis ergô, hoc titulo recusauerit vti, sicut nec moderni Pontifices eo vtuntur. Si tamen vterentur nec possent, nec deberent in eo culpari, cùm Chalcedonense Concilium dictante spiritu sancto, hãc esse veritatem sic definierit, & D. Gregorius Antichristum esse dixerit eum, qui sibi vendicaret hunc titulũ absq; legitima autoritate, sicut Ioãnem Constantinopolitanũ Episcopum fecisse constat. Quòd etiam Ægyptus eiusq; Metropolis cum Archiepiscopo Alexandrino Rom. Pont. tanquã supremum Episcopum agnouerit, vel ex eo manifestè conuincitur, ꝙ Synodus Alexandrina per epistolã ad Fœlicẽ II. datam, ꝓfiteatur, se sedẽ Ecclesiæ Rom. sequi, & quòd Christus vniuersalem Ecclesiam Rom. Pont. commendauerit. Quam profectò Alexandrinæ Synodi professióñe Liberius confirmauit epist. quã rescripsit Athanasio, quẽ etiã hortatus est, vt eandẽ fidei ꝓfessionẽ subscriptione sua, sicut & fecit, cõprobaret. Itaq; falsa sunt, quæ narrat aduersarius de Ægyptio & Alexãdrino Archiepiscopo.

Tubingensis Philosophia.

Gregor. lib. 4. epist. 32.

Romanus Episcopus Vniuersalis.

Ægyptus agnoscit Rom. Pontificem.

Tomo 1. Concil.

Tom. 1. operum Athanasij.

episcopo. Nam si Rom. Pont. Athanasiũ Patriarcham Alexandrinũ, cùm fuisset eiectus, in Episcopatum suũ restituit (sicut & alios quoque Patriarchas frequenter restituit, vt in epistola Gelasij ad Episcopos Dardaniæ videre licet) quomodò superior illorum non fuit? quomodò nullam in Alexandrinum Archiepiscopum iurisdictionem & potestatem habuit? Sic & illud est falsum, quod aduersarius narrat à Concilio Nicæno tribus illis Archiepiscopis æqualem cùm Episcopo Romano potestatem fuisse concessam. Nam Concilium Nicænum Canone 6. nihil aliud statuit, quàm vt Episcopus Alexandrinus suburbanarum Ecclesiarum curam haberet, sicut Episcopus Romanus faciebat. Etenim ille, prçterquã quòd Sum. sit Pont. & Patriarcha Occidentis, est etiam certarum Episcopalium Ecclesiarum Archiepiscopus, & suæ diœcesis proprius Episcopus. Vnde nequaquam concluditur Archiepiscopum Alexandrinum æqualem cùm Pont. Rom. potestatem habere. Nam si quis dicat: Expedit, vt princeps in principatu suo cum subditis & ciuitatibus, vel etiam dominiis eodem plane modo procedat, sicut in Imperio procedit Imperator; ergóne Princeps cõtinuò parem cum Imperatore potestatem habebit? Accedit huc, quòd his nostris temporibus Patriarcha Assyrius non ita pridem Romam veniens subscripserit Concilio Tridentino, & quòd Æthiopię Patriarcha sit etiam religiosus Sedi Romanę per omnia subiectus, & quòd Patriarcha Constantinopolitanus adeò Roman. Ecclesiam audiat, obseruet ac veneretur, vt etiam nuper in Poloniam, & ad suæ iurisdictionis loca miserit Legatos, qui Lutheranos tanquam pernitiosos hæreticos cõfunderent, excommunicarent & exterminarent. Confutatis igitur & explosis, quæ aduersarius obiecerat, falsis argumentis, si quis certò cognoscere volet Ecclesiam Romanam esse verè Catholicam, audiat Apostolum de ea testimonium perhibentem, cum illius fidem in vniuerso mundo dicat annunciatam fuisse; audiat antiquissimos Ecclesię Patres, qui Romanam Ecclesiam esse semperque fuisse Catholicam testantur, quando prædicant eam cæterarum Ecclesiarum omnium Matrem, Principem & Caput esse: Audiat Cyprianum, qui tradit

[Margin notes: Epistol. 5. — Nicænum Concilium non concessit æqualẽ omnibus Episc. iurisdictionem. — Ecclesia Roman. probatur esse Catholica. — Rom. 1. — Distinct. 21. cap. Quamuis. — Cyprianus lib. 1. epist. 3.]

ad Ecclesiam Romanam, perfidiam accessum habere non possе: Audiat Augustinum protestantem in ea sola principatum Apostolicæ Cathedræ semper viguisse: Audiat Hieronymum & Ambrosium, qui Romanos Episcopos, appellant Ecclesiam Catholicam: Audiat Theodosium, Gratianum & Valentinianum Impp. pientissimos, qui publico Edicto præceperunt, vt cuncti eorum subditi religionem eam sectarentur ac retinerent, quam vertex Apostolorum Petrus initio tradidisset, ac tum Damasus Romanus Pontifex custodiret. Hinc Anacletus testatur Romanam, esse primam, non humano, sed diuino iure confirmatam sedē. Hinc in probatissimis historiis & Patribus legimus cęteras Ecclesias ad sedem Romanam appellasse, vel etiā in difficultatibus & dubiis suis, pro consiliis ac responsis recurrisse. Hinc extant exempla plurima variorum Episcoporum, quos Pont. Romanus vel deposuit ac damnauit, vel absoluit ac restituit, vel confirmauit atque defendit. Hinc verissimè cōstat, omnia Concilia œcumenica seu plenaria semper à Roman. Pontificibus indicta, congregata & confirmata fuisse. Hinc illi, qui fidem ac religionem Ecclesiæ Romanæ sectabantur, semper Catholici sunt iudicati. Hinc denique cùm Episcopi cæteri Romanò Pontifici scriberent, magnificis eum titulis ornantes, Episcopum Episcoporum, Summum Sacerdotem, Episcopum Catholicæ & vniuersalis Ecclesiæ, & summum omnium Præsulem frequenter appellârunt. Verùm de primatu Ecclesię Romanæ non est hic proprius dicendi locus. Ex prædictis abundè constat solùm eam, quæ Roman. Ecclesiam vt matrem & magistram agnoscit esse Catholicam Ecclesiam, & Sectariorum conuenticula, sicut ait Augustinus, propterea Catholica non esse, quòd per certa loca & suas quasque prouincias contineantur. Quod etiam confirmat Lyrinensis, cùm dicat, nullam hæresim nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebullire. Vnde rursus D. Augustin⁹, aureis verbis probat, Donatistarum Synagogas minimè Catholicas esse, dum ait: Si vestra est Ecclesia Catholica, ostendite, illam per orbem totum radios suos porrigere, ostendite, illam per vniuersam terram, ramos suos copia vbertatis extendere.

August. epist. 161. Hieron. ad Damasum. Ambr. in oratione funebri de obitu fratris. L. Cunctos populos.

Anacletus epistola 1. & 2.

Sectariorum conuenticula Catholica non sunt Ser. 131. & 181.

Vincentius Lyrin. Lib. aduersus prophanos hæresum nouatores. August. lib. 3. contra Gaudentium.

110. Et

110. *Et eo ipso, quòd Romanenses sibi solis Catholicorum nomen vendicant, hoc sibi derogant & Catholicam se esse Ecclesiam negant: Quippe, quam negant esse certis temporum, locorum & hominum circumstantiis alligatam, Assertio. 10. eam ad solam postea Romanam alligant Ecclesiam, eiusq; Pontificem, quem qui pro Ecclesiæ vniuersalis capite non agnoscant, à Catholica excluduntur. Sicut olim Donatistæ se suamque sectam, Ecclesiam Christi esse affirmabant. Vnde ipsos nec Catholicam, nec Christi Ecclesiam esse, certissimum est, Sed magis Cacobycam sanguinariam, cruentam Christi aduersatricem, & piorum persecutricem, Babylonem fugiendam.* TVBINGENSIS

CATHOLICVS

Sępè declaratum est ex Hieronymi, Ambrosij & aliorum Patrum vnanimi sententia, Romanos, & cum illis in fide consentientes Episcopos, vocari Catholicam Ecclesiam; & Catholicam prorsus eandem esse, quam Romanam Ecclesiam profitemur, non propter vrbis Romanæ locum, sed quòd Romanorum fides annunciata sit in vniuerso mundo, & omnes omnium temporũ & locorum oues Christi, & Ecclesiæ particulares, B. Petro primo Romano Pōtifici & eius successoribus, ab ipso Christo commissæ sunt & commendatæ, Neque propterea certis temporum, locorum & hominum circumstantiis alligatur Ecclesia, quòd ab vrbe Roma denominetur Romana, & Episcopum Romanum tãquam caput & Christi vicarium agnoscat. Nam sicut Roma (vbi caput omnium Christianorum, iubente, Dño, sedem suã collocauit) propter temporalem iurisdictionem ac potestatem Caput mundi nuncupata est, & Imperium Rõm. supremam orbis Christiani potestatem semper habuit & exercuit, sic mirũ non est, si Romana Ecclesia sit mater, Princeps & caput aliarum Ecclesiarum, & Pontifex Romanus tanquam Episcopus Episcoporũ, & Christi vicarius ac Petri successor habeat supremã in Ecclesiastica hierarchia iurisdictionem. Et quoniam penes hos duos Monarchas, videlicet Pontificem & Imperatorem Romanum duplex est, eaque suprema potestas, vna Canonica seu Ecclesiastica, altera Ciuilis & Politica, per hanc ab Imperatore tanquam supremo magistratu ius ciuile, quò fœlix ac bonus rerũ temporalium status & successus conseruetur, per illam à Romano Pontifice tanquam à Sum, Sacerdote ius Canonicum seu Ecclesiasticum prodiit,

Ecclesia Roman. prorsus eadẽ quæ Catholica.

Rom. 1.
Ioan. 21.

Ecclesia Roman. nullis temporum, locorum, hominũ circumstantiis est alligata.

B. Leo ser. 1. de festo Petri & Pauli.
S. Marcellus epi. 1. ad Episcopos Antiochenæ prouinciæ.
Gelasius epist. 4. ad Anastasium Augustum.

Ius Politicũ vnde.

Ius Canonicum vnde.

prodiit, vt omnia (quæ ad religionem & cultum Dei ſpectant) decenter & ſecundùm ordinem in Eccleſia fiant. Quę quidem omnia legitimè probant Epiſcopum Romanum Eccleſiæ Catholicæ ſummum in terris eſſe Pontificem. Nec propterea minùs Catholicum ſeu vniuerſalem eſſe cenſendum, quòd reſideat Romæ, cùm non ſit alligatus ad vrbem Romam, ſed poſſit extra Romam alibi quoq; reſidere, & nihilominùs eandem fidèm Romanã, hoc eſt, Catholicam, quam Apoſtolus in vniuerſo mundo annunciatam fuiſſe teſtatur, tradere, profiteri ac prædicare, adeoque Catholicam Eccleſiam tanquam Chriſti Vicarius in terris paſcere ac gubernare poſsit. Sic enim Clemens Quintus, & ſex alij Pontifices ſucceſſores illius ad annos 70. extra Romam in Galliis commorati ſunt, & nihilominus Catholicam Chriſti Eccleſiam gubernârunt. Quòd autem aduerſarius allegat Donatiſtas, nihil illud Eccleſiam Roman. per totum orbem terrarum diffuſam, ſed Tubingenſem cætum vehementer impugnat. Nam quemadmodùm autore Auguſtino Donatus contendebat, Eccleſiam Chriſti non vbiq;, ſed quadam Africæ parte, quam occupabat ipſe, contineri: Sic aduerſarius Eccleſiam Chriſti veram clamitat non eam eſſe, quæ ſemper, quę vbique ſit, & fuerit; quæque nationum ac populorum in religione cõſenſum habeat, ſed quæ vna quadam Germaniæ parte concluſa mutuis & aſsiduis diſſenſionibus ardet & flagrat, donec penitus abſumatur. Quas verò contumelias in Eccleſiam Roman. & Catholicam aduerſarius iterum congerit, non tam verbis, quàm ſilentio, ac Chriſtiana patientia confutandas exiſtimo. Veniet enim, veniet, inquam, tempus, quò rectiùs intelliget ac dolebit, quòd Chriſti ſponſam, & matrem ſuam ita petulanter traduxerit, irriſerit & indignis calumniis affecerit, niſi ſuper hac malitia ſua pœnitẽtiam egerit.

Pont. Romanus nõ alligatur vrbi. — *Rom. 1.* — *Platina in vita Gregorij 11.* — *Aduerſarij contumeliæ Chriſtiana patientia vincẽdę.*

TVBINGENSIS Aſſert. 11.

11. *Denique Apoſtolicam confitemur, quòd & ab Apoſtolis fundata ſit, & eorum ſcriptis regatur, propagetur, & conſeruetur vſque ad Chriſti Saluatoris reditum ad iudicium. Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu (non Pontifice Romano) in quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in templum ſanctum in Domino.*

Epheſ. 2.

Nos

Nos quidem cum Scriptura ſacra & Orthodoxis Patribus reuerenter agnoſcimus & confitemur, Chriſtum eſſe fundamentum, præter quod aliud (videlicet, primarium & eſſentiale) nemo ponere poteſt, & eſſe ſummum & angularem lapidem, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino: Veruntamen nihilominùs cum eadem Scriptura ſacra & iiſdem Orthodoxis Patribus fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, tanquàm ſecundarium ſeu vicarium recipimus, quod nec diffitetur aduerſarius. Et hoc ſenſu promiſit Chriſtus ſe Eccleſiam ſuam ſuper Petrum (vt ex Syriaco textu manifeſtè colligitur, cùm Cephas, id eſt, ſaxum vel petra vel Petrus, absque vlla vocabuli mutatione repetatur) ædificaturum, & D. Paulus fundamētum Apoſtolorum & Prophetarum nuncupat, & D. Ioannes affirmat murum ciuitatis habuiſſe fundamenta 12. & in ipſis, duodecim nomina 12. Apoſtolorum & Agni. Quod igitur ſpectat ad Pontificem Rom. nullus vnquam Catholicus, tàm fuit excors, aut inſulſus, vt eū ſummum & angularem lapidem aut primarium ſeu eſſentiale fundamentum, perinde atque Chriſtum, eſſe diceret, licet aduerſarius immeritò (ſicut alia multa) nobis id affingat. Verùm quo ſenſu Scriptura ſacra commemorat nos ædificatos ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, & Chriſtus ſuper Petrum ædificauit Eccleſiam ſuam, eodem, inquam, ſenſu Pontifex Romanus eſt, ac dicitur Eccleſię fundamentum, cùm ſit Petri Succeſſor, & eandem, quam Petrus, à Chriſto poteſtatem habeat, nec minùs quàm Petrus, ſit vniuerſalis Chriſti Vicarius & Paſtor, nec minùs Chriſtus Petri ſucceſſoribus, hoc eſt, Romanis Pontificibus, quàm ipſi Petro, ſuas oues paſcendas commiſerit.

CATHOLICVS
Chriſtus quale fundamentum. 1. Cor. 3.
Epheſ. 2. Apoſtolorum & Prophetarū quale fundamentum.
Matth. 16. Ioan. 1. Hieron. in cap. 2. ad Gal.
Epheſ. 2. Apocal. 21.
Pont. Rom. nō eſt principale fundamentum nec angularis lapis. Vide Baſil. in homilia de pœnitēt. & Leonē ſer. 2. de natali Apoſt. Petri & Pauli, & ſer. 3. de anniuerſar. Pōtificatus ſui.
Pontif. Rom. quo ſenſu fundamentum dicatur.

112. *His porrò addit* IESVITA, *Eccleſiam non dictam iam ſolùm ob cauſſam, Apoſtolicam vocari, ſed multò magis quòd Apoſtolicam Doctrinam ſiue ſcriptis, ſiue viua voce, veluti per manus traditam in hæc vſq; tempora, legitima Epiſcoporum ſucceßione conſeruârit &c.*

TVBINGENSIS

113. *Tria hîc connectuntur quorum duo poſteriora, contra Sacram ſcripturam Canonicam faciunt, non ad ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, ſed Romanam, Pontificiam, Antichriſtianam demonſtrandam*

& astruendam: quòd ideò vera Christi sit Ecclesia, quia doctrinam Apostolicam ad hæc tempora conseruârit, deinde traditiones viua voce factæ, postremò legitima Episcoporum in loco successio.

114. *Quòd si hanc ob caussam Romana Ecclesia, vera est Christi Ecclesia; quia ad hæc tempora conseruauit scripta Apostolica; quid prohibet quò minùs Iudæi hoc nostro sæculo quoq; vera sint Dei Ecclesia; Cùm maiori studio Prophetica scripta ad hæc vsque tempora, fideli sua cura, omni diligentia conseruârint? Quos & hoc nomine Diuus Augustinus Christianorum scriniarios, hoc est, Bibliothecarios, appellat.*

CATHOLICVS Præter intolerabilem calumniam, quam iterum aduersarius aspersit Sacrosanctæ Christi Ecclesiæ, tria sunt; quę tribus præcedentibus assertionibus, à nobis esse defensa miratur & culpat, Vnum est; quòd asseramus in Ecclesia Catholica doctrinam Apostolicam in hęc vsq; tempora cõseruatam esse: Alterũ, quòd eandem Apostolicam doctrinam, siue scriptis, siue viua voce, veluti per manus traditã nobis dicamus: Tertium, quòd eandem Apostolicam doctrinam legitima Episcoporum successione nobis illæsam, integram atq; synceram hactenus mãsisse, ac deinceps perpetuò mansuram defendamus. Quæ profectò tria, quò veriora certioraq; sunt, & Ecclesiam Rom. esse Apostolicam euidentiùs demonstrant, eò sunt aduersario magis inuisa; quippè quibus Lutheranorũ figmenta penitus euertantur. Idcircò quærit, quod his quocunq; modo posit obiectare. Ac primùm quidem existimat labefactatum iri, si dicat apud Iudæos magna diligentia fideq; Scripturam S. hoc etiam nostro sæculo cõseruari, qui tamen non ideò sunt vera Dei Ecclesia. Verùm nouerit hanc obiectionem vel prorsus nullam, vel omninò ridiculã esse, cùm Iudæi (sicut & hæretici) Scripturæ S. volumina quidẽ, quod ad corticem verborum attinet, sed non intellecta, nec genuinum eorum sensum cõseruârint (imò nec omnia volumina: sed veteris Testamenti tantùm, eosque, quos in suum Canonẽ receperunt) At Ecclesia Catholica totã & integram Scripturam non solùm, quemadmodùm Iudæi & hæretici (secundùm verba nõ intellecta) sed etiam germanum, verum & Apostolicum illius sensum incorruptum, inuariatum & integrum hactenus retinuit, & vsq; syncerum & inuiolatum conseruat. Et quoniam, teste B. Hilario & D. Hieronymo, Scriptura

[Margin: Aduersarij diluitur obiectio.]

[Margin: Hilar. li. 2. ad Cõstantium. Hier. in c. 1. epist. ad Galatas.]

ptura non in verbis, ſed in ſenſu vel intelligentia recta conſiſtit, non debebat aduerſarius hoc, inter Iudęorum Synagogam & Eccleſiam Chriſti Catholicam, ſummi momenti diſcrimen diſsimulaſſe; & quoniam Iudęi ſacra volumina (licet nō intellecta) tamē integra cuſtodierūt, idcircò D. Auguſtinus eos Chriſtianorū ſcriniarios, ſeu Bibliothecarios appellat. Verùm audiamus aduerſarium cætera duo deinceps oppugnantem.

115. *Fucum deinde faciunt Papiſtæ imperitis, cùm viuæ vocis Apoſtolorum meminerunt, quaſi multa Apoſtoli tradiderint, & plura, viua voce Eccleſiis quæ nō ſcripſerint, ſed ſecretò tanquàm Eleuſynia ſacra, vel Caballiſtica, per manus tradiderint fidelibus: quas magnificè prædicant, quòd ſacris ſcripturis pleniores ac planiores ſint, adeoq́ certiſsimum fidei fundamētum.* TVBINGENSIS

116. *Sed vetus hæc eſt impoſtura, ſicut apparet ex Apoſtoli literis, quibus monet vt Chriſtiani ſint circumſpecti, nec ſe per impoſtores circumueniri patiantur, prætextu ſuorum ſermonum.* 2. Theſſ. 2.

His duabus aſſertionibus aduerſarius probationem nullā, ſed meras, vt ſolet, adfert calumnias, quæ reſponſionē non merētur, Apoſtolicas, ſacras, & Eccleſiaſticas traditiones propter eà condemnat, irridet ac reijcit, quòd videat, euidēs per eas ſibi periculum imminere. Quid, quòd audet hîc etiam veterē (ſacrarum, videlicet traditionum) impoſturam vocare, à qua, vt caueamus, nos Apoſtoli verbis admonitos ait, ne videlicet, nos per eiuſmodi impoſturas circumueniri patiamur. Videat hoc loco pius Lector, obſecro, quàm alieno peruerſoq́ue ſenſu iam iterum Scripturam ſacram allegat aduerſarius. Nam ſi voluit Apoſtolus 2. Theſſal. 2. nos monere, ſicut ait aduerſarius, vt à traditionibus caueremus, cur idem Apoſtolus in eodem capite diſertis verbis præcepit nobis, vt religioſè traditiones obſeruemus? Sic ait enim: Itaque fratres (quaſi hæc ſit omnium præcedentium ſummaria concluſio) ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram; Cur idem Apoſtolus hoc nomine laudat Corinthios, quòd Apoſtolica præcepta, quæ viua voce tradita iam acceperant, ſedulò cuſtodirent? Cur admonet Theſſalonicenſes, vt ab omni ſe fratre ſubducant, qui inordinatè & non ſecundùm traditionem ab Apoſtolis acceptam ambulat? Quòd ſi verbis iſtis Apoſtolus traditiones per ſermonem, hoc eſt, viua voce

CATHOLICVS

Aduerſarius cur traditiones reijciat.

Aduerſarius malè citat ſcripturas.

1. Cor. 11.

2. Theſſ. 3.

ſine ſcripto datas obſeruari præcepit, quomodò fieri poteſt, vt eas præcedentibus verbis tanquàm impoſturas prohibuerit? Ergóne ſibi contradixit Apoſtolus? Abſit tanta blaſphemia verbo; ſed aduerſarius Apoſtoli verba corruptè citauit. Cæterùm cùm in præcedentibus, vtcunque multa de traditionibus dicta ſint, & deinceps plura dicenda veniant, hoc loco tantùm illud addiderim: Quòd nimirùm ſi reijciat aduerſarius, ſicut facit, traditiones, reijciat quoque neceſſum eſt, ipſam Scripturam ſacram, reijciat & 4. Euangelia, reijciat & omnes Apoſtolorum Epiſtolas, & omnes denique Canonicas Scripturas. Nam ſublata traditione penitus omnium Scripturarum Canonicarum autoritas corruit, quod, velit nolit, ipſa veritate conuictus cogetur aduerſarius confiteri. Vnde namq; ſciet Euangelium primum à ſancto Matthæo, ſecundum à S. Marco, à D. Luca tertium, quartum à D. Ioanne & non ab hæreticis (ſicut Bartholomæi & Nicodemi Euangelia, aliaque multa) ſcriptum & nobis integrum eſſe datum? Vnde ſciet idem de Apoſtolorum Epiſtolis, niſi per apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones? Quánam etiam ipſe, niſi ſola traditionum, ratione motus cum Eccleſia potiùs 4. Euangelia, quàm cum Ebionitis vnicum D. Matthæi Euangelium, recipit atque defendit? Cur non cum Marcioniſtis vnicum D. Lucę, aut cum Nazarenis D. Petri, aut cum Manichæis D. Thomæ quod dicitur Euangelium admittit? Cur item cum Alogis nõ reijcit Ioannem, & cum Gnoſticis, non Philippi, aut cum alijs quorundam aliorum Euangelia recipit? Cur potiùs Marci, qui Chriſtum vix vnquam vidit vel audiuit, ſed Petri tantùm auditor fuit, quàm Thomæ ac Mathiæ, vel Nicodemi aut Bartholomæi, qui ſedulò Chriſtum audiuerunt, Euangelium approbat? Cur denique non cum Seuerianis omnes Epiſtolas D. Pauli, aut etiam acta Apoſtolorum, & cum Baſilide & Marcione vtramque ad Timoth. & ad Titum, epiſtolas explodit, ſed potiùs cum Eccleſia Rom. tuetur & obſeruat? Non alia profectò, quàm traditionum ratione ſubnixus poteſt Canonicas veras Scripturas à falſis & Apocryphis diſcernere. Cùm igitur traditionis beneficium nõ agnoſcit ſed contemnit, hoc inde damni conſequitur, vt ne ſacram quidem

In confutatione Aſſert. 97.

Sublatis traditionibus cadit omnis Scripturarum ſacrarum autoritas.

Iren. lib. 1. cap. 26. Epiphan. hær. 30. Tertull. 4. contra Marcionem. Epiphan. hær. 42. Vide Philaſt. Theodor. hær. fab. li. 2. ca. 3. Sept. Synod. actione 6. Epiphan. in Alogorum hæreſi 51. Idem hæreſi 26. Hier. in procemio commẽt. in Matt. Niceph. li. 3. c. 20. Euſeb. li. 3. c. vlt. Gelaſius cum 70. Epiſc. Euſeb. lib. 4. hiſt. Eccleſ. ca. penult. Hieron. in præfat. epiſt. ad Titum.

Aduerſarius cum traditione perdit Scripturam S.

quidem Scripturam vllam habeat, atq; sic omni præsidio destitutus, tãdem nullam scripturam, nullam religionem, fidem nullam ampliùs tueri posit.

117. *Sicut hoc modo Papiam, qui vicinus admodùm fuit Apostolorum temporibus, vt eos qui ipsos audiuerant, eisq; familiares fuerant, interrogauerit. Vnde plus se ex viua voce quam libris scriptis proficere posse sperauerit, miserum in modum seductum esse, testatur Euseb. hist. Eccles. libro 3. cap. vlt. Nam pro Doctrina Apostolica, quam ex scriptis discere noluit, nouas quasdam Saluatoris parabolas, & Doctrinam incognitam, magisq; fabulosam (verba sunt Euseb.) Chiliastarum, scilicet errorem est amplexus.* TVBINGENSIS

Non defendimus nos vnius Papiæ vel cuiusuis alterius hominis priuati particulares opiniones vel obseruationes, sicut nec Scripturas esse probatas & Canonicas dicimus, quæ vel ab aliquo priuato homine, vel etiam ab vno aut altero Patre seu Doctore recipiuntur; sed eas agnoscimus ac reuerẽter obseruamus traditiones, quas manifestè constat Apostolicas esse, vel autoritas vniuersalis Ecclesiæ nobis tanquàm verissimas & saluberrimas commendat & seruandas præcipit. Nam eiusmodi sunt traditiones, de quibus suprà quorundam Patrum, Irenæi, Hieronymi, Augustini, & Tertulliani sententias scitu dignissimas produximus, quæ iam repetendæ non sunt. Itaque nihil ad præsentem sacrarum traditionum materiam facit exemplum Papiæ, cùm homines priuati facilè possint errare, quando particulares priuatorum hominum institutiones, vel priuatas cogitationes ab vniuersali Ecclesia non approbatas, sequuntur. CATHOLICVS

118. *Quod si id illo tempore accidit, quid post tot sæcula non factum esse, & fieri traditionum prætextu iudicandum est?* TVBINGENSIS

Errores frequenter acciderunt etiam Apostolorum tempore, sicut & hæreses ac defectiones, præsertim cùm homines priuati plus nimio saperent, & à communi vniuersalis Ecclesiæ sententia declinantes (quod hæreticorum est proprium) cogitationes proprias sequerentur. Sic plerique (quod conqueritur Apostolus Petrus) Epistolas D. Pauli corrupérunt ad suam ipsorum perditionem. Sic alij profanas vocum nouitates inuenerunt, & circa quæstiones non solùm inutiles, sed etiam CATHOLICVS In confutatione Assert. 97. 2. Pet. 3. 1. Timoth. 6. 2. Timoth. 2. Tit. 1, & 3.

curiosas ac pernitiosas cum aliorum atq; suo periculo versati sunt. Sic nostro quoq; sæculo plurimi sunt, quibus mágis propria, quàm vniuersalis Ecclesiæ dogmata placent. Verùm nihil istorum errores, vel abusus, vel hæreses impediunt, quò minùs sacræ traditiones illesæ maneāt, ac vim suam & vsum salutarem in Ecclesia Dei semper retineant.

TVBINGENSIS

119. *Refert Epiphanius inter Apostolorum traditiones, peccatū esse, post decretam virginitatem ad nuptias conuerti. Verùm cùm non fuerit vicinus Apostoolrum temporibus, vnde id ab Apostolis traditum esse nouerat, et non potiùs à Montano hæretico, qui prætextu Paraclæti, primus ieiuniorum leges introduxit, et coniugium prohibuit, vt historiæ Ecclesiasticæ Autores tradūt.*

CATHOLICVS

Epiphan. hær. 61. contra Apostol.

Traditiones Apostolicæ probantur & certa regula cognoscuntur.

Quod Epiphanius refert, esse peccatum post decretam virginitatem ad nuptias conuerti, verissima censetur Apostolorum traditio. Verùm quorsum admiratur aduersarius, quômodò nouerit Epiphanius hanc Apostolorum esse traditionē, cùm Apostolorum temporibus ipse vicinus non fuerit? D. Augustinus ab Apostolis fuit remotior, quàm Epiphanius, & nihilominùs optimè nouit & testatus est, paruulos ex Apostolica traditione baptizandos; Quin idem August. alibi certā nobis regulā pręscripsit, qua certò possimus Apostolicas traditiones cognoscere, dum ait: Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe seruātur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima autoritas, cōmendata atq; statuta retineri. Sic idem cōtra Donatistas admonet: Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutū, sed semper retentum est, non nisi autoritate Apostolica traditum rectissimè creditur. Sic iterum Augustinus ait: Multa non inueniuntur in literis Apostolorum neque in Conciliis posteriorum, & tamen, quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab Apostolis tradita & commendata credūtur. Et alibi deniq;: Sunt multa, inquit, quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis pręcepta benè creduntur, quanquā scripta nō reperiantur. Sic Leo Magnus, licet Apostolorum temporibus vicinus non fuerit, Apostolicas tamen traditiones his verbis agnouit: Dubitandum nō est, quicquid in Ecclesia in cōsuetudinem est deuotionis retentum, de tradi-

August. lib. 10. de Genesi ad lrām. cap. 23.

Augustin. in epist. 118. ad Ianuariū, cap. 1.

Aug. lib. 4. ca. 24.

August. lib. 2. ca. 7. contra Donat.

August. li. 5. c. 23. contra Donat.

Leo Magnus ser. 2. de Ieiunio Pentecostes.

traditione Apostolica & de S. Spiritus prodire doctrina. Sic D. Hieronymus licet Apostolorum temporibus non fuerit vicinus, nouit tamen & his verbis testatum reliquit; Quadragesimale quod seruamus ieiunium, Apostolicam esse traditionē. Nos, inquit, vnam Quadragesimam secundùm traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis cōgruo, ieiunamus; Vt nihil hîc dicatur de Ignatio, Maximo, & alijs Patribus, qui idem sentiūt, ac profitētur. Et nos ipsi (ne citandis Patrum sententiis sim prolixior) quamuis longissimè distemus à temporibus Apostolicis, plurimas tamen Apostolorum traditiones totius Ecclesiæ consensu receptas, & communi piorum fidelium vsu tot sæculis comprobatas certissimis Maiorum ac Patrum nostrorum testimonijs, veluti per manus ad nos transmissas, optimè nouimus & rectissimè seruamus. Nihil ergo miretur Epiphan. aduersarius, nec asserat Montan. hæreticum esse primum ieiuniorū autorem, quandoquidē Ieiunium Propheticis & Apostolicis Scripturis passim inculcatū, à Christo & Apostolis obseruatum, & nobis commendatum esse manifestè constat, & supradicta D. Hieronymi sententia contra Mōtanum scripta satis probatum est, licet docuerint Montanistę, teste Epiphanio, hęreticam ciborum abstinentiam esse seruandā, non propter virtutē vel præmium cęleste, sed abominabila, ea quæ à Deo facta sunt putantes, sicut & Lutherus cōmessationes hæreticas introduxit. Neq; verò ob eā caussam à veteribus reprehensus est, Montanus quòd primus ille, Ieiuniorum leges induxerit vel inuexerit in Ecclesiam, tanquàm ante eius tempora nulli fuerint stati ieiuniorum dies, omniaqne ieiunia libera fuerint, vt falsò Sectarij interpretantur Apollonij verba quæ apud Eusebium & Nicephorum extāt, maximè cùm multis testibus contrarium probetur: sed ideò Notatus est Montanus, quòd homo priuatus, ambitiosus, insanus, & hæreticuș (his enim coloribus depingitur ibidem ab Apollinari Hierapolitano) nouas ieiunādi leges, nouaq; ieiunia præter Ecclesiæ consuetudinē, vt manifestè Theodoretus & Niceph. cùm eius hæreses recensent testantur, induxerit: nimirùm, vt B. Hieron. autor est, tres Quadragesimas, quasi tres passi sint Saluatores: cùm nos vnā quadragesimam (vt ipse ait) secundùm traditionē Aposto-

Hiero. epist. 54. ad Marcellam contra errores Montani.

Ignat. ad Philipp. Maximus. Amb. Aug. Leo. Bernar. in sermonib. de Quadrag.

Ioël 2. Ionæ 3. Matt 4. 6. 9. 17. Actor. 13. 2. Cor. 6. 11.

Epiphan. contra hæret. heres. 48. 1. Timoth. 4.

Euse. li. 5. hist. Eccles. c. 17. alijs 18.

Niceph. li. 4. ca. 25. Ignat. ad Philipp. constit. apost. li. 5. ca. 13. & sequent. Canon. 68. Apost. Telesph. in epist. Epiphan. Hieron. Leo. Euseb. ibid. ca. 15. aliis 16. Theodoret. lib. 3. hæret. fab. cap. 2. Niceph. li. 4. c. 22. Hier. ad Marcellā cōtra errores Mōt.

Apoſtolorum toto anni tempore, nobis congruo ieiunemus: idque munus non voluntate, ſed neceſsitate à nobis offeratur. Et quamuis idem Montanus nuptias, præſertim ſecundas tanquàm illicitas & malas prohibuerit (quam eius hæreſin iam anteà damnauerat Apoſtolus) non tamen propterea culpandus eſt Cœlibatus, quem idem Apoſtolus diligenter ſuo ipſius exemplo nobis commendatum voluit. Nihil iam dico, quòd ipſe Chriſtus laudauerit Eunuchos Euágelicos, qui ſemetipſos caſtrauerunt propter regnum Dei.

Vide Epiphan hæreſ 48. Hieron. vt ſuprà. Auguſtin. hæreſ. 26. 1. Timoth. 5. 1. Cor. 7. Matth. 19. Eſaiæ 56.

TVBINGENSIS

Cypr. li. 1. epiſt. 11

120. *Pugnat certè hæc traditio cum Doctrina Apoſtoli qui non vult laqueum cuiquam propter virginitatem iniici. Et virginitas humani eſt arbitrij, aut certè peculiare Dei donum, nequaquam verò diuini præcepti. Cyprianus de iis, quæ virginitatem vouerant, ſcribit: Si perſeuerare nolunt, aut non poſſunt, melius eſt vt nubant, quàm vt in ignem delitiis ſuis cadãt. Et D. Auguſtinus: Quidam nubẽtes poſt votum, aſſerunt adulteros eſſe: Ego autem dico vobis, quòd grauiter peccant, qui tales diuidunt.*

121. *Et certum eſt, ad Apoſtolos autores (vt dogmatis & ritibus conciliaretur autoritas) pleraq; omnia, quæ vel negligentia Epiſcoporum in Eccleſiam irrepſerũt, vel à Pontificibus propria autoritate ſunt excogitata, vel etiam ab Hæreticis, vt Montano, & aliis deſumpta, prætextu & titulo Canonum & Traditionum Apoſtolicarum, Eccleſiæ ſunt obtruſa, relata eſſe.*

CATHOLICVS

1. Cor. 7.

Præcedens traditio de virginitate decreta, quam Epiphanius Apoſtolicam aſſerit, nequaquam pugnat cum Apoſtoli doctrina. Nam Apoſtolus quando nemini propter virginitatem laqueum iniici vult, non loquitur de virginitate per votum decreta ac Deo promiſſa ſeu conſecrata; ſed de libera, quę nullius præcepti, ſed humanæ libertatis eſt. Vnde ſic ait: De Virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Quòd autem conſilium illud ſit datum eiuſmodi Virginibus, quæ virginitatem ſuam, nondum decreuerunt aut Deo vouerunt, ſed adhuc liberrimę ſunt, vt vel eam ſeruent, vel matrimonio ſe iungant, ſicut voluerint, vt Apoſtolus circa finem eiuſdem capitis luculenter declarat: cùm ait: Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſsitatem, poteſtatem autem habens ſuę voluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo, ſeruare Virginem ſuam, benè facit. Igitur qui matrimonio iungit

Cœlibatus probatur.

1. Cor. 7.

Virgi-

virginem suam, benè facit; & qui non iungit, meliùs facit. Ecce manifestum Apostoli consilium, ne laqueus iniiciatur iis, qui sunt liberi, nec habent necessitatem, scilicet per votum virginitatis Deo factum, sed habent potestatem, hoc est, libertatem suæ voluntatis, vt nubere, si velint, in Domino possint. Ad eundem modum hęc ipsa D. Pauli verba pereleganter Epiphanius de liberis hominibus & nullam obligationem seruandæ castitatis habentibus interpretatur, vt eius disertissima verba testantur. Cur igitur aduersarius prædictam Apostolorum (autore Epiphanio) Traditionem cum Apostoli Doctrina pugnare dicit? Cur D. Pauli consilium de laqueo liberis virginibus non iniiciendo torquet ad eas virgines, quæ liberæ non sunt, nec ampliùs voluntatis suæ potestatem habent, sed voluntariam instinctu diuino, sibi necessitatem & præceptum vltroneum imponentes, virginitatem suam Deo vouerunt? Ergóne potest, aut vult ille vota Deo liberè facta dissoluere? Quòd si promissa, quæ fiunt hominibus seruāda sunt, ac violantes periuri, fœdifragi, dolosi, nedum falsi ac mendaces dicuntur, quantò magis vota Deo facta seruanda sunt, & qui non ea seruant, grauissimū indignationis diuinæ supplicium incurrunt? Certè monuit ille sapienter: Ne temerè quicquam loquaris, ne cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Et paulò pòst: Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: Displicet enim ei, infidelis & stulta promissio. Sed quodcunque voueris redde; multoq; melius est, non vouere, quàm post votum promissa non reddere. Quô respexit Psaltes: Vouete, inquit, & reddite, scilicet, vota vestra Domino Deo. Vnde ne plura Scripturæ sacræ, de votis testimonia proferantur, si quis Deo virginitatem suam vouit; vt votum suum reddat, necessum est, nisi violatæ promissionis reus, & fœdifragus ac votifragus esse velit. Quamobrem Apostolus Timotheo suo præcepit, vt adolescentiores viduas deuitaret; cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo, nubere volūt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Videat igitur nunc aduersarius, an talibus sit laqueus iniiciendus eò, quòd nubant, videlicet non ampliùs potestatem voluntatis suæ, sed necessitatem propter

Epiphanius hęres. 61. contra Apostolicos.

Eccles. 5.

Psal. 75. & in eum Augustinus.

1. Timoth, 5.

emiſſum caſtitatis votum habentes, maximè cum dicat Apoſtolus: damnationem habentes, quia primam fidem irritam fecerunt? Itaque non Apoſtolica traditio, quam citauit Epiphanius, ſed aduerſarij præſens aſſertio manifeſtè cum D. Pauli Doctrina pugnat. Vnde aliorum Patrum Cypriani & Auguſtini ſententias, non bona fide, ſed ad decipiendos incautos adduxit. Nam Cyprianus non de illis, quæ vouerant, ſed de liberis & poteſtatē ſuę voluntatis habentibus loquitur, aſtruens illis, quæ perſeuerare nolunt aut non poſſunt (expertæ ſcilicet fragilitatem ſuam) meliùs eſſe nubere, idque antequam voueant, quàm vt in ignē delitiis ſuis cadant: ſicut eundem, D. Pauli locum ad quem alluſit B. Cyprianus, & ſimilia eiuſdem capitis loca interpretantur non ſolùm Patres Latini, B. Cypriani imitatores, D. Hieronymus, Auguſtinus & Ambroſius: verumetiā Græci, Chryſoſtomus, Baſilius, Epiphani⁹, Theodoret⁹, Theophilactus & Occumenius. Auguſtinus autem in loco quem citat adūerſarius ſolummodò cōcedit matrimonium poſt ſimplex votum, ſi contrahatur, eſſe ratum, nec tales coniuges eſſe diuidendos, licet contrahendo grauiſsimè peccauerint. Simili modo fingit & aſſeuerat aduerſarius, ſed non probat, multa per negligentiam Epiſcoporum in Eccleſiam irrepſiſſe, vel à Pontificibus excogitata, vel ab hæreticis deſumpta, & titulo Canonum & Traditionum obtruſa fidelibus eſſe. Hæc, quemadmodùm ille pro libidine ſua loquitur, ſic non indigent alia refutatione, quàm, quòd nullos nos abuſus (ſi qui circa mores ac pietatē accidiſſent, cùm fides ac Doctrina ſemper integerrima nobis manſerit) ſed Apoſtolicas, Catholicas, vniuerſales & à maioribus tot iam ſæculis obſeruatas, ac nobis commendatas imò præceptas Traditiones defendamus.

Hieron. lib. 1. contra Iouin.
Auguſt. de adult. coniug. li. 1. ca. 15. & in Pſal. 83.
Ambr. ca. 5. ad virgin. lapſam.
Chryſ. & Baſil in lib de virginitate.
Epiphan vt ſuprà.
Theodoſ. in epitome diſtin. dec. c. de virginitat. & idem Theod. Theophil. Oecum. in ca. 7. ad Corinth. 1.

TVBINGENSIS 122. *Sicut frater Petrus à Soto ſcribere, & fateri non veretur, idque nomine Catholicæ ſuæ Eccleſiæ, quinque reliqua Sacramenta cùm in Scriptura non ſint, neceſſe eſt Apoſtolicæ eſſe traditionis. Habemus etiam, inquit, certiſsima traditione, Sacrificij altaris oblationem.*

CATHOLICVS Non eſt quòd aduerſarius hoc loco Petrum à Soto virum excellenti profectò tam pietate quàm Doctrina clarum, deprimat vel obſcuret, cùm ille (ſi verùm dicere fas eſt) plus

ingenij,

ingenij, plus eruditionis, plus pietatis & acrimoniç, vel vnguiculo minimo declarauerit, quàm omnes aduersarij, quotquot & quicunq; sint, totis corporibus suis queant prçstare. Ac licet nos septenarium Sacramentorum numerum, certissima Patrum traditione probemus, singula tamen Sacramenta nihilominùs suum in Scripturis sacris fundamentum habent. Sed quoniam non est huius loci prolixiùs agere de Sacramentorũ omnium ac sacrificij altaris institutione, & aliis id genus eorũ partibus, nunc pio Lectori satis esse debet, quòd nõ omnia sint scripta, quæ Christus docuit, instituit, & egit, quæque docuerunt Apostoli seruãda; sed magnam eorum partem ad nos per Apostolicas, Ecclesiasticas & approbatas Traditiones peruenisse, & eas quidem Traditiones eandem prorsus cum verbo scripto vim & autoritatem habere. Testatur enim Cyprianus, (& rectè quidem) non minùs ratum esse, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quàm quod Christus ipse tradidit. Sicut enim par est Spiritui sancto & Christo diuinitas, ita vtriusq; in suis institutis æqua est autoritas & potestas. Vnde Sacro sancta Synodus Nicçna diuinç Scripturç consonans, his verbis traditiones esse seruãdas præcepit: Oportet nos Ecclesiasticas Traditiones siue scripto, siue consuetudine in Ecclesia retentas, vnanimiter & inuiolabiliter obseruare.

Cyprian. de Ablutione pedum.

Ibidem.

Contra Iconomachos actio. 7. Itẽ 8. Synodus Can. 1.

123. *Quòd si hæc Pontificiæ Ecclesiæ regula valet, vt quæcunque Ecclesia Romana habet, & obseruat, cùm in sacra Scriptura non extent, necesse sit ad Apostolos ea referre autores, miserrimam horum bonorum virorum, (Apostolorum dico) conditionem esse, necesse est, quòd turpissimorum errorum, & cultuum innumerorum Ecclesiæ Pontificiæ hoc modo Origo ad eos referetur, cùm tamen de plerorumq; autoribus constet, sicut in Platina, Volaterrano, Blondo, Sabellico, & aliis est videre.*

TVBINGENSIS

Ecclesia Romana non agnoscit eiusmodi regulam, qualem aduersarius fingit; vt quicquid habet & obseruat, si non extet in Sacra scriptura, id ad Apostolos continuò, tanquam ad autores referat, nec vllos habet errores, sed quas constat ab Apostolis vel à Conciliis generalibus, vel communi totius Ecclesiæ cõsensu Traditiones receptas & approbatas esse, quemadmodùm id suprà luculenter est demonstratum, eas retinet,

CATHOICVS

Autores rerum nō semper illi primi sunt qui tales reputantur.

& obseruat. Quòd autem subiungit multa reperiri, quorum origo quidem ad Apostolos referatur, cùm eorũ autores non sint ignoti, fallitur aduersarius; cùm non semper illi sint primi rerum aut factorum autores, quibus ea tanquam autoribus nonnunquam ab historicis attribuuntur. Nam frequenter dicuntur Pontifices instituisse nonnulla, non quòd tunc illa primùm instituta, sed quòd vel renouata, vel maiori solicitudine posteris commendata fuerint, ne desuetudine paulatim interirent. Sic Telesphorus Pontifex dicitur, Quadragesimam instituisse, quam tamen à Christo & ab Apostolis obseruatam & aliis traditam fuisse, tàm Apostolorum Canones, quàm Diuus Ignatius, D. Maximus, D. Hieronymus, aliique Patres conuincunt. Sic Alexander primus fertur instituisse, ne quicquã aliud in Sacrificio, nisi, panis & vinum idq; aqua mistum consecretur. Sic Innocentius primus memoratur decreuisse, vt ex Christiana nati infantes baptizarentur. Sic Damasus scribit de Pio primo, quòd is instituerit, vt Iudæi venientes ad Ecclesiam, reciperentur, ac sacri fontis participes fierent. Hęc & his similia, licet certo modo, ab illis instituta referantur, à Christo tamen originem & institutionem suam habent.

Euseb. in Chron. Can. 68. Ignat. ad Philip. Maximus in serm. de Quadrag. Hiero. ad Marcellum cõtrà Monta. In Pontificali. In Pontificali. Ioan. 3. Matth. vlt. Luc 22. Cypria. li. 2. epist. 3. ad Cecilium.

TVBINGENSIS

124. *Et quod ad canones Apostolorum, res ipsa loquitur Apostolorum non esse. Quòd quidam inter eos cum doctrina Apostolorum & scriptis eorũ pugnent. Sicut canonibus 16. 17. Episcopi qui post baptismum binis nuptiis fuerint impliciti aut viduam &c. duxerint, à consortio sacerdotali excludũtur. Et 25. qui cælibes in Clerum peruenerunt, nuptias cõtrahentes ad Diaconatum, Presbyteratũ, & Episcopatum non admittuntur. Et Can. 68. Episcopus, Presbyter, Diaconus, & quiuis clericus, qui quadragesimæ, vel feriæ quartæ, aut Parasceues ieiunium nõ obseruauerit, deponi ab officio iubetur. Quæ omnia, & singula, non solùm cum scriptis Apostolicis, quibus in prohibitio ciborum & nuptiarũ in sacerdotali quoq; ordine doctrina Diabolica nominatur, Sed etiam primitiuæ Ecclesiæ praxi, è diametro pugnant. Sicut & diuersimodè collecti sunt, aliis plures, aliis pauciores numerantib. canones.*

1. Timoth. 3. 4. Tit. 1. 1. Colos. 2.

125. *Nec enim alia scribere, alia docere potuerunt Apostoli, nedum contraria. Hoc enim non Apostolorum, sed Apostatarum esset.*

CATHOLICVS

Hac assertione aduersarius quosdam Apostolorum Canones tanquam fictitios, subreptitios & Apostolicæ Doctrinæ repugnan-

repugnantes abijcit ac reprobat, ſed eos impugnat maximè, quibus Epiſcoporum & Sacerdotum bigamia prohibetur, & ieiunium Quadrageſimale præcipitur. Quod igitur ſpectat ad Canonum Apoſtolicorum originem, veritatem, confirmationem, numerum & autoritatem, non videtur operæprecium, vt à me quicquam hoc loco dicatur, cùm de his omnibus Franciſcus Turrianus Societatis Ieſu Theologus, integrum librum ediderit, qui ſolidè, bona fide, diligenter, & ex profeſſo materiam hanc pertractat. Ad quem igitur Lectorem potiùs & vtiliùs remittendum, quam hîc nouis ſcriptis onerãdum eſſe duxi. Nec dubito, ſi librum illum aduerſarius legiſſet, nunquam de Canonibus Apoſtolorum ita leuiter ſenſiſſet, vel temerè locutus fuiſſet. Similiter, ſi eiusdem lib. 4. ca. 5. cum ſequentibus, & librum etiam 5. cap. 12. cum aliquot ſequentibus legiſſet, multos profectò ſuos errores egregiè confutatos aduerſarius vidiſſet. Verùm, quis hoc loco ſupra modum non admiretur, qua ratione vel temeritate potiùs aſſerat, quosdam Apoſtolorum Canones, videlicet 16. 17. vel iuxta aliam editionem 17. & 18. & 25. ſicut & 68. Apoſtolicæ doctrinæ repugnare, eò quòd prohibeant Bigamiã, quam diſertis etiam verbis, & ſeriò Præſbyteris & Epiſcopis prohibuit his verbis Apoſtolus? Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem, eſſe vnius vxoris virum. Et rurſus de Epiſcopis & Pręsbyteris loquens, inquit: Si quis ſine crimine eſt, vnius vxoris vir, &c. Quibus verbis Chryſoſtomus, Hieronymus, Leo Magnus, aliique Patres interpretantur, ac rectiſsimè monent, quòd non requirat Apoſtolus, vt ille, qui Præsbyter vel Epiſcopus ſit futurus, neceſſario ducat, vel priùs habeat vxorem, verùm iubet, ne videlicet ille, qui ſit Epiſcopus vel Presbyter futurus, defuncta priore vxore, duxerit aliã. Voluit enim Eccleſiæ miniſtris in re vxoria modũ præſcribere, ne permaneant in concupiſcentia generandi, ſed aptiores fierent ad futuram continentiam, vt Siricius & Innocentius primus teſtãtur. Cur autem Apoſtolus eum, qui defuncta vxore prima, ſecũdam duxiſſet, ad Epiſcopatum ſeu Presbyteratum admittendum prohibuerit, non ipſe quidem, ſed Patres Eccleſiæ piis rationibus declarant. Nam D. Chryſoſtomo videbatur inde-

1. Timoth. 3.

Tit. 1.
Chryſ. in Paulum
Hieron in cap. 1. ad Tit. Epiſtol. ad Oceanum & lib. 1 contra Iouin.
Leo epiſtol. 87. ad Africanos.
Epiphan. hæreſi 59. & 78.
Ambr. lib. 1. offic. cap. 50. epiſto. 82. & ca. 4 de Sacerd.
Auguſt cap. 18. de bono coniug.
Innocent. 1. epiſt. 2. 4, 22.
Syricius epi. 1. et 4.
Innocent. 1. epi. 3.
Chryſ. in epiſt. ad Tit. homil. 2.

cens, partim vt Ecclesiastica dignitas & functio committatur illi, qui Vxori primæ beneuolentiam nō seruârit; partim propter concionandi ministerium, quò si plures, quàm vnam habuisset, vxores, non posset ille ita cæteris, sicut oporteret, castitatis virtutem ac laudem commendare, quippe, cùm ipse libidinis vel concupiscentiæ plùs satis indulsisset. Ambrosius & Epiphanius hanc etiam insinuant huius pręcepti satis piam ac probabilem caussam; quòd è multis idoneis, voluerit Apostolus eligi, magis idoneos, & eos magis idoneos fore, qui propter ordinis ac functionis excellentiam à rebus aliòqui licitis abstinerent, iuxta dictum illius: Virtus est licitis abstinuisse bonis. Quibus sanè piis rationibus accedit hæc, & quidem insignis & grauissima caussa, quòd nimirùm per Episcopum bigamum nequeat significari magnum illud Sacramentum indissolubilis vinculi, quod est inter Christum & Ecclesiam. Cùm enim Christus bigamus non sit, nec plures habuerit nec habeat vxores, sed vnius, videlicet Ecclesiæ spōsæ, sit vir, profectò per Episcopum bigamum, qui vel plures vxores vicissim, vel etiam viduam habuerit, non commodè potest hoc spirituale Christi coniugium repræsentari, de qua re, plura pius Lector apud Augustinum, Innocentium primum, Gratianum, Leonem & Innocentium tertium videre poterit. Cùm igitur iuxta communem Patrum & Ecclesię totius expositionem, idē sit genuinus Apostoli Pauli de nuptiis Episcoporum sensus, quem prædicti Canones Apostolorum nobis luculenter, verè ac vniformiter exprimunt, cur ait aduersarius, illos cum Apostolica doctrina pugnare? Certè Leo Magnus, dum 17. & 18. Apostolorum Canones citare & exponere videtur, in hæc verba loquitur: Qualis verò, inquit, vnicuique natalium honestas, & morum esse debeat, qui sacri altaris ministerio est sociādus, & Apostolo nos docente, & diuina præceptione didicimus, & Canonum regulis, à quibus plerosque fratrum declinasse, & penitus deuiasse reperimus. Nam cōstat ad Sacerdotium peruenisse, viduarum maritos, quosdam etiam, quibus fuerunt numerosa coniugia, contra illam Apostoli vocem: Vnius vxoris virum, & contra illud antiquæ Legis præceptum, quo dicitur

Hieron. & Ambrosius vt suprà.

Vbi suprà.

Aug. lib de bono coniug. cap. 18. Innocen. epist. 22. Gratian. dist. 26. & 28. q. 3. Innoce III. in decretalibus c. Debitum. de bigamis. Leo Magnus epi. 1. ad vniuersos Episcopos per Cāpaniam & Picenum vel Tusciā & per vniuersas prouincias constitutos cap. 2.

Abusus Bigamiæ notatur.

1. Timoth. 3.

tur

tur & cauetur; Sacerdos virginem vxorem accipiat, non viduã, non repudiatam &c. Ad eũdem modum idem Leo Canonem Apostolorum 25. cuius etiam aduersarius mentionem facit, citat, defendit & interpretatur; vt longiori declaratione non sit opus. Sed quid absurdius, quàm quòd 68. Apostolorum Canonem de Quadragesimali ieiunio, quasi cum Apostolorum doctrina pugnantem, allegauit? Quis ignorat, Quadragesimale ieiunium, esse traditionem Apostolicam, vt suprà dictis D. Hieronymi & aliorum testimoniis comprobatum est? Quis nescit, Apostolos sacrum ieiunium non verbis & scriptis modò, sed exemplis quoque propriis nobis tradidisse & commendasse? Nónne Christus ipse, postquàm 40. diebus & 40. noctibus ieiunâsset, Apostolicum quoque ieiunium deinceps illis euenturum prædixit, cùm ait: Venient autem dies, & cùm ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus? Nónne ieiunium Apostolicum Scriptura sacra nobis passim inculcat & commendat? Sic legimus in Actis Apostolorum: Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Vbi notet aduersarius in segregatione, hoc est, in vocatione, missione & ordinatione duorum Apostolorum, prҫter orationem & manus impositionem, etiã ieiunium adhibitum esse, quò constaret per ieiuniũ, Spiritum sanctum dari, & Ecclesiæ ministros ad opus ministerij magis idoneos fieri. Et alibi: Et cùm constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, & orâssent cum ieiuniis commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt. Et iterum: Et cùm multa ieiunatio fuisset &c. Nónne idẽ Apostolus inter alia, quæ commemorat Corinthiis, expressam ieiunij sui mentionem aliquoties facit. In vigiliis, in ieiuniis, in castitate &c. & posteà rursus: In fame & siti, in ieiuniis multis &c. Ergo nõ Canon Apostolicus, quo ieiunium præcipitur, sed hҫc aduersarij assertio ex diametro cum Apostolica doctrina & vita pugnat?

[Margin: Leuit. 21. / Leo epist. 92. cap. 3. ad Rusticum. / Matth. 4. / Luc. 5. / Actor. 13. / Actor. 14. / Actor. 27. / 2. Corinth. 6. / 2. Corinth. 11]

126. *Cùm igitur scripta eorum Dei beneficio extent, quibus abundè de omnibus, quæ ad æternam salutem pertinent, nihil reticentes Actor. 20. Ec-* TVBINGENSIS

clesiam

clesiam erudierint;nos iis,quæ certa sunt, & indubitata,ac sufficientia, hominemq́ Dei perfectum facere possunt,ad omne opus bonum instructum, & ad vitam æternam per fidem in Christum (quem illa nobis demonstrant & comprobant)consequẽdam,contenti sumus,nihil amplius desiderantes. Aliis relinquamus dubia,incerta,& alia,qui istis gaudent deliriis: De quibus Apostolus pronunciat. Si quis aliud Euangelium annunciat,etiamsi nos,aut Angelus de cœlo, Anathema sit. Cuiusmodi traditiones plurimæ, quas nomine Apostolorum venditant, muscerdam pro pipere, merces putidas & putridas,ac perniciosas.

Galat. 1.

CATHOLICVS

In confutatione 115.& 119. asser.

Hac assertione nihil aduersarius, præter Scripturam sacram cum Vvaldensibus admittit. Vnde traditiones Apostolicas & Ecclesiasticas ac probatas consuetudines planè reiicit. Cùm igitur in præcedentibus aliquoties validissimis Scripturæ sacræ & sacrosanctornm Patrum testimoniis contrarium à nobis fuerit demonstratum, non atinet, hoc loco pluribus sacrarum traditionum & consuetudinum necessitatem declarare. Quamobrem hìc obiter recensebo nonnulla tantùm absurda, eaque grauissima, quæ non potest aduersarius euitare, quando nudam tantùm Scripturam reiectis traditionibus admittit. Primum igitur, si præter Scripturam sacrã nihil aduersarius recipiendum aut credendum aut obseruandum putat, quæritur ab illo: Vbínam hoc ipsum, quod iam asserit, sit scriptum? qua fronte contra suam ipsius sententiam nihil admittendum dicit, quod scriptum non est, cùm hoc ipsius axioma in Scriptura sacra non reperiatur, ac proinde recipiendum nõ sit? Nónne manifesta hæc contradictoria sunt, affirmare, nihil recipiendum, quod scriptum non est, & nihilominùs recipere ac defendere, quod nusquam est scriptum? Cùm igitur nusquã sit scriptum, nihil præter Scripturam sacram recipiẽdum esse, profectò nec hoc ipsius axioma, potest, vel aduersario iudice, subsistere. Deinde cùm plurima suis istis assertionibus, ille dixerit, & ex pharetra propria deprompserit, nec vllis Scripturis probauerit. Nónne hæc etiam omnia falsa & reiicienda sunt? Tùm, nónne hac ipsa ratione, velit nolit, aduersarius omnibus Scripturis Canonicis priuatur? Nam Quatuor Euangelia retinere nõ potest, cùm nusquam legatur scriptũ, non pauciora

Aliquot absurda, quæ cõmittit aduersarius, recensentur.

Absurdum primũ

Absurdum secundum.

Absurdum tertiũ.

nec

nec plura, quàm esse Quatuor Euangelia. Imò nec Matthęi, nec Marci, nec Lucæ, nec Ioãnis Euangelium illi saluum manebit, cùm nusquam scriptum legatur, quòd hæc ipsorum vera & nõ aliorum potiùs surreptitia sint Euangelia. Sic epistola D. Pauli & aliorum Apostolorum scripta manibus ipsius excutientur, quòd ab ipsis hęc esse profecta, nullibi sit scriptum. Tùm etiam nónne sic ille perdit XII. articulos fidei nobis Apostolico Symbolo traditos & commẽdatos? Vbi namque scriptum est, illos XII. articulos à duodecim Apostolis esse ꝓfectos, quod tamẽ aduersarij minimè negant? Nónne sic tolletur perpetua sanctę Mariæ Christi Matris virginitas, quam tamẽ aduersarij nobiscum, licet nulla Scriptura sacra expressè probetur, libenter ex Ecclesiæ traditionibus credunt & confitentur? Nónne aduersario periclitabitur Baptismus paruulorum, quem certè, cùm sacrę Scripturę expressis verbis nõ probetur, nec ipse recipere, nec aduersùs Anabaptistas defendere potest? Nónne sic aduersarius cogetur cum Africanis sentire; baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos; quandoquidem ex Scriptura sacra non potest apertè cõtrarium probari? Nónne cogetur sic aduersarius cum Iudæis diem Sabbathi celebrare iuxta Scripturam veteris Testamenti, & tàm dominicum diem, quàm omnes etiã alios, & quidẽ pręcipuos Testamenti noui, dies festos negligere. cùm de celebrandis illis nulla Scriptura prorsus habeatur? Et, cur igitur hos ille sine Scriptura sacra nobiscum celebrat? Quod si scripta sunt omnia, quę creditu & obseruatu ad salutem necessaria, vt adeò nihil sit, præter nudam Scripturam sacram recipiendum, cur igitur ait D. Ioannes, Dominum Iesum alia multa fecisse, quæ scripta non sunt? Cur Christus iussit, Ecclesiam ac Præpositos Ecclesiasticos audiri? Cur iubet Tessalonicensibus Apostolus, vt traditiones eas teneant, quas non solùm per epistolam, sed etiam per sermonẽ acceperant? Cur laudat hoc nomine Corinthios, quòd Apostolica præcepta, quę viua voce tradita iam acceperant, sedulò custodirent? Cur deniq; Tessalonicenses hortatur, vt se ab omni fratre subtrahant, qui inordinatè, & non secundùm traditionem ab Apostolis datam, ambulat? Ergo non voluit Apostolus oppugnare traditiones, cùm

Absurdum 4. Absurdum 5. Absurdum 6. Absurdum 7. Absurdum 8. Ioan. 21. Matth. 18. 2. Tessal. 3. 2. Tessal. 3.

Galat. 1. ait (Si quis vobis Euãgelizauerit prętet id, quod accepiſtis anathema ſit) ſed ſtabilire. Nã traditiones non ſunt prętet id, quod acceperant, imò ſunt pars illius Euangelij, quod Apoſtolus pdicabat. Vnde quoq; ſicut ſuprà dictum eſt, aliquoties ac ſeriò prçcepit, vt traditiones obſeruarentur. Cauit autem his verbis Apoſtolus, ne Galatæ dogmata noua, vel priori Euangelio nõ conſona, ſed contraria (qualia ſunt noua Lutheranorum axiomata) ſuſciperent. Atq; vtinam hoc Apoſtoli decretũ noſtrates intelligerent & obſeruarent, nec tã citò transferri ſe paterentur in aliud Euangelium, quod nõ eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui conturbãt eos, & volunt conuertere Euangelium Chriſti. Vtinã, inq̃, omnes ſint firmi ac ſtabiles in via Dñi, nec ventilẽt ſe in omnẽ ventum, nec eant in omnem viam, nec profanas vocum nouitates admittãt; ſed antiquo, Apoſtolico veroq; Chriſti Euangelio ſic adhæreant affixi, ne vel latum ab eo quidẽ vnguem diſcedãt, quantumuis non dico, Lutherus vel Caluinus, ſed vel ipſe Paulus, vel etiã angelus de cœlo nouũ Euangeliũ prętet id, quod ab Apoſtolis anteà prædicatun, tot iã ſæculis in Eccleſia Dei viguit in ſalutem omni credenti, euãgelizare præſumeret.

Vide Vincent. Lyrinen: & D. Aug. tract. 98. in Ioan.

Galat. 1.

Eccleſiaſt. 5.

1. Timoth. 6.

Galat. 1.

TVBINGENSIS 127. *Quod ad ſucceßionem, & in ea legitimos Epiſcopos ordinarios loci attinet, carnalis hæc eſt, ex electione Carnalium & Canonicorum ſæpe irregularium, qua plerunq; eliguntur, qui nec fide, nec operibus ſectantur Apoſtolos, eorumq; doctrinã. Ideò nec Eccleſia ad illã alligata, cùm in ea D. Petrus magiſtros mendaces venturos, atq; lupos rapaces Apoſtolus Paulus Act. 20. imò Antichriſtum ipſum regnaturũ prædixerint, Saluator quoq; vanitatẽ hanc carnalem in Iudæis reiicit, dicens? Si filij Abrahæ eſſetis, vtiq; opera Abrahæ faceretis. Nunc autẽ facitis opera veſtri patris, qui eſt mendax & homicida.*

Ioan. 1.

2. Petr. 2.

2. Teſſal. 2.

Ioan. 8.

CATHOLICVS Hæc aſſertio, quemadmodùm meris ac pernicioſis contumeliis eſt pleniſsima, ſic contemnenda potiùs, quàm confutanda nobis venit. Et cùm aduerſarius præter Scripturam, nihil recipiendum aſſerat, eiuſmodi profectò tàm indignis conuitiis, nec ſeipſum occupare, nec alios ſic onerare debuit. Nã quæ Scriptura, quæſo, monet, vt ipſe vir priuatus, nulla pollens autoritate, nõ dico proximos, ſed maiores ſuos, Miniſtros Eccleſiæ, Succeſſores Apoſtolorum, & Chriſti Vicarios ita turpiter perſtringere, totq; calumniis afficere debeat ac poſsit? Quę docet

Aduerſarius præter Scripturam S. recipit conuitia.

docet item Scriptura, vt legitimam, canonicam, ordinariam, & literis sacris fundatam atq; confirmatam Episcoporum electionem petulāter traducere presumat? Allegat epist. 2. D. Petri contra Lutherum, qui aliquando eam non agnoscit, sed tāquam aprocrypham ac minimè canonicam reiicit, & perperā quidem eam allegat. Nā D. Petrus magistros mēdaces & Pseudoprophetas, non in Episcoporum ordinaria succesione, quemadmodùm aduersarius ait, sed manifestis verbis in populo fuisse, ac futuros esse prædixit, sicut & Paulus, lupos rapaces in gregem Christi venturos præmonuit. Quod etiam ex D. Ioanne producit, de filiis Abrahæ, præterquàm, quòd nihil ad præsens institutum facit, vt modò declarabitur, optimè retorquetur in ipsum aduersarium. Nam cùm ille defendat, opera nihil ad salutem facere, sed per solam fidem hominem iustificari & saluum fieri; certè non potest ille filius Abrahæ censeri, quippè, qui Abrahæ vilipendat opera. Aut si filios Abrahe censendos, sicut ait Christus, ex operibus Abrahæ iudicat, confiteatur necessum est, opera bona non parùm ad salutem facere, quippe, quæ certum de filiis Abrahæ testimonium perhibeant. Et quamuis Ecclesiastici Præpositi & Episcopi, nisi Abrahæ faciant opera, certè Abrahæ filij non sunt, quod attinet ad propriam ipsorum salutem, in qua damnum patientur propter defectum operum: Veruntamen nihilominùs sunt & manent Episcopi: & sicut retinent Ecclesiasticam potestatem ac iurisdictionem, quæ nō ab hominis merito, vel dignitate, sed à Dei commisione & ordinatione dependet, nec propter hominis peccata perditur, sed propter Dei mādatum integerrima manet; sic etiam propter ipsam potestatem vult Deus Episcopos manere, & audiendos & honorandos esse, scilicet, propter officium, quod Dei loco ac iussu sustinent, cùm præsertim salutarem doctrinam tradāt, licet eam ipsi nec digito quidem attingere velint. Vnde Christus ait: Super Cathedrā Moysi sederunt Scribę & Pharisæi: Oīa, quæcūq; dixerint vobis, seruate & facite; secūdùm opera verò eorū nolite facere. Dicunt enim, & nō faciunt. Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominū, digito autem suo nolūt ea mouere.

Aduersarius malè citauit Apostolorum dicta.

2. Petr. 2

Actor. 20.

Ioan. 8.

Aduersarij telum in ipsum retorquetur.

Abrahæ filij censentur ex operib9.

Matth. 23.

Episcopi licet mali in moribus, sunt tamen circa fidem audiendi.

Igitur si Christus Scribas & Pharisæos, licet peccatores, & impios homines, propterea tamen, quod super cathedram Moysi sederent, audiendos, & nullatenus contemnendos esse pręcepit, quantò magis idē intelligēdum & obseruandū est, de legitimis Episcopis & Ecclesiæ Præpositis, qui nō supra Moysi, sed supra Petri, quin & supra Christi cathedram sedent? Vnde perperàm in hoc agit aduersarius, quòd cum Donatistis ac Pickardis, propter aliquos abusus fortè Prælatorum, illorum potestatem & officium; quin etiam in vniuersum, fidem ac pietatem Catholicam, adeoque verum Dei cultum abiicere conatur. An verò, vel quo modo moderni Episcopi mores Apostolorum imitētur (quandoquidem constat, eos Apostolorum doctrinam retinere ac nobis proponere) non est nostrum curiosiùs inuestigare, plenisq; buccis, quod facit aduersari⁹, in publicū efferre,

Genes. 9.

cùm maledictus fuerit Cham, quòd Patris sui verenda, aliis cōspicienda monstrâsset: Et è diuerso benedicti sunt Sem & Iaphet, quòd ea nō solùm clausis oculis, & retrorsum euntes ipsi nollent aspicere, sicut verecundos & modestos filios decebat, sed etiā reuerenter contegerent, ne ab aliis videri possent. Sed esto, quod Episcopi pleriq; (quod ad ipsorum mores & vitam spectat) non se rectè semper gessissent, non tamen idcircò mox fidem ac veritatem Catholicam abiicientes, hæretici facti sunt. Nónne Caiphas, cùm esset homo flagitiosissimus, nihilominùs tamen prophetauit; expedire, vt vnus moreretur pro popu-

Ioan. 11.

lo &c. Quod non à semetipso dixit, scilicet quatenus erat homo peccator, sed quòd esset Pontifex anni illius? &c. Quòd si Caipham propria malitia non impediuit, quò minùs, propter Pontificatum, quem licet indignus tanq̃ Dei Vicarius gerebat, veritatē diceret, cur non idem aduersarius profitetur de Vicariis Christi, cùm illos prę Caipha longè certiores fidei constantis, ac duraturę perpetuò Catholicę veritatis ac Spiritus sancti,

Matth. 7.

promissiones habere nemo dubitet? Certè multi ꝓphetârunt, eiecerunt Dæmonia, multasq; virtutes in Christi nomine fecerunt, tanq̃ eius ministri (quales re vera fuerunt) quibus tandem respondebit Dn̄s: Quia nunq̃ noui vos (scilicet quod ad mores & vitam pertinet) Discedite à me, qui operamini iniquitatem.

Certè

Certè Pharisæi & scribæ peccatores erant, Herodis tempore, qui tamen, vbi Christus nasceretur, interrogati, rectè responderunt: In Bethlehem Iudæ &c. Quo rectè concluditur, peccata sacerdotum non impedire, quò minùs illi veritatem docere possint, licet eam opere non ipsimet compleant. Certè grauiter in Deum atque proximum suum peccauit Saul, quando Dauidem innocentem toties persequeretur & occidere vellet. Verùm his nō obstantibus, cùm venisset ad Cuneum Prophetarum, in quo Dauid erat, Prophetauit & ipse coram Samuele, cum cæteris, quòd factus esset super eum Spiritus Domini, cur igitur aduersarius noui Testamenti Sacerdotibus, quasi deterioris illi sint conditionis, idem non attribuit? Certè per asinam legitur Dominus aliquando locutus esse; quid mirum, si per peccatorem Sacerdotem, ratione ministerij nobis etiam loquatur? Certè Balaam Propheta Domini magno crimine Dominum offendit, quando pretio conductus populo Dei maledicere vellet: Veruntamen, cùm esset Propheta, non permisit Dominus, vt malediceret, sed effecit potiùs, vt maledictio, quam ille cogitauerat, in benedictionem populo cederet? Cur non idem est sentiendum de Catholicis Episcopis, qui licet fortè, non sancti, nec semper innocentes existant, nec Apostolorum mores sectentur, nobis tamen verba salutis annunciare ac salubriter Dei Sacramenta conferre possunt?

Matth. 2. 1. Reg. 19. Num. 22.

128. *Non igitur ad hanc Episcoporum in loco ordinariam successionem Romæ, est alligata Ecclesia, cùm in ea & Liberius fuerit Ariana hæresi infectus, & Anastasius 2. qui Acatio fauit hæretico, ideoq; excōmunicatus, & Iohanna Papissa; vt Pontifices Magos plurimos, & alia monstra taceamus.* TVBINGENSIS

CATHOLICVS

Quāuis Ecclesia non sit alligata loco, sicut nec Summus Pontifex sic alligatur vrbi quin extra Romam alibi residere possit, legitima tamen ab ipsa sede Apostoli Petri, cui pascendas oues Dominus, post resurrectionem suam commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum, in eadem nimirum fide fideique conformi Doctrina per Apostolos tradita, permanentium, est fuitq; semper euidens, infallibilis, & irrefragabilis Ecclesiæ cognoscendæ nota, qua Diuus Augustinus cæteriq; Patres Orthodoxi, non solùm in Ecclesia

Aug. contra epist. Manichæi ca. 4.

Romana constabiliti sunt ac stabiles permanserunt, sed etiam (tanquam inexpugnabili machina quadam) eandem Ecclesiam Romanam contra tot & tantos hæreticorum, Sectariorum, Schismaticorum insultus & impetus, ita strenuè propugnârunt, vt Ecclesia semper immota permanente, per illud nimirùm successionis præsidium, omnes illi quotquot vnquam fuerunt, tanquam puluis, quem rapit ventus à facie terræ perierint. Hinc Irenæus ait; EOS TANTVM EPISCOPOS AVDIENDOS, QVI SVCCESSIONEM AB APOSTOLIS HABEANT: CÆTEROS VERO (quales sunt hoc tempore Lutherani ac Sectarij) QVI DISCESSERINT A SVCCESSIONE QVOCVNQVE LOCO COLLIGANTVR SVSPECTOS VEL ETIAM HÆRETICOS ESSE CENSENDOS. Hinc Tertullianus his verbis aggreditur suorũ temporum hæreticos: Ostendant, inquit, ex qua autoritate prodierũt, edant origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinẽ Episcoporum suorum, edant originem Cathedræ suæ, confingant saltem aliquot de successione legitima. Sed neq; quod confingant, habent. Hinc suadet Origines, vt seruetur Ecclesiastica prędicatio, per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens tempus in Ecclesiis permanens, & vt illa sola credatur veritas, quæ in nullo discrepat ab Ecclesiastica traditione. Hinc Augustinus: Numerate, inquit, Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo Patrum, quis, cui successerit, videte. Ipsa est petra, quam nõ vincunt inferorum portæ &c. Et idem Augustinus alibi per ordinem recenset omnes Ecclesię Romanę Pontifices, vsq; ad Anastasium, & tandem addit: In hoc ordine nullus Donatista inuenitur. Hinc D. Athanasius, postquã ex Theognosto & Dionysio Alexãdrino probâsset, filium esse eiusdem essentiæ cum Patre, sic Arrianos alloquitur: Ecce nos quidẽ ex patribus ad patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstrauimus. Vos autem ô noui Iudęi, & Caypbę discipuli, quos tandem nominũ vestrorum potestis ostendere progenitores? Hinc Optatus denique cum enumerâsset omnes Pontifices à Petro vsque ad Syricium illius temporis Pontificem, tandem hac successionis

Iren. libr. 4. contra hæreses ca. 43.

Tertul. lib. de pręscript.

Origines in procemio περὶ ἀρχῶν.

In Principio 7. Tom videlicet in Psalmo cõtra partem Donati.

Epistola 165.

Athanasius in epistola de congruis verbis, quibus Synodus Nicana fidem contra Arianos exposuerit.

Optatus li. 2. contra Donatist.

ſionis nota, Donatiſtas aggreditur & oppugnat: VESTRÆ CATHEDRÆ, inquit, ORIGINEM REDDITE, QVI VVLTIS VOBIS ECCLESIAM SANCTAM VENDICARE. Quod autem aduerſarius ad labefactandam hanc ſucceſsionis notam Liberiū Arriana hęreſi dicit infectum fuiſſe, falſiſsimum eſt, vt certiſsimis Sanctorum Patrum & hiſtoricorum probatorum teſtimoniis abundè liquet. Nam ſi Liberius fuit Arrianus, quomodò D. Ambroſius illum beatum & Sanctum virum nominat, dū ait: Tēpus eſt, ſoror ſancta, beatæ memoriæ Liberij, præcepta reuoluere, vt quò vir Sanctior, eò ſermo accedat gratior? Ergóne D. Ambroſius Arrianum & hęreticum hominem beatum & Sanctum vocauit? Si Liberius fuit Arianus, cur Epiphanius illum beatum Epiſcopum, & Baſilius Magnus beatiſsimum, & Theodoretus Paſtorem longè præſtantiſsimum appellat? Et quamuis in Ariminenſi Synodo de ſuſcipienda hæreſi Arriana diu multumq; tractatum fuerit, ac multi decepti, ſubſcripſerint, Liberius tamen neque Synodo ſubſcripſit, neque eam approbauit: ſicut etiam illa contra voluntatem eius à Conſtantio Imper. congregata fuerat. Illud verò diffitendum non eſt, Conſtantium Imp. Arrianum, multa per ſe & alios cum Liberio tractaſſe, vt ipſa quoq; ſubſcriberet, tū Arrianę fidei, tùm depoſitioni Athanaſij: ſed maluit ille, ſubſtituto, nimirùm Felice ſecūdo, Pontificatui cedere, & in exilium ſpontè relegari, quàm Arrianam hæreſin amplecti, aut in præiudicium fidei Nicenæ, contra Athanaſium ſubſcribere, vnde quod Hieronymus ait ſubſcripſiſſe Liberium, id ſi verum eſt, contigit cùm Liberius Pontifex non eſſet, ſed in exilio iam viueret: nec ea, ſi qua fuit, ſpontanea, ſed vi minisque extorta ſubſcriptio fuit, vt ipſe Athanaſius teſtatur. Atq; hoc ſenſu tùm D. Hieronymi, tùm aliorum verba ſunt accipienda, quibus Liberium ſubſcripſiſſe commemorant, falſo rumore perſuaſi, quē impius Eudoxius & Aëtianæ hæreſeωs autores de Liberij ſubſcriptione, teſte Sozomeno, diſſeminauerant. Sed ad eam, calumniam depellēdam, eodem teſte, fidei ſuæ formulam edidit in exilio poſitus, in qua excommunicabat eos, qui Filium Patri ſubſtantia, & omnibus rebus ſimilem non aſſeuerarent.

Liberius purgatur aduersiis aduerſarij calū nias.

Ambroſius lib. 3. de virginibus.

Epiphani9 hæreſi 75. Baſil. epiſt. 74. Theodoretus li. 2. ca. 17.

Hiero contra Lucif. Socrates lib. 2. ca. 29. aliis 37. Theodor. lib. 2. ca. 22. Idem li. 2. c. 16 Sozomenus lib. 4. ca 10 aliis 11.

Damaſus in vita Liberij.

Athan. in epiſt. ad ſolitar. vitam agētes.

Ammian. Marcellinus ethnicus lib. 15.

Hieronym. in Cathalogo.

Athan. epiſtola ad ſolitariam vitam agentes.

Hieron in Cathalogo.

Sozom. lib. 4. c. 14. aliis 15.

Sozom ibidem. Socrat. lib. 2. c. 29. aliis 37. Theodoretus lib. 2. ca. 17. Sulpit. Seuerus sacræ hist. lib. 2. Socrates li. 4. c. 11. hist. tripar. li. 7. ca. 23. & 25. Sozom. lib. 6. ca. 12. Basil. epist. 74.

Sic cùm postea à Constantio (vel quòd ex falso rumore persuasus esset eum subscripsisse, vel, vt alij volunt, ad matronarum intercessionem, vel etiam ad sedandas populi seditiones, vt ait Sulpitius Seuerus) ab exilio reuocatus esset, & reuersus Romam, Pontificatum resumpsisset, semper & quantũ potuit hæreticis restitit, & confessionem Nicænæ fidei constãtissimè tenuit, vt historiæ testantur, & semper Catholicissimus est habitus. Nihil igitur per Liberium est læsa, sed integra, continua, & inuiolata nobis mansit Pontificum Romanorum successio, cùm etiam D. Augustinus eum inter legitimos & Catholicos Pontifices recẽsuerit. Similiter aduersarius, sicut & Gratianus, quem secutus videtur, errauit circa Anastasium 2. Pontificem pro Imp. accipiẽs, cuius etiã memoria damnata fuit. Nam quæ Anastasio Imperatori hęretico acciderũt, ea per errorẽ adscripta fuerunt Anastasio Pontifici, quem constat fuisse Catholicissimum. Et falsissimũ est, quòd Anastasius Pontifex Acatium ab antecessoribus suis damnatũ reuocare (vt dicunt) voluerit. Nam cùm Acatius vita defunctus fuerit, antequam Anastasius esset Pontifex, vt ex Euagrio constat, certè nõ potuit id agere, vt restitueretur. Imò constat Anastasium Pontificem per epistolam ad Anastasium Imperarorem datam, obnixè petiuisse; vt nomen Acatij, quod multis ex causis offendiculum Ecclesię concitauerat, taceretur. Quod nunquam ille fecisset, si cum Acatio, vel minimum in hæresi commercium habuisset. Nec aduersarius vllum antiquitatis testimonium de hęresi Anastasij 2. Pont. allegare potest. Sed planè mirum videtur, quod aduersarius manifestum de Iohanna scilicet Papissa fabulam, tãquam historiam probatam allegauerit. Ac nisi fabulam hanc absurdissimam, & post aliquot sæcula primùm confictã Onuphrius aliiq; plures doctissimi viri diligenter ac copiosè refutãssent, non esset difficilè certissimis probationibus eam cum assertoribus suis eliminare. Certum est nullum esse, nec vnquã fuisse Scriptorem probatũ, qui fabulam istam tanquam historiam asseruerit. Et quod Martinus quidem Polonus scriptor nõ satis illustris, post 500. tandem annos, ab eo tempore, quo Iohãnam illã vixisse fabulatur, de hac re narrat, & ex eo cæteri,

Error circa Anastasiũ commissus.

Paulus Diacon. in vita Anastasij Imperatoris. Itẽ apud metaphrastẽ mense decembr. in vita Sabæ Abbatis.

Euagrius lib. 3. ca. 23.

Fabula de Iohãna Papissa cõfutatur.

Onuphrius Panuuinus, in Annotationib. suis ad Platinæ historiam in vitam Ioannis 8.

id non

id non hausit ex aliquo probato scriptore, sed ex falsò quodam rumore, quem néc ipse tanquam verum commemorat. Rumore, inquam, quo id quod Constantinopolitanæ Ecclesiæ accidisse referebatur, tempore Leonis Noni (vt patet ex eius libello cōtra præsumptiones Michaëlis Constantinop. & Leonis Acridianorum Episcopi, ca. 23.) id falsò & per calumniam posteà ad Romanam Sedem deriuatum est. Narrat autem ille Polonus sicut ex rumoribus acceperat, illud Iohannæ factum anno 850. nimirùm inter Leonem & Benedictum Pontifices contigisse. Verùm hoc esse falsum probat Anastasius Bibliothecarius Romanus, qui tunc Romæ vixit & Pontificum electionibus interfuit, ac asserit interLeonem & Benedictum nullum alium intercesisse Pontificem, & cessasse Episcopatum dies 15. tantùm. Qui verò post Martinum Polonum hac de re scripserunt, nihil affirmârunt; rem tanquàm incertam, & ab autoribus obscuris profectam narrantes, cùm præsertim factum eiusmodi, quod in publica processione contigisse nugantur, latere nullo modo potuisset, quin illicò per totum orbem terrarum fuisset diuulgatum. Aiunt Commentatores illi, Ioannem Moguntiæ in Anglia fuisse oriundam, cùm tamen Anglia nullam habeat Moguntiam. Aiunt eam Athenas studiorum caussa profectam, cùm eo tempore nullum Athenis studium fuerit, Vniuersitate Atheniensi nimirùm à Carolo Magno Parysios translata, aiunt denique, (ne cæteris eorum commentis recensendis sim prolixior) illam Iohannam fuisse electam in Papam, cùm anteà, nec Cardinalis, nec Episcopus, nec Sacerdos quidem fuisset. Quo tempore constat fuisse Cardinales, ex quorum Collegio Pontifices eligi consueuerunt. Verùm vt detur, id esse factum, quid inde, quæso, contra præsens institutum sequetur? Cùm enim talis error non iuris, nec fidei, nec religionis, sed tantùm esset facti, qui quidem error potest etiam in sapientiss. quosque viros cadere, nullum certè præiudicium adferret fidei ac religioni Catholicæ, vel Apostolicæ Sedi, sed omnia perinde processissent, ac si toto illo biennio Sedes vacâsset. Nec vllus vnquam Pontifex Romanus in iis quæ facti sunt, sic errauit, quin mox alij Pontifices Romani sese

velut muros oppofuerũt pro fidei veritate & domo Dei. Adeò femper fponfæ fuæ Chriftus adfuit & aderit perpetuò, ne pofsint aduersùs eam inferorum portæ præualere. Quòd autem aduerfarius ait, Pontifices plurimos fuiffe Magos, eft mera calumnia, quam ille nunquam probauerit. Ac licet probari poffet, nihil tamen hinc legitima Sacerdotum fucceſsio læderetur, cùm ea, ficut nec Ecclefiaftica poteftas & iurisdictio, nõ ab hominum peccatis fed ab ordinatione diuina dependeat, vt fuprà copiosè demonftratum eft. Vnde D. Auguft. probat huic fucceſsioni nihil obfuturum, etiamfi Iudas aliquis in eam irrepfiffet. Quod autem de Syluеftro II. pleriq; fcribũt, id effe falfißimum facilè conuincitur manifefto teftimonio Blondi, qui fic ait: Nullus fcriptorum affirmare dubitat Syluеftrum fecũdum literis moribusq; ornatißimum fuiffe; vt nihil dicatur de Onuphrio, qui in fuis etiã Annotationibus in Platinam declarat, illud de Syluеftro falfum effe commentum.

In confutatione 127. Affert.

Epiftola 165.

TVBINGENSIS 129. *Sicut nec fucceſsio in loco confiftit. Non enim filij Sanctorum funt, qui tenent loca Sanctorum, fed qui faciunt opera eorum. Sicut nec Cathedra Sacerdotem facit, fed Sacerdos Cathedram. Non locus fanctificat hominẽ, fed homo locum. Hieronymus alibi inquit: Non omnes Epifcopi, Epifcopi; Attendis Petrum, fed & Iudam. Stephanum fufpicis, fed & Nicolaum refpice, quem Dominus in Apocalypfi, fua damnat fententia. Idem, auferet Dominus nomina vanæ gloriæ, & admirationis. Sed & nomina Sacerdotum cum facerdotibus, qui fruftrà fibi applaudunt in Epifcopali nomine, et in presbyterij dignitate, & non in opere, vnde fignanter non ait, & opera Sacerdotum cum Sacerdotibus, fed nomina; qui tantummodò falfa nomina præferunt dignitatum, & malis operibus fua nomina deftruunt.*

Chryfoftom. Hieron.

CATHOLICVS Nemo Catholicus fomniauit vnquam, fucceſsionẽ in loco cõfiftere, vel, eos effe filios Sanctorum, qui loca Sanctorum occupant, vel à Cathedra facerdotem, ac non è diuerfo Cathedrã à facerdote fieri, vel deniq; à loco hominem, & non potiùs ab homine locum fanctificari. Quarè nihil ad rem illa faciũt. Nec quicquam aduerfatur nobis Diui Hieronymi fententia: Non omnes Epifcopi, Epifcopi. Quæ profectò fententia iuxta mentem aduerfarij, qui negligẽtes ac fcandolofos Epifcopos, fimpliciter pro Epifcopis non agnofcit, manifeftam implicat cõtradi-

traditionem. Nam contradictoria sunt, dicere ex omnibus, qui sunt Episcopi, re vera aliquos eodem sensu Episcopos non esse. Vt igitur sanũ hęc verba sensum habeant, velit nolit, cogetur aduersarius nobiscũ Episcopos distinguere, nimirùm non oẽs, q vocatione, ordinatione, officio, potestate, & iurisdictione veri sunt Episcopi, meritis quoq; Episcopos esse, quib' tantę functioni respõdeant aut satisfaciant. Est igitur aliud; verum ac legitimũ Episcopum, aliud verò, bonum, sanctũ, pium, ac zelosum Episcopum esse. Et quoniam aduersarius officium ac potestatem Episcoporũ cum eorum moribus ac vita malè cõfundit contra sententiã Christi, qui præcepit, vt etiam Episcopos malos audiamus, non tamen eorum opera sequamur; idcircò, sicut in præcedentibus est dictum, in VValdensium errorẽ grauiter impingit, vt ꝓpter hominis peccatum, officium ac potestatẽ ordinatione diuina homini datã, mox perire credat. Eodem planè modo cogetur fateri, si contingit Imperatores, Reges ac Principes peccare, mox eos nõ ampliùs esse tales, sed omni Imperio, Regno Principatu, Potestate, Iurisdictione priuatos esse, quo nihil absurdius cogitari potest. Neq; verò nos, sicut ille putat, succeßionẽ, quasi Carnalem in Episcoporum personis tãtùm, moribus, aut vita, sed in Catholica fide, quę est in illorũ personis per Spiritum sanctũ electis, collocamus ac tuemur. Quod verò subiungitur sub calcem assertionis; (signãter non esse dictum, & opera Sacerdotũ cum sacerdotibus, sed nomina, qui tantummodò falsa nomina præferũt dignitatũ &c.) id optimè quadrat in Lutheranorũ sacerdotes, seu ministros, qui cùm nec sacerdotes, nec veri ministri sint, falsa nomina Sacerdotum ac Ministrorum præ se ferunt, quæ simul cum ipsis & ipsorum operibus interitura sunt. Secus agitur cum sacerdotibus Catholicis, sed discolis & peccatoribus, quorum licet opera mala cum ipsis, non tamen sacerdotum nomina perire possunt, quòd sacerdotij character sit indelebilis.

Aduersarij contradictio.

Matth. 23.

Potestas nõ amittitur propter peccatum.

130. *Porrò, quòd Patres tantum Episcoporum suo tempore succeßioni tribuerunt, vt vel hoc Argumento hæreticos conuicerint, non tamen factum est. Præterquam enim, quòd tùm in plerisq; Ecclesiis Doctrina Apostolorum sonabat incorrupta; negotium erat illis, cum hæreticis, qui partim per-* TVBINGENSIS

 tentosos

tentosos errores spargebant quos ad Autores magni nominis referebant; partim verò Scripturas quasdam sacras non recipiebant, quasdam corruptas asserebant. Sicut referunt Iren.lib.4.cap.43.44. & D. August. Hic rectè ad Ecclesias ab Apostolis plantatas prouocabatur, à quibus asseruabantur studiosè authentica & originalia Apostolorum scripta, cura & diligentia mutuò sibi succedentium Episcoporum, quæ ab Apostolis bona fide per manuum traditionem acceperant. Sicut à Concilio Chartaginensi Sexto, Cui & idem August. interfuit; cùm Pontifices Romani crimine falsi admisso, primatum sibi in Concilio Niceno datum super omnes Ecclesias assererent, ad originalia, quæ seruabantur à Constantinopolitano, Alexandrino, & Antiocheno Archiepiscopis, est prouocatum; vt apud illos archiua inspicerentur. Sed quid hæc ad Romanenses? qui nihil syncerum relinquentes, omnia corrupistis, innumera addidistis contra Scripturam sacram.

NOTA benè.

CATHOLICVS

Tandem agnoscit ac fatetur nobiscum aduersarius, non temerè factum esse, quòd Patres olim Episcoporum successioni plurimùm tribuerint, cùm per eam hæreticos conuicerint, ac Scripturas etiam veras à falsis ac surreptitijs discreuerint. Itaque si fuit olim tanta vis & autoritas (sicut verissimè fuit) in legitima successione Sacerdotum, vt per eam antiqui Patres hæreticos conuincere, profligare Sectas, veram Ecclesiam cognoscere, tueri ac conseruare Catholicam ac puram Christi Doctrinam, potuerint, quid, obsecro, prohibet, quò minùs id quoque nunc fieri possit ac debeat? Cur hæc tempora nostra, quàm maiorum nostrorum sæcula, deterioris conditionis erunt? Cur non eadem nunc successionis, quæ fuit olim, vis & autoritas erit, cùm præsertim integra, inuiolata, inuariataque successio nobis in hodiernum vsq; diem diuino munere permanserit? Nam quemadmodùm D. Augustinus ordine potuit omnes Pontifices Romanos, seruata continua successione, vsque ad Anastasium sui temporis Pontificem recensere: Ac sicut Optatus Mileuitanus omnes item enumerauit vsque ad Syricium Pontificem; sic nos ab Apostolo Petro (Deo laus) omnes omnium sæculorum Pontifices Romanos, quis, cui successerit per ordinem, successione nunquam mutata vsque ad modernum Gregorium XIII. enumerare possumus. Et quoniam id, quod loquor, his etiam nostris temporibus quidam doctissimi

De visibili Monar: Ecclesiæ lib. 7.

ſimi viri, Nicolaus Sanderus, Gabriel Prateolus, Pontacus, Onuphrius, alijque plures abundè bonaq; fide præſtiterunt, nec tàm prolixa tractatio poteſt huc inſeri, ad prædictos autores Lectorem hac in parte remitto. Aliòqui, niſi ſucceſsionis huius præſidium nobis integrum & inuiolatum vtique maneret, profectò de vera Chriſti Eccleſia, de Catholica Doctrina, deq; religione tota, pridem fuiſſet actum. Quòd autem aduerſarius ait, Pontifices Rom. in Concilio Carthaginenſi Sexto, crimen falſi commiſiſſe, Profectò, dum hoc falsò dicit, ipſe præter tàm inſignem iniuriam Pont. Rom. illatam, crimen falſi committit. Nam illud falſi crimen, non à Roman. Pont. ſed ab Arianis commiſſum fuiſſe, luculenter explicant & probant Athanaſij ac Marci Pontific. & Felicis Epiſtolæ, quibus illi declarant non tantùm 20. ſed 70. Canones à Concilio Nicæno fuiſſe editos, eosque ab Arianis partim combuſtos, ſicut à Luthero Ius Canonicum ad Arianorum imitationem flammis traditum eſſe conſtat, partim mutilatos. Ac proinde Africani illi integros Nicænos Canones & vera originalia non à Conſtantinopolitana Eccleſia, Alexandrina, aut Antiochena in quibus dominati fuerant Ariani, ſed D. Athanaſij & Ægyptiorum Epiſcoporum exemplo, à Romana Eccleſia petere debuiſſent, vbi cum fide Nicæna Canones Nicæni Concilij integri & incorrupti, teſte Iulio Sum. Pontif. aſſeruabantur. Quòd ſi crimen falſi admiſerunt illi Rom. Pontifices: cur non eiuſdem criminis reos agit aduerſarius Euſebium, Socratem, Theodoretum, Iulium, Damaſum, Ambroſium, Auguſtinum & plures alios, qui multorum decretorum Nicenæ Synodi mentionem faciunt, quæ inter 20. Canones qui tum circumferebantur, & etiamnum habentur, non reperiuntur? Sed hac de re latiùs Catholici ſcriptores pertractârunt, & tùm Caluino tùm alijs reſponderunt: ad quorum ſcripta Lectorem remitto. Illud porrò mirum eſt, quod ait, Romanenſes nihil ſyncerum reliquiſſe, ſed omnia corrupiſſe, & innumera addidiſſe contra Scripturam ſacram. Et hæc eſt manifeſta calumnia, quam aduerſarius infert non ſolùm Romanis Pont. in quibus ne vnum quidem alicuius falſæ doctrinæ, quam Eccleſiæ tradidiſſent, vel leuiſsimum

Aduerſari⁹ crimē falſi committit.

Tomo 1. Concil. Athanaſ. ad Marcium & ad Felicem Pont. et cōtra.

Iulius ad Conciliabulū Antioch. ſiue ad Orientales Epiſc.
Euſeb. li. 3. de vita Conſtantini.
Socrat. li. 1. ca. 5. & alijs 8. & 1.
Theodor. li. 1. c. 9.
Iulius in epiſt. ad Orientales.
Damaſ. in vita Syl.
Ambroſ. epiſt. 82.
Hieron. in præfat. Iudith, & ad Oceanum.
Aug. epiſt. 110. li. 2. de bap. ca. 9.

CATHOLICVS Hac assertione frustrà conatur aduersarius Primatum Petri & visibilem Monarchiam Ecclesiæ militantis euertere, quando nullam illi præ cæteris prærogatiuam esse concessam ait; sed quòd illi Dominus oues pascendas commendauerit, id ob ternam negationem, qua grauiùs, quàm cæteri, lapsus fuerat, esse factū, vt cùm esset restitutus & erectus, oues Domini, sicut anteà, pasceret &c. Nam si Petrus Christo adhuc præsente, ac pascente suas oues, sicut nullam habuit commissionem generalem, qua pasceret gregem Domini, sic pascere neque potuit; quomodò potest hoc Christi præceptum: Pasce oues meas, &c. quod ad tempus futurum pertinebat, maximè quando Christus ascendisset in cœlum, ad tempus præteritum referri, cùm anteà Domini gregem ille non pauerit, nec vllam illius pascendi commissionem habuerit? Itaque cùm Dominus IESVS paulò ante suum ex hoc mundo discessum Petrum tanquàm supremum & generalem suum in terris Vicarium constituens, illi soli peculiariter & seriò, tribus nimirùm vicibus mandauerit, vt oues, scilicet, omnes etiam cæteros Apostolos tāquàm inferiores Episcopos pasceret, (quod & aliis Christi verbis satis declaratur: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos) profectò magnam Apostolici primatus & Ecclesiasticæ iurisdictionis prærogatiuam prę cæteris Apostolis Petrus accepit; Quam prærogatiuam sæpiùs & pluribus locis in Petro Dominus declarauit. Neque enim frustrà super hanc petram ædificare voluit Ecclesiam suam, addita hac promissione: & portæ inferorum non præualebunt aduersùs eam, &c. Et hanc efficacem esse promissionem res ipsa loquitur, cùm aliorum Apostolorum Ecclesijs iampridem collapsis solius Petri primatus in Ecclesia Romana (quam ipse Doctrina, vita, morte & sanguine consecrauit) contra grauissimos & infinitos tot Tyrannorum hæreticorum & sectariorum insultus & impetus, semper inconcussus & immotus permanserit? Nec frustrà Christus peculiariter orauit pro fide Petri, ne deficeret, sed vt illa perpetuò in Ecclesia Catholica, præsertim in successoribus eius duraret. Nec frustrà Dominus pro se ac pro Petro tanquàm Vicario suo, qui nomine cæterorum ageret, tribu-

Ioan. 21.

Bernard. lib. 2. de consideratione.

Lucæ 22.

Matth. 16.

Luc. 22.
Matth. 17.

Matth. 10.
Marc. 3.

tributum solui iussit. Nec frustrà primum ac principem locum obtinet Petrus, quandocunq; Apostolorum nomina recensentur. Vnde sic quoque statuit Concilium Nicænum: Vt autem cunctis ditionis suæ nationibus imperat Patriarcha & leges indicit, & vt à principio Petrus Christi Vicari⁹ religioni, Ecclesiis, cæterisque ad Christum rebus pertinentibus præfectus Principum Christianorum, Prouinciarum & omniũ gentiũ Dominus & rector erat; ita ille cuius Principatus Romę est, Petro similis & autoritate par, Patriarcharum omnium dominatũ & Principatum obtinet. Huic sanctioni si quis repugnauerit & obsistere ausus fuerit, totius Synodi decreto, anathemati subiicitur. Quô pertinet, quod Sozomenus refert ex Iulij epistola antiquam Ecclesiæ regulam esse, quæ statuit, ne præter Romanæ sedis autoritatem rata sint Concilia, & quòd Cyprianus Romam asserit esse, radicem & matricem Ecclesię Catholicæ, & quòd Iræneus reliquas omnes Ecclesias ad exemplum Ecclesiæ Romanæ reuocat, propter principaliorem potestatem. Verùm non hîc addam plura, cùm de prærogatiuis ac primatù Petri, sat multa doctissimaq; Catholicorum Scriptorum extent volumina; nec sit instituti nostri, controuersias eiusmodi ex professo nũc pertractare. Quod autẽ ait aduersarius Apostolos cæteros à Christo quoq; in totũ orbem terrarũ ablegatos fuisse, & quòd Paulus plus cęteris laborauerit, nihil hæc probant, Apostolos cæteros Petro tanquam supremo Vicario subiectos non fuisse. Quę postremò subiungit, mera sunt conuitia, nec ad Ecclesiam Romanam, quicquam pertinent.

Concilium Nicænum Dilingæ editum Canone 44.

Li. 3. ca. 9. aliis 10.

Lib. 4. epist. 8.

Lib. 3. ca. 3.

TVBINGENSIS

133. *Quòd vero Iesuita, nouorum dogmatum nouos & plures magistros nos vocat, nosmetipsos à mystico Christi corpore resecantes, aliudque populo Euangelium prædicantes: antiqui serpentis sibilum agnoscimus, feminis promissi calcaneum petentis. Hæc enim conuitia cum Christo, eius Apostolis, primitiuaq; Filij Dei Ecclesia communia nobis sunt. Nouam enim hi quoq; doctrinam afferre dicuntur: Cùm tamen minimè nouam, sed vetustissimam omnium, Maiorum autem Traditionibus & corruptelis obscuratam, & deprauatam renouarent. Mirum igitur non est, si Pharisæis & Scribis istis, nostra quoque noua videatur doctrina, qui neglecta, & damnata iam ab eis veteri & vera Catholica, & Apostolica Ecclesia, Prophetarum dico, &*

Marci 1.

Actor. 17.

 Aposto-

Apoſtolorũ doctrina;aliam,diuerſam,ac planè contrariã ab illa,inuexerunt. Nos certè nihil ab ea nec nouũ,nec alienũ afferimus. Aut doceat id aduerſarij & probent,ſi modò poſſunt,quod dicunt. Si .n.accuſaſſe ſufficiat, quis erit innocens? Ipſos verò nouitatis cùm in religione,& cultibus,tùm etiam in doctrina, præterquam quòd fide dignæ conuincũt hiſtoriæ, & res loquitur ipſa: nos quoq; peculiari diſputatione in hoc argumẽti genere edita,planũ fecimus.

Diſputat.de veteri & noua religione.

CATHOLICVS

Hæc aſſertio tria rerum genera complectitur: quorum primum conſumitur meris contumeliis,& calumniis, quibus aduerſarius more ſuo contra manifeſtum Dei Verbum; imò contra ſuam ipſius doctrinam(quippe quæ præter Scripturam ſacram nihil admittit)Catholicos Dei ſeruos perſtringit,onerat, inſequitur, ac prægrauat. Catholicam veritatem, calumniatur antiqui ſerpentis ſibilum: Orthodoxos patres,vocitat phariſæos & ſcribas. Maiorum traditiones, corruptelis facit ſimiles,ſe ſuoſq; cõplices cum arbitrariis ipſorum documentis,quæ ſubinde variant & mutant, ſemẽ promiſſum (neglecto Chriſto) vocat. Vnde pius lector facilè perſpexerit, quemadmodùm angelus Satanæ ſeſe nouerit in Angelum lucis transformare. Secundo rerum genere non diffitetur, ſed agnoſcit ipſorum doctrinam idcircò nouam eſſe (licet aliôqui ſit vetuſtiſsima) quòd eam Maiorum traditionibus, ſicut ait, & corruptelis obſcuratam renouauerint. Profectò,ſi licet verum dicere, renouârunt illi non veram Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, quæ nunquam obſcurata, nec corrupta fuit, ſed veteres peſsimorum Sectariorum iam olim damnatas hæreſes, renouârunt,inquam, & ab inferis reuocârunt. Atq; vt id lector veriſsimum eſſe videat, Manichæi negârũt olim publicum ſacrificium, ſolas orationes admittentes. Et quamuis hæreſis illa tot iam ſæculis extirpata fuerit, à Lutheranis tamen & Caluiniſtis nuper ab inferis reuocata videtur, cùm nec illi publicum Miſſę ſacrificium agnoſcere volunt. Sic iidem Manichæi ſuſtulerunt Auguſtino teſte, libertatem arbitrij, & omnia, quadam neceſsitate fieri cum Simone Mago docuerunt: Quæ quidem hęreſes, licet ab Eccleſia damnatæ fuerint ac penitus iam olim euanuerint, à Luthero tamen, & eius, non promiſſo, ſed corrupto ſemine, reuocatas eſſe videmus, vt conſtat cùm ex aliis illorum

2.Cor.11.

Aug.lib.20.contra Fauſtum Manich. ca.18.

Hæreſis Manichęorum à Lutheranis renouata.

Aug.li.de hæreſib. hęreſi. 46.& in lib. contra Fortunatũ Manichæum.

illorum ſcriptis, tùm à Lutheri libro, quem de ſeruo hominis Arbitrio compoſuit. Idem Simon Magus, Iræneo teſte, negabat, homines ſaluari ſecundùm operas iuſtas; nónne Lntherani & Caluiniſtæ turpiſsimā hanc hæreſin totiam ſæculis damnatam, noſtro hoc tempore reſuſcitārunt, quando credentes in Chriſtum per operas iuſtas ſaluari pernegant? Sic olim quidam Pſeudoapoſtoli docebant ad ſalutē ſolam fidem ſufficere. Contra quos Petrus, Iacobus, Ioannes, Iudas & Paulus ſcripſerunt, vt autor eſt Auguſtinus, li. de fide & operib. c. 14. & de vnico baptiſmo, contra Petilianos ca. 10. Sed nónne Lutherani & Caluiniſtæ reſuſcitârunt illam hæreſin, quando ſolam fidē ſufficere clamitant? Sic quidam hæretici, ſub Ignatij ætatem, negabant in Euchariſtia carnem eſſe Chriſti in qua pro nobis eſt paſſus, vt refert Theodoretus; nónne Zuingliani & Caluiniſtæ hoc ipſum turpiſsimè negant? Sic olim fuit alia craſsiſsimaq; Quintilianorum ſiue Bepuzianorū hęreſis, quæ tradebat, mulieres eſſe Sacerdotes & Epiſcopos, ſicut ex Epiphanio cōſtat: At nónne Lutherani noſtris his temporibus illam tot ſæculis damnatam hęreſin ab Orco reuocârunt? Iam olim anathematizatus eſt error Seleucianorum, qui docebant homines abſq; baptiſmo aq́ ſaluari poſſe, ſicut ex D. Auguſtino colligitur: At, nunquid non eam his temporibus, quidam renouârunt? Meſſaliani cum Proclo, ſicut Epiphanius, Theodoretus & Euthymius teſtantur, abſurdiſsimā hæreſin, quam Eccleſia poſtmodùm damnauit, paſsim ſeminârunt; nimirùm in ſacro baptiſmate non tolli, ſed tantùm abradi peccata, ne poſsint hominibus imputari; nónne docent idem Lutherani? Petrobruyſsiani reiecerunt olim ſacrificium Miſſæ, tanquam ſuperſtitionem vel etiam idololatriā: Ecquid aliud Lutherani, quæſo, faciunt, quando tam peſtilentem hæreſin tot iam ſæculis apud inferos ſepultam, & ab Eccleſia damnatam, nō ſolùm renouârunt, ſed etiam rudioribus indies ſupra modum inculcant? Vigilantius & Iconoclaſtę voluerūt Sanctorū reliquias & imagines, adeoq́; omnem eorum venerationem abrogare, ac penitus Chriſtifidelibus inuiſam ac odioſam reddere, imitātes Iulianum Apoſtatam, qui Chriſti ſtatuā, autore Sozomeno, deiecit. Et quāuis

Irenæus li. 1. c. 20.

Hæreſis Pſeudoapoſtolorum à Lutheranis renouata.

Theodore. dial. 3. hæreticarū fabularum dialogo 3.

Hęreſis Quintilianorum à Lutheranis renouata.

Epiphan. hær. 49. & Aug. hær. 27.

Hæreſis Seleucianorum à Lutheranis renouata.

Auguſt. hæreſ. 59.

Hæreſis Meſſalianorum à Lutheranis renouata.

Epiphan. hær. 64. Euthymius in panopli tit. 22. Theodor. lib. 4. de hæreticorum fab c. 14.

Hæreſis Petrobruyſsianorum à Lutheranis renouata.

Petrus Cluniacenſis libro de Sacrif. Miſſæ.

Hæreſis Vigilantij & Iconoclaſtarū à Lutheranis renouata.

Hier. contra Vigilantium.

Nicęna Synodus ſecunda.

Sozom li. 5. ca. 20. aliis 21.

hic error tanquã phanaticus reiectus ac damnatus ab Ecclesia fuerit, constat tamẽ eũ à Lutheranis ac præsertim Zuinglianis hoc sęculo nostro resuscitatũ adeò reuixisse, vt apud eos in tẽplis nullę Christi quidem imagines ampliùs, nedũ Sanctorum apparcant. Aëriani & Armeni, quod Augustinus & Damascen⁹ testantur, docuerunt olim pro fidelibus vita defunctis orandũ nõ esse: Quę licet hęresis ante plurima sęcula fuerit ab Ecclesia damnata; nuper tamen à Lutheranis ita renouata est, vt hac in parte nihil Aërianis & Armenis illi cedere videantur. Iouinianus, Hieronymo teste, Ecclesiasticum ieiunium, cœlibatum & nobilissimum virginitatis decus & ornamẽtum calumniatus est: verùm nónne Lutherani plus satis istas hęreses hoc tẽpore renouârũt? iidem Aëriani (sicut Epiphanius refert) tàm statos ieiuniorum dies, quàm omnem ciborum delectum ab Ecclesia præscriptum olim reiecerunt, prætextu nimirũ Euangelicæ libertatis; nónne docent & faciunt idẽ Lutherani, tàm perniciosas hęreses olim sopitas hoc tẽpore renouantes? Lãpetiani, Damasceno teste, piorum hominum vota Deo facta, tanquam inuẽtiones humanas dissoluebant, omnẽ Monachis libertatẽ permittentes: Qui licet crassissimus error, multis ante sæculis anathematizatus fuerit, nónne tamen hac nostra tempestate à Lutheranis est renouatus. Postremò, ne pergam cęteras hæreses ab ipsis resuscitatas commemorare, Donatistę olim sacrum Chrisma reiecerunt, subuerterunt altaria Domini, & clamitârunt: Catholicam & Romanam Ecclesiam tanquam in fide fideiq; doctrina deficientem & erratẽ, seu erroneam esse, propterea quòd ipsorum hæreses eliminaret; sed nónne hoc tempore Lutherani hæc eadem faciunt? Quoties hic aduersarius, vt nihil dicam de cæteris, Catholicam, Apostolicam & Romanam Ecclesiam his assertionibus suis tanquam erraticam & Antichristianam damnauit? Et quando damnauit, quid fecit aliud, quàm quòd Donatistarum hæresin renouatam voluit? Ecce veterem doctrinam Lutheranorũ ex vetustissimis ac fœtidissimis antiquorum hæreticorum lacunis haustam, ac perbellè hoc tempore renouatam. Igitur si Manichæorum, Eunomianorum, Quintilianorum, Seleucianorum, Messalianorum,

Hæresis Aërianorum & Armenorum à Lutheranis renouata. Augu∫t. hæresi 53. Damascenus libr. de hæresi.

Hæresis Iouiniani à Lutheranis renouata. Hieronym. contra Iouinian.

Hæresis Aërianorum alia à Lutheranis renouata. Epiphanius hæresi 75.

Hæresis Lampetianorũ renouata. Damascenus libro de hæresibus.

Hæresis Donatistarum à Lutheranis renouata. Optatus lib 6. August. de vnitate Ecclesię cõtra Donatistas, & passim.

rum,Nouatianorum, Petrobruysſianorum, Vigilātianorum, Iconoclaſtarum, Aërianorum, Iouiniani, Lampetianorum, Donatiſtarum & ſimilium hęreticorum errores damnati cenſeri debent Apoſtolica dogmata, poterit aduerſarius gloriari, quoque ſuam & Lutheranorum doctrinam Apoſtolicam eſſe. Verùm, ne tertium excidat nobis rerum genus, quo pręcedenti aſſertione Catholicos aduerſarius nouitatis arguit, quaſi doctrinam, religionem, & cultum Dei mutauerint. Vnde illis infert iterum nouam iniuriam & inſignem calumniam, quam nec ipſe, nec quiſquam alius vnquam probauerit. Nec attinet, vt hoc loco profundamus iterum multa verba, quandoquidē in præcedentibus aliquoties, & ad longum demonſtratum eſt, à temporibus Apoſtolorum per omnia ſubſequentia ſæcula fuiſſe ſemper eandem fidem, doctrinam & religionem, quam in Eccleſia Romana his etiam noſtris temporibus paſsim eſſe, & vigere cernimus. Adeò nihil vnquam in ſubſtantialibus ſeu dogmatibus fidei mutatum eſt, cùm nec veritas poſsit mutari, ſed res ſit vniformis, quæ ſibi perpetuò ſimilis maneat, licet interim, quæ ad cæremonias vel ad mores ſpectant, nōnunquam rectè mutata ſint, vt ſuprà dictum eſt, quando diſcrimen inter verum & bonum explicaretur.

In confutatione aſſert. 12. & 81.

TVBINGENSIS

134. *Quarè cùm Pōtificia Rom. Eccleſia, ſyncerā verbi Dei, hoc eſt, Scripturæ ſacræ Apoſtolicæ doctrinam corruperit, impiamq́ ſonet aliam; Similiter & Sacramēta mutauerit, mutilauerit, inq́ue, alium prorſus vſum, quàm à Chriſto ſint inſtituta, conuerterit: & ſic ab Apoſtolis alienam, prorſus etiam contrariam in Eccleſiam inuexerit doctrinam, Idolomaniam multiplicem inſtitueri, homines mortuos inuocans, pios doctrinæ cæleſtis Profeſſores crudeliſsimè perſequatur? mandato Chriſti cauere nobis à Pſeudoprophetis, & fugere ab Idolorum cultu atq́ cultoribus illis, et à Babylone exire, ab Apoſtolis eius iubemur, Eccleſiamq́ue malignantium, & Satanæ Synagogam deſerere.*

CATHOLICVS

Iterum aduerſarius ingratam & impiam cantilenam nobis recantat, quòd Eccleſia nimirùm Pontificia, ſyncerā Scripturæ ſacræ doctrinam corruperit, Sacramenta mutauerit, mutilauerit, & in alium vſum conuerterit, adeoque multiplicem exercuerit Idolomaniam &c. Sed quoniam hæc mera cōuitia ſunt, quæ pro libidine ſua, vt ſolet aduerſarius, euomuit,

 & nos

& nos in præcedentibus contrarium euidenter ac sæpè demōstrauimus, pluribus Lectorem hoc loco non onerabimus. Insuper ex iis, quæ dicta sunt hactenus, manifestè constat, ea, quæ Catholicis obiicit aduersarius, in ipsos Lutheranos aptissimè quadrare, cùm illi non solùm Scripturas corruperint, & nonnullas pro arbitratu suo reiecerint, sed etiam idololatriā meram apud suos inuexerint iuxta verissimas Diui Augustini & Vincentij Lyrinensis superiùs allegatas sententias. Similiter non Ecclesia Catholica, quod falsò dicit aduersarius, mutilauit Sacramenta, cùm semper agnouerit & nunc etiam retineat & profiteatur & exerceat septem Sacramenta, prout à Christo sunt instituta: & Sacramentum Eucharistiæ, vel sub vna vel sub vtraque specie, sicut id magis fidelibus expedire videbatur, tā Apostolorum temporibus, quàm aliis postmodùm sequentibus sæculis dispensauit, pro ea quidem potestate, quam in cæremonialibus cultibus, ac ritibus adiaphoris ritè disponendis & ordinandis, à Christo sibi datam habet. Quod autem aduersarij miserrimè truncârint ac mutilârint Sacramenta, vel hinc manifestum euadit, quòd eorum aliqui duo, pleriq; tria, nonnulli quatuor, alij plura, vel pauciora Sacramenta recipiant. Vnde tàm Christo ipsi, quàm eius Sacramētis, quæ sunt ab ipso ad salutem nostram instituta, dum ea reiiciunt, insignem faciunt iniuriam, & ipsi, nec in Sacramentis, nec aliis fidei mysteriis quicquam firmum, aut stabile, sed omnia cōfusa ac perturbata habent. Ac ne pii fideles iisdem illorum confusionibus inuoluantur, Apostolico mandato iubentur exire à Babylone, & à Pseudoprophetis, & idolorum cultoribus cauere, Ecclesiamq; malignantium, & Satanæ synagogam deserere &c. Hæc ita videbantur in aduersarium regerenda, quòd magis ipsi suisque complicibus, quàm hominibus Catholicis conuenirēt. Quòd autem Sanctos Dei cœlesti iam beatitudine cū Christo fruentes, homines mortuos vocat; & hæc grauis est calumnia, quam non solùm his verbis Sapiens: Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace: sed etiam ipse Christus abūdè confutauit, cùm Sadducęis respondit; Deum non mortuorum, sed viuorum esse Deum; vt nihil dicatur de Iacob Patriarcha,

Ecclesia Catholica non mutilauit Sacramenta.

Aduersarij mutilarunt Sacramēta.

Matth. 7.
1. Corinth. 10.

Sap. 3.

Matth. 22. & Marc. 12

cha,qui iam moriturus,ſic inter alia,filios Ioſeph eſt allocutus: Geneſ. 41.
Et inuocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque Patrũ meorum, Abraham & Iſaac &c. Quibus profectò teſtimoniis & exemplis luce clariùs videt aduerſarius, Sanctos Dei vita té-porali quidem defunctos, non tamen mortuos eſſe homines, & eorum inuocare nomina, pium opus, ac Scripturæ ſacræ conſentaneum eſſe. Quod nec Lutherus diffitetur, cùm non ſolùm Angelos & Angelum proprium, ſed etiam Beatam Virginem Mariam, Beatos Apoſtolos & alios Sanctos Dei, docuerit,inuocandos eſſe,vt pro nobis orent. Quin & hoc ipſum ipſe facto præſtitit,quãdo Dei matrem inuocauit, vt ſibi explicandi ac principibus intelligendi gratiam impetraret. Et alibi planè iudicauit cum Eccleſia tota, ſanctos inuocandos eſſe. Vnde viderit aduerſarius, anne hac etiam in parte à magiſtri ſui,nedum Eccleſiæ Catholicæ doctrina,deflexerit.

Serm. de præpara. mortis ãno 1519. fol vltimo.
In præfat expoſit. ſuper Magnificat.
In purgat. quorũdam articulorum.

TVBINGENSIS

135. *Nec ideò à Catholica Eccleſia defecimus,cum qua permanemus,& permanebimus perpetuò,in eadem eiusdem fidei confeßione, eodem verbo et doctrina,quæ ipſißima & verißima eſt Eccleſiæ nota, in vnitate Spiritus & vinculo pacis. Vnum corpus, vna fides,vnus Spiritus,vna ſpes vocationis noſtræ,vnus Dominus, vnus Deus & Pater omnium,qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Epheſ. 4.

CATHOLICVS

Quemadmodùm aduerſarij defecerint ab Eccleſia Catholica, frequenter & copioſè variis in locis eſt demõſtratum. Ac ſi quis volet aduerſarium vel vno verbo conſtringere, ne poſsit elabi, ſed cogatur fateri, ſe à doctrina Catholica defeciſſe, ſic eum aggrediatur? Catholicum iuxta Patrum ſententiam & etymon vocabuli,& vſum Eccleſię,dicitur id,quod vbique,quod ſemper, quod ab omnibus eſt creditum. Ergo Lutheranorum doctrina non poteſt Catholica cenſeri, quippe, quę nõ vbiq; viguit nec viget, ſed quarundãm Germaniæ prouinciarum limitibus concluditur; nec ſemper fuit, cùm ante 44. annos primùm ceperit, ſicut aduerſarius fatetur,& iã paulatim euaneſcat,& in Caluinianiſmum cõuertatur,quod Germaniæ Principes non ignorant,nec ab omnibus creditur. Nã vt nihil dicatur de prouinciis aliis (vbi Catholica fides ac pietas viget) Lutheraniſmus nec in tota Germania, ſed in paucis quibus-

quibusdam eius angulis grassatur; nec est idem apud omnes, sed varius apud diuersos, vt non solùm quælibet prouincia, sed & ciuitas, imò domus quælibet Lutheranismum priuatum, ac sæpe multiplicem habeat; quod verius, quàm expedit, experiētia docet, ac nemò diffitetur; cùm id suprà testimoniis ipsorum aduersariorum satis comprobatum fuerit. Tantùm abest, vt aduersarius hac assertione sua sibi vendicare possit Notam vnitatis; Cuius ne leuissima quidem imago apud illos extat, in tanta nimirùm contentionum, opinionum ac dissensionum diuersitate, quam indies etiam multiplicari magis, ac crescere videmus.

TVBINGENSIS 136. *Sed à Romana, Antichristiana, impia, idololatrica Satanæ Synagoga, quæ non est vna, sed in innumeras diuisa sectas et opiniones erroneas de via salutis æternæ varias? non sancta, sed profana, miracula edens mendacia & Diabolica, ad confirmandam impiam doctrinam, & cultus idololatricos: nec Catholica, quam Ecclesiæ Orientales non agnoscunt: nec Apostolica, cùm abiecta doctrina Apostolica, certa, minimè dubia, literis ipsorum consignata, aliam sit amplexa commentitiam, fictitiam, traditiones nempè humanas incertas, quibus nihil est magis ambiguū, dubium, impium, & prophanū; vt de votis & cœlibatu Sacerdotum, aliisque id genus innumeris &c. sed in & cum vera Orthodoxa, Catholica & Apostolica Ecclesia permanentes, ab Apostatica, Antichristiana, malignantium Ecclesia, discessimus, ad Christi ouile nos conferentes, vocem Principis pastorum audientes & sequentes.*

CATHOLICVS Hoc loco nullam assertionem, nullam doctrinam, rationem nullam, sed virulentas calumnias, cōuicia pessima, & hæreses absurdissimas iterum, quasi furiosus, aduersarius effundit. Fortè plus existimat, sic effectū iri, vt quę particulatim hactenus toxica variis locis sparsit, ea nunc ad decipiēdos & opprimendos incautos, cumulatim coaceruet, repetat, ac simul effundat omnia. Ipse nullo iure, nulla ratione, potestate nulla probat, sed nec vnquam probare poterit, quæ modò congessit contra Catholicam Ecclesiam, indignissimis eam & intolerādis iniuriis & contumeliis afficiens. Nos autem optimo iure, rationibus validissimis, Scripturæ sanctæ ac Patrum testimoniis omnes has ac singulas aduersarij calumnias refutauimus in præce-

in præcedentibus, & euidenter demonſtrauimus, Eccleſiam Romanam eſſe veram, vnam, ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam Christi Eccleſiam, quæ veram, puram, ſynceram & Apoſtolicam ſeu Euangelicam doctrinam nunquam deſeruerit, ſed perpetuò, tanquam precioſum Christi depoſitum, cuſtodierit, & vsque bona fide conſeruet. Sic etiam traditiones non quaſcunque, ſed Apoſtolicas & approbatas, quin etiam Apoſtolico præcepto commendatas retinet. Sic item Sacerdotum cœlibatum, vt ſuprà dictum eſt, à temporibus Apoſtolorum Eccleſia Catholica ſemper ac religiosè coluit omnibus ſæculis, & nunc quoque piè tuetur. Sed hæc omnia ſuperiùs, quantùm huic inſtituto ſatis videbatur, declarata ſunt:

137. *Sicut etiam Diuus Ioannes hortatur: Omnis qui recedit & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrina, hic et & Patrem & Filium habet: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi, Aue, communicat operibus eius malignis.* TVBINGENSIS 2. Ioan. 1.

Vt iterum aduerſarius ex ore proprio iudicetur; ſuoque iuguletur gladio, hac Diui Ioannis ſententia, minimè Catholici, ſed manifeſtè Lutherani perſtringuntur & grauiter coarguuntur. Nam euidenter conſtat, & hac Apologia ſæpè demonſtratum eſt, Eccleſiam Catholicam nũquam à Christi doctrina receſsiſſe; Quippe, quæ Catholicam, Orthodoxam & Apoſtolicam fidem, doctrinam ac pietatem (quam vulgus ꝓpterea vocat antiquam religionem) ſemper inuariatam, immutatam & ſtabilem, omnibus hactenus temporibus & locis, ſumma nationũ ac populorum cõſenſione conſeruârit. Quòd verò Lutherani receſſerint, atq; ideò nec permanſerint in doctrina Christi, manifeſtum eſt ex eo, quòd non permanſerint in Eccleſia, & Doctrina Catholica; nimirùm, illa, quę ſemper, quę vbique, quæ ab omnibus recepta, credita ſeruataque fuit, & vsque ſeruatur, ſed ante 44. annos, nouam credendi formulam compoſuerint, & aliis amplectendam obtruſerint; ſicut aduerſarij teſtimonio aliquoties eſt hactenus probatum. Nec illam nouam credendi formulam poſſunt Catholicam nuncupare, cùm non ſemper fuerit, ſed nuper ante 44. annos infœliciter CATHOLICVS

prodierit, nec vniuersalis, sed angularis, (vnde nuncupatur Augustana Confessio) nec vllo nationum aut populorum cōsensu recepta, sed tàm multorum cōtradictione meritò reprobata sit. Nam præterquàm, quòd ab omnibus regnis, nationibus ac prouinciis Catholicis, adeoq; ab Imperio Romano seuerè fuerit Anno 30. damnata & prohibita: nec à Sectariis aliarum prouinciarum recipitur, imò nec agnoscitur quidem. Nam Hussitæ in Bohemia multis iam annis aduersùs Augustanam confessionem; ne videlicet reciperetur, frequentes & quidem grauissimos cōflictus sustinuerūt. Nec Stancariani in Polonia, nec in Hungaria Trinitarij, nec in Morauia Vvaldenses & Anabaptistæ, nec in Germania, Galliis, & Belgia, Caluinistæ recipiunt aut sequuntur. Cùm igitur Catholica non sit, Christi doctrina non potest esse, vnde secūdùm prædictam Apostoli sententiam, qui sequuntur eam, à Catholica & Christi doctrina recedunt, & sic in eos cætera Diui Ioannis verba rectissimè quadrant. Sed cur aduersarius non quoque citàuit præcedentia eiusdem Apostoli verba, quibus ait: Hæc est charitas, vt ambulemus secundùm mandata eius. Hoc est enim mandatum &c. vt mercedem plenam recipiatis? Quibus quidem verbis, cùm ipsius errores crassissimi de mandatorū obseruatione, & meritis bonorum operum manifestè conuincantur & refutētur, ab eis sibi cauendum putauit.

TVBINGENSIS 138. *Nec est, quòd sibi blandiantur Pontificij de successione loci in sede, qua D. Petrus sederit, & quòd illic Paulus Apostolus Ecclesiam plātauerit; quasi ideò Deus ipsos non possit abiicere.*

139. *Gētem Israëliticam in infinitum arctiori vinculo Deus sibi deuinxerat. Hunc enim populum elegerat præ cunctis populis terræ, hunc adoptauerat, primogenitum suum vocans, apud hunc verbum suum deposuerat fœdere inito, hunc se non abiecturum promiserat.*

CATHOLICVS Declaratum est in præcedētibus, quomodò fides ac successio Catholica, non ab vno loco, sed à fide ac cathedra Petri

Luc. 22. dependeat. Nam licet cathedra Romā transferretur aliò, sicut

Hebr. 5. ex Hierosolymis Antiochiam, & inde Romam translata fuit, fides tamen Petri, pro qua non frustrà rogauit Dominus, sed

Matth. 18. exauditus est pro reuerentia sua, nunquam iuxta Christi promissio-

missionem deficiet in illis, qui super eius cathedram sedent, quos proinde iussit audiri. Exemplum Israëliticæ gentis nihil facit ad rem. Nam illa tales promissiones non habuit, quales Ecclesia Christi; quin illius defectiones à Prophetis iam antè prædictæ fuerant. At circa fidem & cathedram Petri, secus res habet, vt aliquoties est euidentissimis Scripturæ sacræ testimoniis demonstratum: Certè constat non nisi conditionatam fuisse promissionem, cùm dictum est in Exodo: Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Luc. 16. Exod. 19.

140. *Et tamen cùm abiicerent Dei verbum, abiecit eos Deus. Et dicit: Iudicate matrem vestram, iudicate: quoniam ipsa non est vxor mea, & ego non vir eius, idq; propter idololatriam. Item: Quia repulisti scientiam, repellã te, ne sacerdotio fungaris mihi.* TVBINGENSIS Oseæ 2. Ibidem. 4.

Hoc loco Scripturam sacram aduersarius iterum, vt solet, non integrè nec plenè, nec genuino, sed distorto & alieno sensu produxit. Nam illa Prophetæ verba, quæ propriè spectãt ad gentem Israëliticam, ipse Christi Ecclesiæ, quam habet nũc in terris militantem, perperàm accommodat. At quæ posteà subiungit idem Propheta de noui Testamenti Ecclesia, consultò prætermisit, vt Lectorem confunderet. Contra gentem Israëliticam sic vaticinatus est Propheta; sicut aduersarius ait: Iudicate matrem vestrã, iudicate: quoniam ipsa non vxor mea, & ego non vir eius &c. idque propter idololatriam. Item: Quia repulisti scientiã, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi &c. Sed quid hęc ad noui Testamenti nouam Ecclesiam Christi, de qua longè meliora idem Propheta vaticinatus, hæc verba legitur: Et erit in die illa, (scilicet quando plenitudo temporis, seu tẽpus gratiæ venerit) ait Dominus: Vocabit me, vir meus, & non vocabit me vltrà Baalim; Et auferã nomina Baalim de ore eius, & non recordabor vltrà nominis eorũ &c. Et paulò pòst: & sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus. Et spõsabo te mihi in fide &c: Hæc de Ecclesia Christi vaticinia, manifestè conuincunt, eam tanquam legitimam & electam Christi sponsam, in fide, iustitia & iudicio, sicut est desponsata, sic in CATHOLICVS Oseæ 2. Ibid. 4. Oseæ 2.

Matth. 16. sempiternum esse permansuram; Et quamuis superbæ inferorum portæ domesticis & assiduis incursionibus & insultibus, eam aggrediantur & oppugnent, nunquam tamen, iuxta certissimam Christi promissionem, aduersùs eam præualebunt, præualerent autem, si (quod non citra blasphemiam aduersarius asserit) eius fides aut cathedra aliquando deficeret.

TVBINGENSIS 141. *Habuit populus Israël magnificas de perpetua Dei præsentia promissiones: Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abiiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosq́ eritis populus meus, Leuit. 26.*

CATHOLICVS Hæ promissiones, quas aduersarius allegat de populo Israël, non tàm spectant ad Israël secundùm carnem, quàm ad Israël secundùm spiritum; vt ex Diuo Paulo constat, accommodante hęc ipsa verba ad ipsos Christianos, eosque singulos, quos Deus per gratiam suam inhabitat; hoc est, ad nostros Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ filios. Non enim, teste eodem Apostolo, qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij sunt promissionis æstimantur in semine. Atque sic illa promissio in Leuitico facta, præcedentibus promissionibus ex Osea Propheta de Ecclesia Christi citatis, quàm optimè consonat. Quòd si quis omninò contendat, eas promissiones ad filios Israël etiam secundùm carnem pertinere, nec id multùm curauero, dummodò conditionales fuisse credantur, si videlicet, filij Israël in Dei mandatis perseuerarēt, sicut verba præcedentia in Leuitico: Si in præceptis meis ambulaueritis &c. & sequentia: Quòd si non audieritis me &c. manifestè declarant, & aduersarius mox fatebitur. At longè diuersa est ratio Catholicæ Ecclesiæ, cui non conditionales, sed absolutæ promissiones factæ sunt, vt suprà demonstratum est.

(Margin: 2 Corinth. 6. Rom. 9. Leuit. 26. Osee. 2. In confutatione assert. 44.)

TVBINGENSIS 142. *Verùm non absolutæ sunt, sed conditionales Dei promissiones Ecclesiæ factæ, de perpetuitate. Si, inquit, in mandatis meis ambulaueritis, ero vobis in Deum, habitabo in medio vestri, & inambulabo, & nō reiiciet vos anima mea. Quemadmodùm & Christus: Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem.* (Leuit. 26.)

143. *Quapropter gentem Iudaicam, ex qua Christus natus est secundùm carnem, quòd hunc Messiam sibi promissum exhibitum agnoscere, & fide amplecti*

amplecti nollent, abiecit. Quod se facturum minatus fuerat: Auferetur à vobis Regnum Dei.

144. *Nec ideò Ecclesia desiit, aut fuit à Deo deserta, sicut ibidem immediatè sequitur: Et dabitur genti facienti fructum. Loco enim Iudæorum infidelium, gentes ignaras veri Dei, vocauit, inque gratiam recepit.*

Quoniam tres istæ theses eiusdem sunt argumenti, possunt vna quoque responsione confutari. Nec attinet hîc multùm laborare, cùm in confutatione cuiusdam præcedentis assertionis perspicuè declaratum sit, promissiones Dei, non omnes conditionales, sicut autumat aduersarius, sed quasdam etiam absolutas esse, quæ non ab humanis conditionibus dependent, sed finem suum necessariò consequuntur, propterea, quod os Domini sit locutum. Quales sunt promissiones Ecclesiæ factæ; quòd fides Petri non deficiet; quòd portæ inferorum non præualebunt aduersus eam; quòd Ecclesia sit Christo in sempiternum, in iustitia, in iudicio & in fide desponsata &c. Cùm igitur fides Petri nunquam deficiat, sed in Ecclesia Catholica perpetuò maneat, profectò qui Catholici sunt Ecclesiæ Romanæ filij, hi manent in sermone Christi, de quo sermone plura notatu dignissima dicuntur à Christo per eiusdem Apostolum: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Et paulò superiùs, si diligitis me, mandata mea seruate. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilexeritis inuicem. Sed quoniam aduersarij tradunt Christi mandata seruari non posse, sequitur hinc, eos nec Christi dilectionem habere, nec Christi discipulos esse, nec in eius sermone manere, iuxta manifestam Christi Domini sententiam. CATHOLICVS Assert. 44. Lucæ 22. Matth. 16. Oseæ 2. Ioan. 14.

145. *Nec Apostoli secedentes & deficientes à Pontificibus, Scribis & Pharisæis Hierosolymitanis, qui in legitima, & ordinaria erant Aaronis successione diuinitùs instituta, à vera Dei Ecclesia deficiebant, eámue deserebant: sed in, & cum ea fortiter perseuerauerunt. Defecerunt autem ab impiis, superstitiosis Christicidis & malignantium Ecclesia, congregantes simul Christo nouam Ecclesiam ex Iudæorum reliquiis & gentibus vocatis ad regnum eius, Ecclesiam noui Testamenti, quod ex actis Apostolorum patet.* TVBINGENSIS

146. *Cùm igitur Deus naturalibus ramis non pepercerit, quomodò*

 Oleastris

Oleastris insertis parceret? Nec enim Deus ita ad vnum in terris populum est alligatus.

CATHOLICVS Aduersarius perperam Apostolos cum sectariis confundit, cùm horum ab illis lõgè dispar sit ratio. Nam Apostoli rectè legitimam & ordinariam Aaronis successionem reliquerunt, quæ tunc expirabat; nec ampliùs, Meßia iam præsente, censebatur legitima, cùm finem suum accepisset. Ait enim Dominus: Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. Postquàm verò figuris impletis, accessit ipsa veritas, & cessante veteri testamẽto, nouum est institutum; mox Christus ipse verus Meßias nouas longeq́; meliores statuit promißiones, quibus Ecclesiam suam, vsq; ad consummationem sęculi, constabilitam & confirmatam voluit. Quod aduersarius negare non potest. Vnde cùm regni Christi non sit finis, necessum est illam quoq; sacerdotum legitimam successionem in Ecclesia perpetuam esse. Quod etiã Apostolus his verbis confirmat. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorũ, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occuramus omnes in vnitatem fidei &c. Quibus verbis Apostolus Sacerdotum successionem vsque ad consummationem sæculi duraturam in Ecclesia manifestè testatur. Vnde nec potest dubitari, quin fides, pietas ac religio Catholica, absque defectione quoque sit perpetuò duratura. Nec profectò Lutherus nouum instituit Testamentum, quo Christi Testamẽtum sit abrogatum, vnde nec est necessariũ, vt fides Catholica deficiat & hæresis Lutherana succedat. Quod licet (proh dolor) in Germania factum videatur, vt nimirùm plurimi à fide Catholica defecerint ad Lutheranismum; interim nihilominùs stat stabitque semper immotum & inconcussum Catholicæ religionis & legitimæ succeßionis fundamentũ, quod propter hæreses nunquam deficiet. Nam potiùs cœlum & terra transibunt, verba verò Christi minimè transibunt, quin suum finem consequãtur. Quamobrem nec locum habet comparatio, quã aduersarius inter naturales ramos & oleastros insertos instituit: Quodq́; ad vnũ in terris populum

Lucæ 16.

Lucæ 1.

Ephes. 4.

Deus

Deus non sit alligatus, res ipsa declarauit: quando vobis à fide Catholica deficientibus tot populos in India, & nouo orbe ad Romanæ & Catholicæ fidei consortiū tàm clementer vocauit.

147. *Quare frustrà cum idololatris Iudæis, verbi diuini contemptoribus, confidunt in verbis mendacij Papistæ, vociferantes vt illi, Templum Domini, Templum Domini, Templū Domini, Ecclesia, Ecclesia, Ecclesia: Patres, Patres, Patres, Successio, Successio, Successio loci ordinaria Episcoporum, hi enim sermones, & clamores, tàm illis non proderunt, quàm nec olim Iudæis.* TVBINGENSIS

Hæc assertio nullum habet fundamentum, & præcedenti responsione satis superq; refutatur. Nam cùm Iudæis esset promissus Messias, illum cùm venit, debuerunt amplecti & obseruare. At illi neglecto Messia, propter illud incredulitatis peccatum Deo grauiter offenso, frustrà clamârūt: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini &c. Volentes veteri Testamento ac Mosi semper adhærere, posthabito Christi Euangelio. Frustrà ponebāt illi spem in Templo, cuius destructio ac desolatio diuinitus iam prædicta fuerat. Nos autem in Ecclesiæ doctrina rectè cōfidimus, quippe qui per Scripturam sacram certi simus effecti, Ecclesiam esse firmamentum & columnam veritatis, aduersùs quam inferorum portæ nunquam præualere poterunt. Itaq; nihil ad rē faciunt quæ Tubingensis de Templo Domini, de Ecclesia, de Patribus, deq; Successione calumniatur. Non enim est eadem veteris ac noui Testamenti, Iudæorum & Christianorum, Synagogæ & Ecclesiæ, Legis & Euangelij in omnibus ratio. Cùm enim nos Ecclesiam & doctrinam seu fidem, etiam præter Catholicam quam habemus, expectare vel quærere non possimus; necessum est vt stemus ac teneamus traditiones, ab Apostolis ac Maioribus nostris acceptas; necessum est, vt antiquis Patrum nostrorum vestigiis insistētes, Catholicam eorum fidem ac doctrinam apud nos perpetuò conseruemus; necessum est deniq;, vt cum iisdem Patribus, quorum testimonia superiùs per ordinem recitata sunt, legitimam Sacerdotum successionem, tanquam certissimam Ecclesiæ veræ Notā, obseruemus. Et quoniā aduersarij nullam possunt successionem demonstrare Maiorum suorū, hinc Catholicam successionem persequuntur, & è medio sublatam desiderant. CATHOLICVS

148. Nam

TVBINGENSIS 148. *Nam, quòd Christus ait: Dic Ecclesiæ, non vniuersale mandatum hæc verba continent. Quia non de quibuslibet caussis, quod ex cōtextu apparet, loquitur, sed tantùm de priuatis offensionibus, cùm dicit, si peccauerit IN TE. Et in Ecclesia, quæ caret Magistratu pio: qualis fuit tum ipsius Ecclesiola, de qua in immediatè sequentibus dicitur: Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo &c. Eiusmodi priuatorum caussas à priuatis, & tali Ecclesiola vult corrigi, componi, & deponi; & non ad magistratum politicum impium, Christianorū caussas deuolui, ne propter hoc malè audiat nomen Dei. Sicut Apostolus quoque hoc nomine Corinthios reprehendit.* 1. Cor. 6. *Quòd si vniuersale hoc mandatum quis esse dicat, quæ hinc sequutura esset confusio, si omnes caussæ quas habent Ecclesiæ ciues, ad totā Ecclesiam essent referendæ? Interim tamen non negamus, legitima veræ Ecclesiæ iudicia esse audienda. Et in his præcipuum locum habent, qui maioribus donis interpretationis Scripturæ & discretionis spirituum præualent.*

CATHOLICVS D. Chrysostomus & pleriq; Patres, Ecclesiæ nomine non totam fidelium congregationem, sed Ecclesię Pastores ac primarios, Rectores & Præpositos intelligēdos esse censent, quales sunt Episcopi, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei. Nec agitur hoc loco de priuatis tantùm offensionibus, (sicut falsò putat aduersarius) quandoquidem Ecclesiasticis illis Iudicibus Christus ibidem dixerit: Quęcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Nequaquam igitur de priuatis ac paucis tantùm offensionibus agitur, quandoquidem in fratrem multis modis peccatur: Nec potest frater peccans deferri ad priuatos & paucos fideles, qui fratrem peccantem iudicare vel absoluere non possunt, cùm sint priuati, sicut ait aduersarius, & idcirco nullam iudicandi potestatem seu iurisdictionem habent. Quando Christus ait: Dic Ecclesiæ, non de fraterna tantùm correptione, quam tamen præmitti voluit, sed de Ecclesiastico iudicio loquitur, quod à priuatis exerceri nec potest, nec debet. Ac mirum videtur cur aduersarius hoc iudicium potiùs ad Ecclesiolam, quàm ad Ecclesiam spectare velit, certè non ad Ecclesiolam, sed ad Ecclesiam Christus fratrem peccantem deferri iussit. Cur igitur ille Christi verbum & sensum (magis suam Ecclesiolam,

Math. 18. Actor. 20.

quàm

quàm Catholicam Christi Ecclesiam attendens) mutare præsumit? Non considerat multas Ecclesiolas priuatas frequenter extitisse, quæ dum priuatos Duces & Autores sequerētur, à recto veritatis tramite deuiārūt, neglecta luce, in tenebris ambulantes? Et illud videtur ridiculum, quòd hominibus priuatis tribuat hoc iudicium, qui maioribus donis interpretationis & discretionis spirituum cæteris præualent. Sed quomodò priuatis hominibus ille tribuit hoc iudicium, quandoquidem hoc ipso, quòd priuati sunt, nullam iudicandi potestatem aut iurisdictionem habent? Aut si talem habent, certè priuati non sunt. Et quomodò tribuetur illis hoc iudicium, qui maioribus interpretationis donis, quàm cæteri præstent? Quis enim nisi Ecclesia iudicabit, hos potiùs quàm alios priuatos, maioribus interpretationis donis pollere? Quisque suus Iudex, & suum cuique pulchrum erit, vt proinde (quod apparet apud aduersarios) quot homines, tot sententiæ, quot priuati magistri, tot interpretationes, & tot diuersa, vel etiam contraria spirituum genera videantur?

149. *Testimonia Patrum, quod attinet, quibus superbit admodùm & sibi bellè placet IESVITA: sciat non deesse nobis eorundem suffragia, quibus nostram quoq; sententiam comprobemus. Verùm quia non hos Patres principaliter audire iubemur, sed veros Ecclesiæ Doctores, et Patres, quos Christus, Apostolus, & Spiritus sanctus, nobis audiendos commendārunt, Prophetas nempè & Apostolos, super quos Ecclesia est ædificata, & inter illos ipsos Patres D. Augustinus qui summum tenet locum, profiteatur, se solis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur (hi enim nobis sufficiunt) hunc timorem honoremq; deferre, vt scribendo nullum eorum Autorem errasse firmissimè credat? Alios autem ita se legere, vt quantalibet sanctitate, doctrinaq; præpolleant; tamen non ideò verum esse putet, quia ipsi ita senserint, sed quia hoc ipsum per Canonicos illos veteris & noui Testamenti Autores probare potuerint: ideò non horum, sed illorum potissimùm testimoniis in hac disputatione, vti placuit.* TVBINGENSIS Ephes. 2. August. epist. 19. ad Hieron.

150. *Ne tamen horum quoq; testimoniis destitui nos arbitretur, in fine quædam, auctarij nomine subiicere visum est. Non quidem de tota disputatione, omnibusq; eius partibus, quod nobis factu erat facilimum? Sed quia*

 potissi-

potißimùm de Ecclesia in ea agitur, quænam ea, & vbi quærenda sit, ad hæc, quæ superiùs recitauimus, pauca ex D. Augustino addemus:

CATHOLICVS Quod aduersarius initio præfationis suæ faciebat, id etiam modò facit (vt erroneo principio finis erroneus bellè respondeat) dum nos immeritò taxat ac dente quasi canino rodit, quòd orthodoxorum Patrum testimonia præter Scripturam sacram (quam minimè negligimus) libenter ac sæpè producimus ad fidei dogmata confirmanda. Sed quoniam de saluberrima Patrum autoritate sat multa dicta videntur initio præfationis nostræ, nihil attinet nunc agere prolixiùs. Illa tamen, & admiratione digna, nec leuia, nec pauca sunt absurda, quæ circa Patres hoc loco committit aduersarius. Quid enim absurdius, quàm asserere; nihil præter Scripturam sacram recipiendum esse, (quod ille tàm præcedenti quadam, quàm hac ipsa Thesi defendit) & nihilominùs præter Scripturam sacram admittere testimonia Patrum, quibus etiam nunc Aduersarius dogmata sua cõfirmare conatur? Quid absurdius, quàm quòd aduersarius Iesuitam propter testimonia Patrum insimulare & culpare nititur, & in eo tamen Iesuitam imitari, licet fraudulenter, studet; dum aliquot D. Augustini sententias, nõ optima fide congestas, in vnum coaceruauerit? Quid absurdiùs, quàm de Patribus ita sentire vel scribere, quasi illi Prophetas & Apostolos minùs intellexissent, vel in eorum scriptis nõ adeò essent versati, aut parùm de Christo, deq; sacris atque venerandis fidei mysteriis cognouissent; & Lutherani præsertim nunc omnia penetrâssent; cùm Patres tamen & doctiores, & sanctiores & Apostolorum temporibus viciniores extiterint? Quod ad nos quidem attinet, vtimur Patrum testimoniis duplici de caussa: primùm quidem; quia licet vnus vel alter Patrum hallucinari queat, nõ omnes tamen errant, quòd vnanimis Patrum consensus sit, & regatur, & conseruetur à Spiritu sancto: Deinde quòd Patrum testimoniis omninò certi reddamur, de fide Catholica, deque omnibus quæ temporibus Apostolorum ac subsequentibus deinceps sæculis perpetuò credita seruataque fuerunt, ac nobis obseruanda mandantur. Quæ res eò maioris est momenti, quò minùs audent ac possunt aduersarij veneran-

nerandam antiquitatem damnare. Accedit huc, quòd in rebus dubiis potiùs vni vel pluribus antiquis Patribus aliquid afferentibus, quàm nouis dogmatiſtis contrarium ſtatuentibus credendum ſit; cùm hi præſertim & rudiores ſint & proprij capitis inuēta ſequantur, illi verò doctiores & Maiorum ſuorum imitatores, & Eccleſiæ primitiuæ viciniores fuerint.

TVBINGENSIS

TESTIMONIA D. AVGVSTINI DE ECCLESIA.

Diuus Auguſtinus epiſt. 48. Eccleſia Chriſti non litigioſis opinionibus fingitur, ſed diuinis atteſtationibus comprobatur.

CATHOLICVS

Hac Diui Auguſtini ſententia Lutheranorum Cœtus conuincuntur ad Eccleſiam Chriſti non pertinere, quippè qui litigioſis opinionibus vbique flagrant, id quod (vt ſuprà probatum eſt) ipſimet aduerſarij minimè negant, ſed fatentur, imò mirantur, dolent, & ſatis queruntur, apud ipſosmet eſſe domeſticas & inteſtinas diſſenſiones, ac litigioſas opiniones, quibus ſeſe mutuò conficiunt ac paulatim abſumunt, vt conſtat ex magnis voluminibus, quæ Lutherani rigidi contra molles, & hi viciſsim aduersùs eos in lucem ediderunt. Quòd etiam illorum Cœtus nullis vnquam diuinis atteſtationibus ſeu miraculis comprobati fuerint, omnibus eſt notiſsimum. Conſtat, quid acciderit Luthero, quando VVittenbergæ dæmonem expellere præſumeret. Conſtat, quale miraculum Caluinus ediderit quando cuperet videri mortuum excitaſſe, ſed viuum ac ſanum hominem interfecit. Verùm è diuerſo prædicta Diui Auguſtini ſententia luculēter demonſtrat, Romanam & Catholicam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, quę nimirùm nullas litigioſas opiniones ſed vnitatem fidei & cōcordem & vnanimem dogmatum doctrinam habet; adeoq; ſtupendis & infinitis Dei miraculis & ſanctarum Scripturarum oraculis eſt comprobata, vt in præcedentibus, ſuis locis, copioſè declarauimus.

TVBINGENSIS

Idem lib. 1. Quæſt. ſuper Matth. cap. 11. Boni autem Catholici ſunt, qui & fidem integram ſequuntur & mores bonos.

CATHOLICVS Quemadmodùm præcedentem, sic etiam hanc aduersarius D. Augustini sententiam, non contra Catholicos, sed aduersùs seipsum, & omnes in vniuersum Lutheranos adduxit. Nam ita Catholici, sicut ait Augustinus, credũt, sentiunt & docent, eos nimirùm bonos esse Catholicos, qui & fidẽ integram sequũtur, & bonos mores, Lutherani verò solam fidem, & eam non integram, sed mutilatam & corruptam bonis moribus & operibus tanquàm non necessariis nisi ad fidem testificandam, reiectis, prædicant, & passim inculcant:

TVBINGENSIS *Idem contra Faustum Manich. libro 9. capite 2. Verbum Dei radix, Ecclesia arbor.*

CATHOLICVS Non bona fide citat aduersarius hæc D. Augustini verba, cùm in capite citato non reperiantur. Imò D. Augustinus Ecclesiam tàm radicem, quàm arborem vocat.

TVBINGENSIS *Idem ibid. in li. 22. c. 38. Est enim & sancta Ecclesia Domino IESV Christo in occulto vxor. Occultè quippè atq; intus in abscondito secreto spiritali, anima inhæret verbo Dei, vt sint duo in carne vna. Quod magnum coniugij Sacramentum, in Christo & Ecclesia commendat Apostolus.*

CATHOLICVS Nec hanc Augustini sententiam aduersarius plenam & integram adduxit. Nam in eodem cap. testatur idem Augustinus olim, hoc est, tempore Martyrum, id quod narrat, esse factum, sed iam fieri publicè, cùm omnes etiam Reges terræ Domino munera offerant; Verùm quid hæc D. Augustini sententia facit contra Catholicam seu Romanam Ecclesiam, de qua suprà demonstrauimus, quatenus inuisibilis, ratione, videlicet, electorum, & quatenus item sit visibilis, vt ab omnibus conspici queat & audiri tanquàm mater nostra:

TVBINGENSIS *Idem contra literas Petiliani Donatist. lib. 2. ca. 55.*

Et remotis ambagibus, quoniã vbi sit Ecclesia Christi quærimus, ipsum qui eam suo sanguine redemit audiamus dicẽtem. Eritis mihi testes, in Hierusalem, & in totam Iudæam, & Samariam, & vsq; in totam terram. Huic Ecclesiæ quæ per totam terram diffunditur, quisquis non communicat, cui non communicet vides, si cuius verba ista sunt, audis.

CATHOLICVS His verbis declarat Augustinus, Ecclesiam Christi Catholicam esse, nec soli Africæ alligatam vt Donatistæ dictitabant: quippè, quæ non solùm in Hierusalem & in Iudæa & Samaria,

sed

ſed per totum terrarum orbem diffundi debuerit. Hac igitur Diui Auguſtini ſententia manifeſtè probatur Lutheranorum Cœtus nihil ad Chriſtum pertinere, poſtquàm Catholici, hoc eſt, per totum terrarum orbem neque nunc neque olim diffuſi ſunt? probatur autem Romana vera Chriſti Eccleſia, cùm ſit illa Catholica, ſicut in præcedentibus abundè fuit demonſtratum; etiam Apoſtolo teſte, qui fidem illius ait in vniuerſo mundo annuntiatam fuiſſe: Roman. 1.

TVBINGENSIS

Idem Ibid. ca. 73. Sic & nunc quoniam, quæſtio eſt, inter nos, vbi ſit Eccleſia, cùm ex ipſo Euangelij loco diſputantibus, conſequentia verba recitamus, vbi futuram Eccleſiæ latitudinem demonſtrauit, dicens: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati &c. & prædicari in nomine eius pœnitentiam et remiſſionem peccatorū INTER OMNES GENTES. Quomodò eſtis oues huius Paſtoris, cuius auditis vocibus, non ſolùm non obſequimini, verùm etiam repugnatis? Et oues quidem vos non eſſe, hinc dicemus, eſſe autem lupos, audite vnde doceamus. Iam enim vbi ſit Eccleſia, verbis ipſius apparet. Manifeſtum eſt, vbi ſit ouile Chriſti. Ab hoc igitur ouili, quicunq; oues ſegregāt, & alienatas atq; raptas NECANT, nónne ipſi ſunt lupi rapaces: Bibite ex hoc omnes.

CATHOLICVS

Et hæc Auguſtini verba, nihil Eccleſiam Romanam lædunt, ſed defendunt potiùs. Nam ouile Chriſti vocat Auguſtinus, illud, quod Chriſtus Petro & eius Succeſſoribus tanquàm Paſtoribus commiſerat. Vnde non de alia, quàm Eccleſia Romana loquitur, in qua vixit ille, pieque mortuus eſt. Lupos autem vocat, Sectarios, Hæreticos, ac contumaces ſeu rebelles, qui Romanam Eccleſiam, quam ſolam Auguſtinus tanquàm verā Eccleſiam Chriſti cognouit & prædicauit, audire ac ſequi recuſabant:

TVBINGENSIS

Idem de Baptiſmo contra Donatiſt. lib. 6. cap. 24. Nonne illi ſunt in Eccleſia, qui ſunt in Petra? Qui autē in petra non ſunt, nec in Eccleſia ſunt. Hi autem in Petra ſunt, qui verba Chriſti audiunt, & faciunt ea: 1. Cor. 10. Petra autem erat Chriſtus, ſup quā Eccleſia eſt ædificata. Matt. 16. non Pont. Rom.

CATHOLICVS

Dum aduerſarius hanc D. Auguſtini ſententiam huc inſeruit, egregia dorſo ſuo lora parauit, adeoq; foueam non Catholicis, vti ſperabat, verùm ſibimetipſi fodit incautus, in quā & incidit. Nam hac ipſa D. Auguſtini ſententia manifeſtè conuincitur ipſe nec in Petra, q[illegible] Chriſtus eſt, nec in eius Eccleſia

reperiri. Hi namque sunt in petra, sicut Augustinus ait, qui verba Christi audiunt & faciunt ea. Cùm igitur aduersarius verba Christi non faciat, imò nec facere quidem possit, quippè cùm doceat verba, seu præcepta Christi factu vel obseruatu possibilia non esse, adeoque solam fidem ad salutem homini sufficere; certè, nec in petra nec in eius Ecclesia potest ipse locum habere. Quod porrò spectat ad petram, cùm Augustinus in genere de ea loquatur, vt non solùm de Christo tanquàm angulari lapide ac fundamento primario, sed etiam de Petro eius Vicario rectè queat intelligi; cur aduersarius excludere conatur Petram vicariam & ministerialem, super quam Christus suam ædificare Ecclesiam voluit? Certè Diuus Augustinus sic illam Petram de Petro etiam interpretatur, & aduersarius ipse qui præcedentibus confessus est, Ecclesiam super Prophetas & Apostolos ædificatam esse:

Augu. li: Retract. cap. 21. In Psalm. 69. Serm. 124. de temp. & ser. 29. de Sanctis.
Assert. 149.

TVBINGENSIS *Idem lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 2. Inter nos autem & Donatistas quæstio est vbi sit Ecclesia? Quid ergo facturi sumus? In verbis nostris eam quæsituri, an in verbis capitis sui Domini nostri Iesu Christi? puto quòd in illius verbis eam potiùs quærere debemus, qui veritas est, & optimè nouit corpus suum, nouit enim Dominus, qui sunt eius:*

CATHOLICVS Nec diffitemur nos Ecclesiam in Christi verbis esse quærendam, quatenus Christus prædictas 4. certissimas Ecclesiæ Notas tàm suis, quàm Apostolorum ac Prophetarum suorum verbis nobis indicare & confirmare voluit. Quod videre licet in præcedentibus, vbi per ordinem verbo, & Scripturis Canonicis veram Christi Ecclesiam, VNAM, SANCTAM, CATHOLICAM, ET APOSTOLICAM esse demonstrauimus.

TVBINGENSIS *Ibidem cap. 3. Ecce hìc Christus, ecce illic. Audiamus potiùs, si oues eius sumus, vocem Pastoris nostri dicentis: Nolite credere. Ergo in Scripturis sanctis Canonicis eam requiramus.*

CATHOLICVS Nec hanc Augustini sententiam aduersarius bona fide, nec integrè, sed truncatim, & sensu distorto citauit, nam prætermisit alia quædam eiusdem Augustini verba, quibus ibidem aduersarium ille confundit, & Ecclesiam Christi veram esse probat, quæ sit vbiq; per totum terrarum orbem diffusa. Nam

post

post illa verba quæ citauit aduersarius, ita subiungit Augustinus: Totus Christus Caput & Corpus est. Caput vnigenitus Dei Filius, & Corpus eius Ecclesia, Sponsus & Sponsa, duo in carne vna. Quicunque de ipso Capite à Scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inueniantur in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus: Quicunque de ipso Capite Scripturis sanctis consentiunt, & vnitati Ecclesiæ non communicant (Notet aduersarius) non sunt in Ecclesia; quia de Christi Corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt &c. Hæc ille: quæ eadem paulò pòst citat aduersarius, & deinceps copiosiùs diducit ac pertractat Diuus Augustinus.

TVBINGENSIS

Augus. ad Scripturas Canonicas remittit.

Eodem, Sed vt dicere cæperam, non audiamus, hæc dico, hæc dicis: sed audiamus, hæc dicit Dominus: Sunt certè libri Dominici, quorum autoritati vtrique consentimus, vtrique credimus, vtrique seruimus, ibi quæremus Ecclesiam, ibi discutiamus caussam nostram. Et posteà: Auferantur ergo illa de medio, quæ aduersùs nos inuicem, non ex diuinis Canonicis libris, sed aliundè recitantur. Quærat fortassè aliquis, & dicat mihi; cur ergo ista vis auferri de medio, quando communio tua etiamsi proferantur, inuicta est? QVIA NOLO HVMANIS DOCVMENTIS, SED DIVINIS ORACVLIS SANCTAM ECCLESIAM DEMONSTRARI.

CATHOLICVS

Nec hanc Augustini sententiã aduersarius secundùm rectã & genuinam autoris mentem allegauit, quandoquidẽ Augustinus nõ simpliciter, sed certo respectu ac sensu, relictis Patrum sententiis, aut humanis documentis, solis Canonicis Scripturis cum aduersario cõgredi voluit. Nam cùm Petilianus hæreticus, contra quem agit, niteretur testimoniis Donatistarum & quorundam Africanorum hæreticorũ tanquàm Patrum, quorum autoritati stãdum esset: Tandem Augustinus in illius gratiam noluit Catholicos quoq; Patres proferre, quò faciliùs ipse suos quoque Donatistas desereret, ac solis Scripturis Canonicis conflictus vtrinq; fieret, non quòd aliòqui simpliciter crederet, prẹter Scripturas Canonicas nihil esse recipiendum: Sed vt vterq; disputator eas reciperet. Nam sicut Augustinus hæreticorum, ita illi Catholicorum testimonia nõ admittebant: &

quia

Auguſtin. contra Maximin.lib. 3.

quia cum Petiliano ſic diſputare conueniret. Ad eundem planè modum egit idem Auguſtinus contra Maximinum hæreticum de Synodorum decretis litigantem, vt eum faciliùs compeſceret: Nec ego, inquit, Nicęnam Synodum tibi, nec tu mihi Ariminenſem debes, tanquàm præiudicaturus, obijcere; nec ego huius autoritate, nec tu illius detineris; Scripturarum autoritatibus, non quorumcunq; propriis, ſed quæ vtrisque rationes, res cum re, cauſſa cum cauſſa, ratio cum ratione certet, &c. Quo loco D. Auguſtinus non ſimpliciter Nicænam Synodum reiecit, cuius apud eum Sacroſancta habebatur autoritas, ſed ne Maximinus vti poſſet decretis hæreticis Ariminenſis Concilij, cõſultò voluit à Nicæna Synodo propter Maximinum abſtinere? Quamobrem aduerſarius hoc loco malè citauit Auguſtini verba per Elenchum Sophiſticum procedendo, dum à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter, argumentatur:

TVBINGENSIS

Etiam Romæ in D. Petri Sede. In vtroq; diſſentiunt Papiſtę, quia & Chriſti meritũ ſuis operibus tribuunt, Romanũq; Epiſcopum caput Eccleſiæ conſtituunt, & Catholicã eſſe Eccleſiam negãt, dum ad eundẽ alligant eam.

Ibidem cap. 4. Quicunq; de ipſo capite (Chriſto, ſicut ſtatim poſteà ipſe interpretatur) à ſcripturis ſanctis diſſentiunt, etiamſi IN OMNIBVS locis inueniantur, in quibus Eccleſia deſignata eſt, non ſunt in Eccleſia. Et rurſus: Quicunq; de ipſo capite Scripturis ſanctis conſentiunt, & vnitati Eccleſiæ non communicant, non ſunt in Eccleſia, quia de Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ab ipſius Chriſti teſtificatione diſſentiunt. Paulò pòſt: ſed tamen ab eius corpore quod eſt Eccleſia, ita diſſentiunt, vt eorum communio nõ ſit cum toto, quacunq; diffunditur, ſed in aliqua parte ſeparata inueniatur, manifeſtum eſt, eos non eſſe in Catholica Eccleſia:

CATHOLICVS

Etiam hac ſententia D. Auguſtinus, nihil Eccleſiam Romanam, ſed plurimùm ſectarios Lutheranorum cœtus oppugnat. Nam licet D. Auguſtinus (quod ſpectat ad Eccleſiam) nos ad Scripturam ſacram remittat, ex ea tamen, hoc tantùm probat, quod & nos ex eadem ſuprà demonſtrauimus, nimirùm, Eccleſiam non eſſe prouincialem, ſeu angularem, ſed Catholicam, hoc eſt, per totum terrarum orbem diffuſam. Quæ verò notauit aduerſarius in margine, ſicut falſa, ſic in præcedentibus confutata ſunt, neque nos aliter alligamus Eccleſiam ad Pontificem, quàm oues ad Paſtorem, quàm Regnum ad Regem, Ciuitatẽ ad ſuum Magiſtratum. Eccleſia enim ſunt, teſte D. Cy-

Diuo Cypriano, plebs sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adherens. Vnde scire debes, inquit, Episcopum in Ecclesia esse & Ecclesiam in Episcopo: & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse.

TVBINGENSIS

Ib. cap. 10. Habeo manifestissimam vocem Pastoris mei, commendantis mihi, & sine vllis ambagibus exprimentis, Ecclesiã mihi imputabo, si ab eius grege, quæ est ipsa Ecclesia, per verba hominum seduci atque aberrare voluero, cùm me præsertim admonuerit, dicens: Quæ sunt oues meæ, vocem meam audiunt, & sequuntur me. Ecce vox eius clara, & aperta, ac audita. Qui eum non sequitur, quomodò se ouem eius dicere audebit.

Ib. cap. 16. Remotis ergo omnibus talibus, Ecclesiam suam demonstrent (Donatistæ) si possunt, non in sermonibus & rumoribus Aphrorum, non in Conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet disputatorum, non in signis et prodigiis fallacibus, quia etiam contra ista verba Domini præparati, & cauti redditi sumus: sed in præscripto legis, in Prophetarum prædictis, in Psalmorum cantibus, in ipsius Pastoris vocibus, in Euangelistarum prædicationibus, & laboribus, hoc est, in omnibus canonicis sanctorum librorum autoritatibus.

Iisdem planè argumentis, Iesuita probat se suosque veram esse Ecclesiam Dei, quibus olim Donatistæ. His remotis secũdùm Augustinũ, quid obsecro illi erit reliquum.

CATHOLICVS

Nihil hęc faciunt contra Romanam Ecclesiam, perstringit enim D. Augustinus Donatistas, & rumores Aphrorum hęreticorum, sicut eorum etiam Concilia & fallacia prodigia, qualia legitur quoque facturus, cùm venerit eorum Pater Antichristus &c. Sed quid hæc contra Catholicos? Imò contra Lutheranos propriè dicta sunt, qui nec Episcopos habent, nec miracula faciunt, nec verum Scripturæ sensum cognoscunt, sed nudam sectantur literam; quæ sicut ait Apostolus, occidit: deficiente nimirùm humilitatis & obedientiæ spiritu, quem sectarij nõ habent. Nos ex D. Augustino, nedum ex Scriptura sacra singulas Notas euidenter comprobauimus, vt immeritò Romanam Ecclesiam aduersarius Donatistis comparet, cùm per illam Augustinus Donatistas, tãquam hæreticos, conuicerit atque damnârit; qui Ecclesiam negabant esse Catholicam.

TVBINGENSIS

Paulò pòst: & sic ostendat, vt non dicat, verum est, quia hoc ego dico, aut quia hoc dixit ille collega meus, aut illi collegæ mei, aut illi Episcopi, vel clerici, vel laici nostri: aut ideo verum est, quia illa & illa mirabilia, fecit

Patres.
Miracula.

Mm Donatus,

Reuelationes B. Brigittæ.

Donatus, vel Pontius, vel quilibet alius. Aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum, orant, & exaudiuntur. Et quia illa & illa ibi contingunt: Aut quia ille frater noster, aut illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniauit; Remoueantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera, quæ dicuntur, aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cauere debemus. Quod cùm dixisset Dominus, quosdam futuros esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo, etiam electos, si fieri posset, fallerent, adiecit, vehementer commendans, & ait: Ecce prædixi vobis.

CATHOLICVS

Frustrà quoque citauit aduersarius hęc D. Augustini verba, quibus se non Patres Ecclesiæ sed Donatum, Pontium & alios, siue superstitiosos, siue sectarios, siue phanaticos ac deliros homines coarguit, quòd excidissent à simplicitate, quæ est in Christo Iesu; & communi seu Catholica Romanæ Ecclesiæ doctrina relicta, suas inuentiones sequerentur, & aliis venditarent. Nec voluit calumniari (quod absit) miracula vera, quæ facta sunt in Ecclesia Romana; quandoquidem alibi fatetur se consensione populorum miraculis inchoata in Ecclesia Romana retētum fuisse. Nec reuelationes Apostolis ac viris Apostolicis, & aliis quoque sanctis factas irridet; cùm de illis multa præclara scripserit, & alibi passim eas agnoscat ac veneretur; sed hæreticorum somnia, tanquam figmenta, sicut ait, mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum & hæreticorū mira facta cauēda iubet. Cuius generis esse possunt, tùm quæ Zuinglius, tùm quæ Lutherus de se scribit. Ait enim: Neque nos impedire debet quòd aliqui glorientur de spiritu, & Scripturas parui faciunt &c. Sed bone amice, spiritus huc, spiritus illuc, ego quoque fui in spiritu, atque etiam vidi spiritus (si omninò de propriis gloriandū est) fortè plus quàm illi ipsi adhuc intra Annum videbūt, quantumcunq; etiā glorientur: Et spiritus meus etiā in aliquo se ostendit, cùm tamen spiritus illorum in angulo sit tacitus, & non multò plus faciat, quàm vt gloriam suam iactitet &c. Eiusdē generis sunt, quæ narrantur in Libro, qui Lutheri somnium inscribitur, vbi Lutherus narratur apparuisse quibusdā Lutheranis, & tristi vultu cōquestus esse; quòd tam ipsum, quàm eius doctrinam discipuli sui mox essent

Actor. 10. 17. 2. Cor. 12. Matth. 1. 2.

Lib. 12. de Genesi ad literam & li. de cura pro mortuis gerenda.

Zuinglius in subsidio de Euchar. Lutherus in libro ad Senatores ciuitatum Germa. de erigendis Scholis.

Querela vel somnium Lutheri.

essent deserturi. Vnde cùm adhuc viuus optauerit, vt omnia sua intercidissent scripta, præter vnicum de seruo arbitrio librum; se tamen post mortem iustiùs optare, vt nulla prorsus extarent discipulorum suorum scripta; quibus illi peruerterent omnia, & veterem Papatum in nouum mutarent. Item quòd Lutheranismus iam planè defecerit, vt Ioãnes Stoltzius refert, præterquam Magdeburgi, vbi per Amsdorffium, Illyricum & Gallum adhuc vtcunque conseruetur &c. De talibus hæreticorum visionibus, somniis, prædictionibus, seu deliriis potiùs locutus est Augustinus. Qui prædicta quoque sententia nullo modo contemnere voluit piam deuotionem Christianorum, qui ad memorias Martyrum orabant & exaudiebantur: siquidem alibi vehementer ipsemet eam deuotionem commẽdat, & iustas ob caussas fieri commemorat, ne possint aduersarij rem tàm sanctam calumniari, sic enim ait: Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur &c. Hinc videt aduersarius, quam piè sentiat Augustinus de cõcelebrandis memoriis verorum Martyrum, quorum agnoscit intercessionem, merita prædicat, imitationem nobis commendat. Ergo prædictam Augustini sententiam aduersarius non germano, sed peruerso sensu contra mentem autoris citauit, cùm nemo melior, aut certior, quàm ipse D. Augustinus, sui sit ipsius interpres.

Stoltz. in respons. ad somniũ supradictum, Anno 54. siue in defensione Martini Luth.

August. li. 20. contra Faustum Manichęum ca. 21.

Memoriæ Martyrum.

Imitandi Martyres.

Merita Martyrũ.

Intercessio Martyrum.

TVBINGENSIS

Ib. ca. 20. Hæc (Ecclesia) temporales aliquando etiam in suis frumentis patitur tempestates, vt in quibusdã locis non cognoscantur, sed in illis latent.

CATHOLICVS

Notet aduersarius Augustinum dixisse, in quibusdam locis, sed non in omnibus &c. Nam persecutionum temporibus, plerique serui Dei latitabant, sed non omnes, nec vbique. Vnde nihil ad rem hæc quoque sententia facit.

TVBINGENSIS

Traditiones.

Eod. cap. Ecce in deserto, quasi vbi non est frequentia multitudinis. Ecce in cubiculis, quasi in secretis traditionibus, atque doctrinis.

CATHOLICVS

D. Augustinus vbique reprehendit paucitatem hæreticorum sicut & secretas eorum doctrinas, sed Ecclesiam veram vbique docet esse, non in angulis latitare, sicut & Apostolus

Ecclesiæ Romanæ fidem in vniuerso mundo testatur annunciatam fuisse. Quæ proinde vera Christi Ecclesia meritò censetur, nec potest latere, cùm sit ciuitas supra montem posita: sed Lutheranorum Cętus, vt sunt particulares & varij, sic variis angulis latitant, donec à semetipsis, tanquam vipera conficiātur, ac pereant.

TVBINGENSIS *In enarrat. Psalmi 21. secunda. Vbicunque timetur Deus, & laudatur, ibi est Ecclesia Christi.*

CATHOLICVS Sensus istorum verborum est; vbi timetur Deus, sicut oportet, & vbi laudatur vero, Catholico & legitimo cultu; videlicet in vnitate fidei Catholicę, ibi est Ecclesia Christi. Igitur nihil hæc verba Catholicam & Romanam Ecclesiam oppugnant, in qua Deus timetur, & laudatur, vt propterea sit Ecclesia Christi.

TVBINGENSIS *In enarrat. Psalmi 69. Noli sequi voces eorum: Audi vocem ipsius Pastoris, qui indutus est carne, vt quæreret carnem perditam: Ostendit se tibi, vocemque eius sequere: Ostendit & Ecclesiam, ne quis te fallat, nomine Ecclesiæ. Habes vocem Pastoris tui, noli sequi vocem alienorum, & furem non timebis, si vocem Pastoris fueris sequutus.*

CATHOLICVS Et nos iuxta prædictam D. Augustini sententiam profitemur ex Scripturis, Ecclesiam Vnam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam (ratione successionis) Scripturæ sacræ testimoniis probari: Item audiendam esse vocem Pastoris, sicut & eorum, quos ipse vicarios Pastores constituit, & audiri præcepit: alienorum autem, hoc est, hæreticorum & sectariorum, qui fures & Latrones à Domino vocātur, voces audiendas nō esse.

Ioan. 10. Ioan. 12. Luc. 10. Ioan. 10.

APPENDIX.

ET quoniam aduersarius ad finem assertionum suarum falsissimarum subiunxit aliquot D. Augustini, qui summum inter Patres, eius iudicio, locum tenet, sententias corruptè citatas, sicut ex præcedētibus liquidò constat: idcircò non operæprecium modò, sed necessarium quoque fore iudicaui, vt ad Apologię huius calcē è multis pauculas (sed insigniores)

Suprà assert. 149.

eiusdem Diui Augustini sententias (sed optima fide citatas) ad maiorem prædictorum aduersarij errorum confutationem, ac veræ, Catholicæ, Apostolicæ ac Romanæ (sicut rectè fuit olim à sanctissimis Patribus appellata, & nostris temporibus necessariò, nedum rectissimè nűcupatur) Ecclesiæ defensionem loco coronidis, adiungerem.

Quòd Ecclesia Christi sit Vna, Sancta, Catholica, extra quam salus nemini contingere potest.

Quæstio inter nos versatur, vbi sit Ecclesia, vtrùm apud nos, an apud Donatistas. Quæ vtiq; vna est, quam Maiores nostri Catholicam vocârunt, vt ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est. Secundùm totum enim καθ' ὅλον Grecè dicitur. Hæc autem Ecclesia corpus Christi est, sicut Apostolus dicit: Pro corpore eius, quæ est Ecclesia. Vnde vtique manifestum, eum, qui non est in membris Christi, Christianam salutem habere non posse.

Aug. tom. 7 de vnitat Ecclesiæ cōtra Petiliani Donatistæ epist. cap. 2. & contra literas Petil. lib. 2. ca 38. & Tom. 9 in Euāgelium Ioannis, Tractat. 118. Coloss. 2.

Corpus autem huius capitis Ecclesia est, nō quæ hoc loco est, sed quæ hoc loco & per totum orbem terrarum; nec illam, quæ hoc tempore, sed ab ipso Abel, vsque ad eos, qui nascituri sunt vsque in finem, & credituri in Christum, totus populus Sanctorum, ad vnam ciuitatem pertinentium, quæ ciuitas corpus est Christi, cui caput est Christus. Ibi sunt & Angeli ciues nostri, sed quia nos peregrinamur, laboramus: Illi autem in ciuitate expectant aduentum nostrum.

Aug. Tom. 8. Psal. 90. Con. 2. Ecclesia Christi, Catholica siue vniuersalis est loco & tempore. Ephes. 5. Coloss. 1.

Audi, qui sit locus electus, & quæ tribus Domini prædicata, in Psalmo 131. habes: Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in sæculum, sæculi, hîc habitabo, quoniam prælegi eam. Item in Psalmo 121. Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis Hierusalem. Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas: Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israël. Hic est locus electus, hic mons sanctificatus, hæc ciuitas suprà montem posita, vt abscondi non possit, hæc radix Catholica, hæc vitis fructifera, longè lateque diffusa, quæ in Ecclesiastico clamat, & dicit: In Siō fundata sum, & in Hierusalem potestas mea. Etenim opor-

Aug. Tom. 7 contra Fulgent. Donatist. cap. 18. Matth. 5. Ecclesia locus electus, mons sanctificatus, ciuitas supra montem posita, radix Catholica, vitis longè lateque diffusa. Ecclesiast. 24.

Luc. 14. Actor. 14. Ecclesia hæreditas Dei, tribus Regis Christi.

tuit pati Christum, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitētiam & remissionem peccatorum, per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem: Rectè me argueres (Alloquitur Fulgentium Donatistam) si in hac hæreditate maneres. At cùm in hac Dei Patris hæreditate nō maneas, in hac Christi Regis tribu non milites, cur desertor corripis militem, cur reus increpas innocentem? Et ego tibi dico: Attende tibi, ne offeras in omni loco, id est, in omni hæresi, & dicas, & hic Deus, & ibi Deus est: sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus in tribu tua, id est, in tribu eius, ibi offeres holocaustomata tua, & ibi facies omnia, quæ præcepta sunt tibi.

In Ecclesia holocaustomata offerenda, & præcepta Dei facienda.

Aug. Tom. 8. Psal. 56. super vers. Et super omnem terram gloria tua.

Hæretici Præcisi ab Ecclesiæ compagine, partem tenent, totum amittunt.

Psalm. 56 & 107.

Qualem vesaniam patiuntur hæretici, quæso vt attendatis; Illi præcisi à compagine Ecclesiæ Christi, & partem tenentes, & totum amittētes, nolunt communicare orbi terrarum, quo diffusa est gloria Christi. Nos autem Catholici in omni terra sumus, quia omni terræ communicamus, quacunq; gloria Christi diffusa est. Videmus enim, quod tunc cantatum est, modò completum: Exaltatus est super cœlos Deus noster, & super omnem terram gloria eius. O hæretica insania, quod nō vides, credis mecum; quod vides, negas. Credis mecum, exaltatum Christum super cœlos, quod non vidimus: & negas, gloriam eius super omnem terram, quod videmus.

Augu. Tom. 1. de vera relig. cap. 7.

Retinēda semper Ecclesiæ Catholicæ communio.

Etiam ipsi hæretici veram Ecclesiā coguntur interdū vocare Catholicā.

Augu. Tom. 2. epi. 50. sub finem ad Bonifacium Comitem.

Tenenda est nobis Christiana religio, & eius Ecclesiç cōmunicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, nō solùm à suis, sed etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolíntue ipsi quoque hæretici, & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquūtur, Catholicam nihil aliud, quàm Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur.

Ephes. 5.

Extra Ecclesiam neminem viuificat Spiritus sanctus.

Rom. 5.

Non est particeps diuinæ charitatis, qui hostis est vnitatis.

Ecclesia Catholica sola corpus est Christi, cuius ille Caput est, Saluator corporis sui. Extra hoc corpus neminem viuificat Spiritus sanctus, quia sicut ipse dicit Apostolus: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Non est autem particeps diuinæ charitatis, qui hostis est vnitatis. Non habent itaque Spiritum sanctum, qui

sunt

ſunt extra Eccleſiam: De illis quippe ſcriptum eſt: Qui ſeipſos ſegregant, animales, Spiritum non habentes. Sed nec ille eum percipit, qui fictus eſt in Eccleſia, & quomodò deinde ſcriptum eſt: Sanctus enim Spiritus diſciplinæ effugiet fictum. Qui vult ergo habere Spiritum ſanctum, caueat foris ab Eccleſia remanere, caueat in eam ſimulatè intrare.

Iudæ 1.
Sap. 1.

Quadripartita veſtis, Domini noſtri Ieſu Chriſti, quadripartitam figurauit eius Eccleſiam, toto ſcilicet, qui quatuor Partibus cōſtat, terrarum orbe diffuſam, & omnibus eiuſdem partibus æqualiter, id eſt, concorditer diſtributam. Propter quod alibi dicit, miſſurum ſe Angelos ſuos, vt colligant electos eius à quatuor ventis: Quod quid eſt, niſi à quatuor partibus mundi, Oriente, Occidente, Aquilone & Meridie? Tunica verò illa ſortita, omnium partium ſignificat vnitatem, quæ charitatis vinculo continetur.

Augu. Tom. 9. In Euangel. Ioannis Tractat. 11.
Ioan. 19.
Quadripartita Chriſti veſtis Eccleſię per quatuor orbis partes diffuſæ figura.
Matth. 24.
Marc. 13.
Tunica inconſutilis Chriſti, Eccleſię deſignat vnitatem.

Claudit ora (Ioannes Apoſtolus) diuidentibus Eccleſiam Dei: quia dixit, Ieſum Chriſtum habemus iuſtum, & ipſe propitiatio eſt peccatorum noſtrorum. Propter illos, qui ſe diuiſuri erant, & dicturi: Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic, & vellent oſtendere eum in parte, qui emit totū, & poſsidet totum: continuò ſecutus, adiunxit: Non tantùm noſtrorum, ſed & totius mundi. Quid eſt hoc, fratres? Certè inuenimus eam in campis ſaltuum, inuenimus Eccleſiā in omnibus gentibus. Ecce Chriſtus propitiatio eſt peccatorum noſtrorum, non tantùm noſtrorum, ſed & totius mundi. Ecce habes Eccleſiam per totum mundum, noli ſequi falſos iuſtificatores & veros præcipitatores. In illo mōte eſto, qui impleuit orbem terrarum: quia Chriſtus propitiatio eſt peccatorum noſtrorū, non tantùm noſtrorum, ſed & totius mundi, quem ſuo ſanguine comparauit.

Augu. Tom. 9. in epiſt. Ioannis Tractat. 1.
Ioan. 19.
Matth. 24.
Pſalm. 131.
1. Ioan. 2.
Ibidem.

Nec eos audiamus, qui ſanctam Eccleſiam, quæ vna Catholica eſt, negant, per orbem eſſe diffuſam, ſed in ſola Africa, hoc eſt, in parte Donati pollere arbitrantur. Ita ſurdi ſunt aduerſùs Prophetam dicentem: Filius meus es tu, ego hodie genui te; poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. Et alia multa, ſiue in veteris, ſiue in noui Teſtamenti libris, quæ ſcripta ſunt, vt apertiſsimè

Aug. Tom. 13. de agone Chriſti ca. 29.
Pſalm. 2.

tißimè declarent, Eclesiam Christi, per orbem terræ esse diffusam.

Aug. Tom 3. de Genesi ad literam imperf. cap. 1. Ecclesia quarè Catholica.

Catholica dicitur ex eo, quia vniuersaliter perfecta est, & in nullo claudicat, & per totum orbem diffusa est.

Aug. Tom 9. de Symb. lib. 4. ca. vo. Luc. 24. Actor. 14.

Totum poßidet, quod à viro suo accepit in dote. Lego tabulas matrimoniales eius, recitabo. Audite hæretici, quid scriptum sit. Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicare in nomine eius pœnitētiam, & remißionem peccatorum per omnes gentes. Omnes gentes totus mundus est. Ecclesia totum poßidet, quod à viro suo accepit in dote. Quęcunque congregatio cuiuslibet hæresis in angulis sedet, concubina est, non matrona. O hæresis Ariana, quid insultas, quid exsufflas, quid etiam ad tempus multa vsurpas? Iniuriam à te patitur Domina ab ancilla, multas ei ingeris contumelias, licet hęc doleat, non te magna metuit Sponsa Christi sancta Catholica. Cùm enim respexerit ille Spōsus, eiicieris tu vt ancilla cum filiis tuis, quoniam non erunt hæredes filij ancillæ cum filiis liberæ. Cognoscatur vna, sancta & vera Regina Catholica, cui Christus regnum tale dedit, quòd eam, per totum mundū diffundens, ab omni macula & ruga mundans, totam pulchrā suo aduentu præparauit.

Omnis congregatio hæreticorū concubina est, & ancilla dominam insolescens.

Genes. 21. Galat. 4.

Ephes. 5.

Aug. Tom. 10. de temp. serm. 131. Ecclesiæ hæreticorum, non dicendæ Catholicæ.

Sanctam Ecclesiam Catholicam. Catholicam dicit, toto orbe diffusam, quia diuersorum hæreticorum Ecclesiæ, ideò Catholicę non dicuntur, quia per loca, atque per suas quasque prouincias continentur, hæc verò à Solis ortu vsque ad occasum, vnius fidei splendore diffunditur.

Aug. Tom. 7. contra Gaudentium Donatist. li. 3. c. 1. De vnitat. Eccles. Ecclesia per totū orbem radios suos porrigit.

Quoniam vos (Donatistas) potiùs esse Catholicos, testimonio Beati Cypriani affirmare conatus es, attende paululùm, quam Ecclesiam dixerit ille Catholicam, cùm eius defenderet vnitatem: Ecclesia, inquit, Domini luce perfusa, per totum orbem radios suos porrigit. Vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur: nec vnitas corporis separatur: Ramos suos, in vniuersam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos largiùs expandit. Vnum tamen Caput est, & origo vna: & vna mater fœcunditatis succeßibus copiosa. Quid igitur & vos ipsos fallitis, & alios fallere mēdaciis impu-

impudentibus vultis? Si huius martyris testimonio, vestra est Ecclesia Catholica, ostendite illam per Orbem totum radios suos porrigere; ostendite illam per vniuersam terram ramos suos copia vbertatis ostendere. Hinc enim & Gręco vocabulo, Catholica nominatur. Quod enim Græcè ὅλον dicitur, Latinè totum, vel vniuersum declaratur. Per totum ergo siue secundùm totum est, καθ' ὅλον, vnde Catholica nuncupatur. Si hoc nôsti, quarè te nosse dissimulas? Si autem ignoras, quarè non priusquàm loqueris, quod nescis, eos, qui nôrunt, interrogas? Quòd si displicet tibi, non Græcam, sed aliquam linguam inueni, quâ doceas καθ' ὅλον non per totum siue secundùm totum, vel secundùm vniuersum significare: & recede à testimonio Cypriani. Ille namque contra te loquitur, qui vides, quid dicat: Per orbem totum dicit, & per vniuersam terram porrigi extendique Catholicam: Græco eius nomini ac definitioni consentiens. Etymologia dictionis Catholica.

Prædictis Diui Augustini sententiis euidenter conuincitur; Ecclesiam Christi propterea Catholicam dici, & esse, quòd semper fuerit, & vbique, hoc est, toto terrarum Orbe sit diffusa. Quod aduersarius tamen in præcedentibus, sed malè, negauit. Cùm igitur Diuum Augustinum recipiat (quippe cuius tot licet perperàm sententias produxit,) necessum est, vt hac etiam in parte cũ eo, ac cæteris Ecclesiæ Patribus (errore priùs deposito) rectè sentiat ac sapiat. CATHOLICVS Assert. 97.

Verbum Dei, & vsum Sacramentorum non esse Notas euidentes, quibus vera Christi Ecclesia cognoscatur; probatur, subiectis Diui Augustini sententiis.

Inuenimus eundem Deum (quem & Christiani Catholici colunt) extra Ecclesiam ab ignorantibus coli, & nec ideò fieri, vt non ipse sit Deus: Inuenimus etiam eos, qui non pertinent ad membra Ecclesiæ, eandem fidem confiteri, nec ideò fieri, vt non sit vna fides. Sic etiam, cùm inuenimus eundem Baptismum ab eis, qui sunt contra Ecclesiam, in Baptizandis hominibus obseruari, non ideò non esse ipsum Baptismum existimare debemus. Fortaßè ad hoc dicas, fieri non posse, vt Aug. Tom. 7. contra Crescon. Grã. lib. 1. cap. 19.

Matth. 16. extra Ecclesiam, idem ipse vnus Deus colatur, aut eadem fides, quâ confitemur Christum filium Dei, Vnde Petrus beatus est appellatus, etiam in eis, qui non sunt in Ecclesia, reperiatur. Hoc ergo restat vt probem. Habes in hoc ipso beati Pauli sermone, quem suprà ex Actibus Apostolorum commemoraui, (Actor. 17. Deus extra Ecclesiam etiã colitur.) cùm de Deo loqueretur, quia inscriptũ in ara inuenerat, Ignoto Deo: quem vos, inquit, ignorantes, colitis, hunc ego annuncio vobis. Quid eis prædicare cupiebat, nisi eundem Deum, quem præter Ecclesiam ignoranter atque inutiliter colebant, in Ecclesia sapienter & salubriter colerent. Ita vobis & nos dicimus, quem Baptismum vos ignorantes obseruatis, eius potestatem vobis nos annunciamus, nõ vt cùm ad nos veneritis, (Baptismus extra Ecclesiam esse potest.) alterum accipiatis, sed vt eum, qui iã apud vos erat, vtiliter habeatis. De fide etiã Iacobus Apostolus cùm loqueretur aduersùs eos, qui sibi, quod crediderãt, sufficere arbitrabãtur, & benè operari nolebãt. (Iacob. 2.) Tu credis, inquit, quoniam vnus Deus est, benè facis, & Dæmones credunt & contremiscunt. Nempe in vnitate Ecclesiæ Dæmones non sunt, nec ideò tamẽ possumus dicere, aliud esse, quod credunt, cùm & Domino Iesu Christo dixerint: (Marc. 1.) Quid nobis & tibi est Fili Dei? Vnde Paulus Apostolus: (1. Corinth. 13.) Si habeam, inquit, omnem fidem, ita vt montes trãsferam, charitatem non habeam, nihil sum. Non autem existimo quẽquam ita desipere, vt credat, ad Ecclesiæ pertinere vnitatem eum, qui non habet charitatem: Sicut ergo Deus vnus colitur ignoranter, etiam extra Ecclesiam, nec ideò non est ipse: Et fides vnà habetur sine charitate, etiam extra Ecclesiam, nec ideò non est ipsa; (Ephes. 5.) Vnus enim Deus, vna Fides, vnum Baptisma, vna incorrupta Catholica Ecclesia, non in qua sola vnus Deus colitur; sed in qua sola vnus Deus piè colitur: Nec in qua sola vna fides retinetur; sed in qua sola vna fides cum charitate retinetur: Nec in qua sola vnus Baptismus habetur; sed in qua sola vnus Baptismus salubriter habetur.

(In sola Catholica Ecclesia vnº Deus piè colitur, vna fides cum charitate retinetur, vnus Baptismus salubriter habetur.)

(Augu. Tom. 7. de Baptismo contra Donat. li. 3. ca 19.) Quęcunque seductores integra & legitima tenent, nec ea etiam sibi ipsi arrrogarent, & quasi propria vendicarent, nisi à plebibus seductis, vicissim seducerentur, cùm eis creditur, & tales honores deferuntur, vt per eos habeant potestatem

(Hæretici plebes seducũt, & ab ipsis dum honorantur, vicissim seducuntur.)

talia

talia dicendi, & sibi talia vendicandi, vt error eorum veritas appelletur, & scelus eorũ iustitia putetur, propter Sacramenta & Scripturas, quas tenent ad speciem, non ad salutem. Ideoq; & per Ezechielẽ fornicariç dicitur: Et protulisti de vasis gloriç tuæ, de auro meo & argento meo, ex quibus dedi tibi, & fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis, & accepisti vestem meam versicoloriam, & cooperuisti idola tua, & oleum meum, & incensum meum imposuisti ante faciem idolorum tuorum, & panes meos, quos dedi tibi; & similagine, & melle, & oleo cibaui te, & posuisti hæc ante faciem idolorum tuorũ, & in odorem benè olentem perfecisti hæc. Ad imagines enim phantasmatum suorum, cum quibus volutari carnalis anima delectatur, conuertit omnia Sacramenta, & verba librorum Sanctorum.

Apud hæreticos Sacramẽta et Scripturæ sunt ad speciẽ nõ ad salutem.

Ezech. 16.

Hæretici ad imagines phantasmatum suorum Scripturas & Sacramenta conuertũt.

Quo ergo signo manifesto (interrogat Catechumenus) adhuc paruulus, & nondum valens liquidam discernere à tot erroribus veritatem. Quo manifesto iudicio tenebo Ecclesiam Christi, in quem iam credere, tanta rerum anteà prædictarum manifestatione compellor? Sequitur Propheta, & tanquam motus animi eius ordinatissimè excipiens, docet eum Ecclesiam Christi, ipsam esse prædictam, quæ omnibus eminet & apparet. Ipsa est enim sedes gloriæ, de qua Apostolus dicit: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Vnde iste dicit: Sedes autem gloriæ exaltata est, sanctificatio nostra. Propter hos enim motus paruulorum, qui possint seduci ab hominibus, à manifestatione claritatis Ecclesiæ, Dominus quoque prouidens ait: Non potest ciuitas abscondi supra montem constituta, quia vtique sedes gloriæ exaltata est sanctificatio nostra, vt non audiantur illi, qui ad religionum scissuras traducunt, dicentes: Ecce hîc est Christus, ecce illic, partes enim ostendunt, dicentes: Ecce hîc, ecce illic, cùm illa ciuitas super montem sit. Quem montem? nisi eum, qui secundùm Prophetiam Danielis ex paruulo lapide creuit, & factus est mons magnus, ita, vt impleret vniuersam terram.

Aug. Tom. 6. coutra Faustum Manich. lib. 3. cap. 19. Manifestum iudicium inueniendi Ecclesiam.

Hierem. 17.

1. Corinth. 3.

Matth. 5.

Hierem. 17.

Non ergo audiendi Sectarij.

Matth. 24.

Dan. 2.

Aug. Tom. 7. sup Gestis cū Emerito, vltra medium.

Nusquam nisi in Ecclesia Catholica salus potest inueniri.

Salutem nō potest habere (de Emerito Donatistarū Episcopo sermo est) nisi in Ecclesia Catholica. Extra Ecclesiam totum habere potest prętet salutem, potest habere honorem, potest habere Sacramentum, potest cantare Halleluia, potest respondere Amen, potest Euangelium tenere, potest in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, fidem & habere & prædicare, sed nusquam, nisi in Ecclesia Catholica, salutem poterit inuenire.

CATHOLICVS

Assert. 59.

Quod si iuxta præmissa Diui Augustini documenta, extra Ecclesiam, Deus, Professio fidei, Verbum Dei esse possunt, licet prodesse non possunt: certè per hæc, tanquam euidentia signa, non potest vera Christi Ecclesia cognosci. Vnde supradictus aduersarij error, per Diuum Augustinum abundè confutatus cernitur.

Quòd Ecclesia própter malos, quos bònis admixtos habet, deserenda non sit.

Augu. Tom. 4. De fide & operibus, cap. 5.

Cùm, siue per negligentiam Præpositorum, siue per aliquam excusabilem necessitatem, siue per occultas obreptiones, inuenimus in Ecclesia malos, quos Ecclesiastica disciplina corrigere aut coërcere non possumus, tunc nec ascendat in cor nostrū impia & perniciosa præsumptio; quâ existimemus, nos ab his esse separandos, vt peccatis eorū non inquinemur, atque ita post nos trahere conemur, veluti mundos sanctosq; discipulos, ab vnitatis compage, quasi à malorum consortio segregatos: Veniant in mentem illæ de Scripturis similitudines, & diuina oracula, vel certissima exempla, quibus demonstratum & prænunciatum est; malos in Ecclesia permixtos bonis, vsque in finem sæculi tempusque iudicij futuros, & nihil bonis in vnitate ac participatione Sacramētorum, qui eorum factis non consenserint, obfuturos.

Permixtio malorum in Ecclesia non nocet iis, qui eorum factis non consentiunt.

Aug. Tom. 7. de vnita. Eccles. c. 13.

Malos in Ecclesia bonis permixtos esse. ex Scripturis probatur.

Habemus innumerabilia testimonia, & de commixtione malorum cum bonis in eâdem cōmunione Sacramenti, sicut Iudas, ab initio malus, inter bonos vndecim conuersatus est: & de bonorum paucitate, propter malorū plurimorum comparatio-

parationem, & rursus de bonorum multitudine, per seipsam considerata. Ex quibus, ne longum faciam, pauca commemorabo. Est in Canticis Canticorum, quod de sancta Ecclesia dictum omnis Christianus agnoscit: Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Vnde appellat spinas, nisi propter malignitatem morũ? Et easdem, vnde filias, nisi propter communionem Sacramentorum? Videt etiã Ezechiel signatos quosdam, ne cum malis interirent, de quibus ei dicitur: Qui gemunt & mærent peccata & iniquitates populi mei, quæ fiunt in medio eorum. Populum suum non diceret, quẽ (solis illis illęsis) perire mox iubet, nisi eum populum, qui eius Sacramenta gestabat. Dicit & Dominus de superseminatis zizaniis. Sinite vtraq; crescere vsq; ad messem; id est, triticũ & zizania. Et ipse interpretatur messem esse finem sæculi: Agrũ verò vbi vtrumq; seminatum est mundum esse. Oportet itaque vsque in finem sęculi crescere vtrunq; per mundum. Et paulò pòst. Est alia similitudo apertissima de commixtione malorũ & bonorum intra eandem Sacramentorum communionem & connexionem, quam Dominus ipse ponit & exponit: Simile est, inquit, regnum cœlorum sagenę missæ in mare, quæ cõgregat omnia genera piscium. Cùm autẽ impleta esset, eduxerũt eam ad littus, & sedentes elegerunt optimos in vasa sua, malos autem foras miserunt: sic erit in consummatione sęculi; exibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & stridor dentium: Nulla ergo malorum commixtio terreat bonos, vt propterea velint tanq̃ retia rumpere, & à congregatione vnitatis exire, ne homines non pertinentes ad regnum cœlorum, in Sacramentorum consortio patiantur.

Cant. 2. In Ecclesia lilium & spinæ.

Ezech. 9. Boni ergo & mali Dei Sacramenta gustare ac in eis cõmunicare possunt.

Matth. 13. Mundus pro Ecclesia ponitur, inquit, Augustinus, sicut etiã Cyprianus intellexit, quia per totum mundum futura prefigurabatur Ecclesia. Tom. cõt. Donatist. post collat. cap. 7.

Matth. 13.

Boni malos in Ecclesiæ communione patienter ferre debent.

Hinc B. Cyprianus quid senserit, accipe ex epistola, quam scripsit ad Presbyterum Maximum & cęteros, quibus de Schismatico & hęretico errore ad Ecclesiam redeuntibus gratulatur. Nam etsi videntur, inquit, in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, vt quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis tantummodò laborandum est, vt frumẽtum esse possi-

Aug. Tom. 7. contra Cresc. Gram. lib. 2. ca. 34.

Matth. 13.

Nulli ex Ecclesia recedere debēt, ppter zizania, sed laborent singuli, vt frumentum esse posint. mus, vt cùm cæperit frumētum dominicis horreis condi, fructū pro opere nostro & labore capiamus. Apostolus in epistola

2.Tim.2. sua dicit: In domo autem magna non solùm vasa aurea, & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem honorata, quædam inhonorata. Nos operam demus, & quantùm possumus laboremus, vt vas aureum & argenteum simus. Cæterùm

In Ecclesia non solùm vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia. fictilia vasa confringere Domino soli concessum est, cui virga ferrea data est. Esse non potest maior Domino suo seruus, nec

Psal.2. Matth.10. Ioan.13. Matth.3. Luc.3. quisquam sibi, quod soli Filio Pater tribuit, vendicare, vt se putet aut ad aream ventilandam & purgandam paleam ventilabrum iam ferre posse, aut à frumento vniuersam zizaniam humano iudicio separare. Superba est illa obstinatio & sacrilega

Hoc nouis accidit hæreticis. præsumptio, quam sibi furor prauus assumit. Et dum sibi semper quidam, plus quàm mitis iustitia deposcit assumunt, de Ecclesia pereunt, & dum se insolenter extollunt, ipso suo tumore cæcati veritatis lumen amittunt. Vides frater secundùm Scripturas diuinas hoc præcepisse Cyprianum etiam propter malos. Qui cùm sint à bonis, vita moribusq; spiritualiter separati, corporaliter tamen eis in Ecclesia videntur esse permixti vsque in diem iudicij, quo etiam corporaliter debitas separa-

Matth.3. buntur ad pœnas. Non est Ecclesia deserenda tanquā frumen-

2.Thess.2. ta propter paleam vel zizania, sicut nec domus magna propter

Hæretici sceleratè separantur ab Ecclesia. vasa inhonorata. Vides, audis, sentis, capis, intelligis, quanto scelere propter eos, qui vobis siue rectè siue cùm fallimini displicent, separemini ab Ecclesia, quę toto orbe diffunditur, cui secundùm Scripturas diuinas, tàm magnum, tàm firmum, tàm clarum ac luculentum testimonium perhibet Cyprianus.

CATHOLICVS

Ergo tàm sibi, quàm aliis pessimè consuluit aduersarius, quòd ipse deseruit, & aliis deserēdam suasit Ecclesiam Catholicam, propter abusus scilicet, qui tamen apud ipsos, plures & maiores reperiuntur, vt ipsorum testimonia in pręcedentibus alligata, probant.

Extra Catholicam, & Romanam Ecclesiam, in qua D. Augustinus cæteriq; S. Patres vixerunt, & piè mortui sunt, nullam esse salutem, probat Augustinus.

Augu.Tom.7.ser. cum Emerito. Salutem non potest habere, & cætera vide suprà.

Quisquis

Quisquis ille est, & qualiscunq; ille est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est. Sola quippe est per quam sacrificium Dominus libenter accipiat, sola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. Vnde etiam de agni hostia Dominus præcepit dicens: In vna domo comedetis, nec efferetis de carnibus eius foras. In vna namq; domo agnus comeditur, quia in vna Catholica Ecclesia vera hostia Redẽptoris immolatur. De cuius carnib. diuina iussio efferri foras prohibet, quia dari sanctum canibus vetat. Sola est, in qua opus bonum fructuosè peragitur, vnde mercedem denarij, non nisi qui intra vineam laborauerant acceperunt. Sola est quæ intra se positos valida charitatis compage custodit. Vnde & aqua diluuij Arcam quidem ad sublimiora sustulit, omnes autem quos extra Arcam inuenit, extinxit. Sola est in qua mysteria superna veraciter cõtemplemur. Vnde ad Moysen Dominus dicit: Est locus apud me, & stabis supra petram. Et paulò pòst: Tollam manum meã & videbis posteriora mea. Quia enim ex sola Catholica Ecclesia veritas conspicitur; apud se esse locum Dominus perhibet, de quo videatur. In Petra Moyses ponitur, vt Dei speciem contempletur, quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, diuinam præsentiam non agnoscit. Auelle, inquit, (Cyprianus) radium Solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit. Frange ramum ab arbore, fractus germinare non poterit. A fonte præcide riuũ, præcisus arescet. In his Cypriani verbis intelligimus lucem non capere diuisionem, nisi in Sanctis regno Dei prædestinatis, qui diuidi ab Ecclesia nullo modo possunt: & non germinare ramum fractũ salutis æternæ germine, accipimus. Ariditatem verò riui à fonte præcisi, in eo quod Spiritu sancto vacuantur, qui ab vnitate separantur, agnoscimus.

Aug. Tom. 10. de tempore ser. 181. qui est in vigilia Pentecostes, serm. 1. cap. 12. Eadem Cypriani citat.

Exod. 12.

In sola Ecclesia bonũ opus fructuosum est, & vera hostia Redemptoris immolatur.

Matth. 7.
Matth. 20.
Gen. 7.

Exod. 33.

Ex sola Ecclesia Catholica veritas conspicitur.

Cyprianus de simplicitate Prælatorum.

Munus Beatę vitę non nisi intra Ecclesiam reperitur, quę super petram etiam fundata est, quę ligandi & soluendi claues accepit. Hæc est vna quę tenet & possidet omnem sui sponsi, & Domini potestatem, per quam coniugalem potestatem etiam de ancillulis filius parere potest: qui si non superbiant, in sortẽ hęreditatis vocabuntur: si autẽ superbiant, extrà remanebunt.

Augu. Tom. 7. de Baptis. contra Donatist lib. 4. cap. 1.
Matth. 16.
Ecclesia omnẽ sui sponsi potestatem tenet & possidet.

Quisquis ergo ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantum-

Augustin. Tom. 2. epist. 152. ad Pop. fact. Dona,

Damnandi ergo sunt hæretici & Schismatici, vel hoc solo scelere, quod ab Ecclesia Catholica separentur.

quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere, quòd à Christi vnitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Quisquis autem in hac Ecclesia benè vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata, quia vnusquisq; in ea proprium onus portabit.

Ecclesiam Catholicam in fidei dogmatibus nunquam errasse, nec erraturam aliquando, probat Augustinus.

Auguſt. Tom. 8. Psal. 57. In ventre Ecclesiæ veritas est, à qua separati, falsa loquuntur.

In ventre Ecclesię veritas manet. Quisquis ab hoc ventre Ecclesię separatus fuerit, necesse est vt falsa loquatur. Necesse, est, inquam, vt falsa loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excussit.

Aug. Tom. 6. concione ad Catechum. ca. 10.

HÆC (Ecclesia) est mater vera, pia mater & casta, intrinsecùs sui viri dignitate ornata, nō forinsecùs mendacio fallente turpiter colorata. Non nos ab ista matre nomen confictum seducat alienum, non nos Ecclesiæ species alienæ decipiat.

August. Tom. 9. in Euangel. Ioannis, Tract. 32.

QVANTVM quisque amat Ecclesiam, tantùm habet Spiritum sanctum.

Augustin. Tom. 6. Concione ad Catechum. ca 10. Ad hæreticos ab Ecclesia Catholica transfugientes, tanquam fugitiui serui damnandi sunt. 1. Cor. 15.

APVD Catholicam fidem Dilectissimi noueritis tātùm esse veram fidem, germanam pacem, perpetuam salutem. Non enim in angulo est, sed vbiq; tota est. Si quis ab ea discesserit, atq; hæreticorum errori se tradiderit, vt fugitiuus seruus iudicabitur, non vt filius adoptiuus: nec ad vitam æternam resurget, sed potiùs ad damnationem; quoniam bonis malisq; promittitur resurrectio. Omnes quidem resurgemus, ait Apostolus, sed non omnes immutabimur. Et quid prodesset fratres mei resurgere & non immutari?

Aug. Tom. 6. contra Faustum li. 15. cap. 3. Veritatem sola habet Ecclesia, & in lacte suo, & in pane suo. Anathematizādus quicunq; Euangelizauerit præter id quod acceptū est in Ecclesia. Galat. 1.

NOLI decipi nomine veritatis (*alloquitur Catholicam Ecclesiam*) hanc sola tu habes, & in lacte tuo, & in pane tuo. In hac antem (*Manichæorum Ecclesia*) tantùm nomen eius est, ipsa non est. Et in tuis quidem grandibus secura es. Sed appello interim paruulos tuos, fratres, filios, Dominos meos, quos vel tāquam oua sollicita alis foues, vel tanquam infantes lacte nutris, sine corruptione fœcunda Virgo mater. Hos in te appello teneros fœtus tuos, ne garrula curiositate seducantur abs te: sed potiùs Anathematizēt, si quis eis euangelizauerit, præter id quod acceperunt in te.

FVNDAVIT

FVNDAVIT terram super firmamentum eius) Terram intelligo Ecclesiam. Quæ est firmitas eius super quam fundata est, nisi fundamentum eius? An incongruè intelligimus firmitatem, super quam fundata est terra, fundamentum, vbi est constituta Ecclesia? Quod est illud fundamentum? fundamentum, inquit, nemo potest ponere, præterquàm quod positum est, quod est Christus IESVS. Ibi ergo firmati sumus. Meritò ibi firmati, nō inclinabimur in sæculum sæculi, nihil enim firmius isto fundamento: Infirmus tu eras, sed firmum fundamentum te portat. In te firmus esse non poteras: firmus eris semper, si ab illo firmo fundamento non recedas. Non inclinabitur in sæculum sæculi. Ipsa est prædestinata columna, & firmamentum veritatis.

Augußt. Tom. 8. in Psal. 103. Cōcione 50. Vide & Concio. 2. super eundē Vers.

1. Cor. 3.

1. Tim. 3. Ecclesia est prædestinata columna, & firmamentum veritatis.

DICVNT (*Donatistæ*) de apostasia orbis terrarum dictum esse, quod ait Dominus: Filius hominis veniens, putas inueniet Fidem in terra? Quod nos intelligimus dictum, vel propter ipsam fidei perfectionem, quæ ita difficilis est in hominibus, vt in ipsis quoque admirabilibus Sanctis, sicut in ipso Moyse, inueniatur aliquid, vbi trepidauerint, vel trepidare potuerint, vel propter illam iniquorum abundantiam & paucitatem bonorum, de qua satis diximus; Propterea enim tanquàm dubitans hoc Dominus dixit. Neque enim ait: Veniens Filius hominis non inueniet Fidem in terra: sed, putas inueniet Fidē in terra?

Augußt. Tom. 7. de vnit. Ecclesię c. 13.

Interpretatur illud Christi: Filius hominis veniens putas inueniet fidem? }

Luc. 18.

Ergò falsa est assertio 12. qua nugatur aduersarius, Ecclesiam Catholicam non semper verbi diuini lucernam sequi, sed interdum errare, & in tenebris ambulare?

CATHOLICVS

Ex peruersa Scripturarum intelligentia hæreseis nasci probat Augustinus:

Omnes hæretici, qui eas (*Scripturas*) in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur Sectari, cùm suos potiùs sectentur errores, ac per hoc, nō quòd eas contemnant, sed quòd eas non intelligant, hæretici sunt:

Aug. Tom. 2. epist. 222. ad Consentium.

Hæretici non tàm Scripturas quàm suos errores sectantur.

Neque enim natæ sunt hæreses, & quędam dogmata peruersitatis illaqueantia animas & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in

Augußt. Tom. 9. In Euangel. Ioannis Tract. 18.

Dum non benè intellecta in Scripturis audacter asseruntur, hæreseis & peruersa dogmata exoriri contingit.
Magna cautio in Scripturis intelligendis adhibēda.

eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur. Itaque Charissimi, valdè cautè hæc audire debemus, ad quę capienda paruuli sumus, & corde pio, & cum tremore, sicut scriptum est, hanc tenentes regulam sanitatis, vt quod secundùm fidem, qua imbuti sumus, intelligere valuerimus, tanquàm de cibo gaudeamus: quod autem secundùm sanam fidei regulam intelligere non poterimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus, hoc est, vt, etiamsi quid nescimus, bonum tamen, & verum esse minimè dubitemus.

August. Tom. 3. de Genesi ad literam lib. 7. cap. 9.
Falsæ opiniones ex praua Scripturarū intelligentia.

Neque enim non omnes hæretici Scripturas Catholicas legunt, nec ob aliud sunt hæretici, nisi quòd eas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra eorum veritatem peruicaciter asserunt.

Aug. Tō. 8. Ps. 10.
Psal. 10.

DICAMVS ergò tota fiducia, ne, dum Christum apud hæreticos quærimus, amittamus. In Domino cōfido, quomodò dicitis animæ meæ, transmigra in mōtes, sicut passer? Quoniam ecce peccatores tetenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscura luna rectos corde. Terrores isti sunt comminantium nobis de peccatoribus, vt ad se tanquàm ad iustos transeamus. Ecce, inquiunt, peccatores tetenderunt arcum: credo Scripturas, QVAS ILLI CARNALITER INTERPRETANDO, VENENATAS INDE SENTENTIAS EMITTVNT. Parauerunt sagittas suas in pharetra, eadem verba, scilicet, quę Scripturarum auctoritate iaculaturi sunt, in cordis occulto parauerunt. Vt sagittent in obscura luna rectos corde, vt cùm senserint, Ecclesiæ lumine propter multitudinem imperitorum & carnalium obscurato, non se posse conuinci; corrumpant bonos mores colloquiis prauis.

Scriptura vitiosè interpretata arcus hæreticorum.
Hæretici in multitudine imperitorum & carnaliū hominū cōfidunt.
1. Cor. 15.

Quòd Romanus Pontifex olim ante tempora Augustini in caussis Episcoporum iudicio præsederit, probat Augustinus.

Aug Tom. 2 epist. 162. ad Episcopos Donatistas.
Melchiadis in Africanos Episcopos auctoritas.

MELCHIADIS (*Romanæ Ecclesiæ Episcopi*) vltima est prolata sententia. quàm innocēs, quàm integra, quàm prouida atque pacifica, qua neq; Collegas (*LXX. Episcopos Donatistas*) in quibus nihil constiterat, de Collegio suo ausus est remouere, & Donato

Donato solo, quem totius mali Principem inuenerat, maximè culpato, sanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit; paratus communicatorias literas mittere, etiam iis, quos à Maiorino (*Episcopo Donatista, in locum Cæciliani Carthagini subrogato*) ordinatos esse constaret: ita vt quibuscunq; locis duo essent Episcopi, quos dissensio gemināsset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda prouideretur. O Virum optimum, ô Filium Christianæ pacis, & Patrem Christianæ plebis.

Melchiades Pater Christianæ plebis.

Sed quia Constantinus non est ausus de caussa Episcopi iudicare, eam discutiendā atq; finiendam Episcopis delegauit, Quod & factum est in vrbe Roma, præsidente Melchiade Episcopo illius Ecclesiæ cum multis Collegis suis. Qui cùm Cæcilianum innocentem pronunciāssent, & Donatum, qui schisma Carthagini fecerat, sentētia percussissent, iterum Vestri ad Imperatorem venerunt, & de iudicio Episcoporum, in quo victi fuerant, murmurauerunt.

Aug. Tom. 2. epist. 166. ad Donat. Cōstant. nō ausus de caussa Episcopi iudicare, ad Rom. Sedis Episcopum Africanos remittit

RETICIVM ab Augustuduno Episcopum magnæ fuisse auctoritatis in Ecclesia, tempore Episcopatus sui, Gesta illa Ecclesiastica nobis indicant, quando in vrbe Romana, Melchiade Apostolicæ Sedis Episcopo præsidente, cum aliis Iudex interfuit, Donatumque damnauit, qui prior auctor Donatistarum schismatis fuit, & Cæcilianum Episcopum Ecclesiæ Carthaginensis absoluit.

Aug. Tom. 7. cōtra Iulia: Pelag. lib. 1. cap. 2. Melchiades Apostolicæ Sedis Episcopus Episcopali iudicio præsidens Donatū dānauit.

Quod à Romana Sede de doctrina Catholica iudicium ferri et hæreses damnari debeant, probat Augustinus.

Aug. Tom. 2. epist. 95. Innocēt. Papæ.

NON AGITVR de vno Pelagio, qui iam fortasse correctus est, quod vtinam ita sit, sed tàm multis, quibus loquaciter contendentibus, & infirmas atque ineruditas animas velut conuictas trahentibus, fideles autem & in fide stabiles ipsa cōtentione fatigantibus, vsquequaq; iam plena sunt omnia. Aut ergò à tua veneratione acciendus est Romam, & diligenter interrogandus, quam dicat gratiam, qua fateatur, si tamen iam fateatur, ad non peccandum iusteq; viuendum homines adiuuari. Aut hoc ipsum cum eo, per literas agendum, & cùm in-

Acciendus Romā Pelagius, vt ibi explorata eius doctrina vel damnaretur, vel absolueretur.

uentus fuerit hanc dicere, quam docet Ecclesiastica & Apostolica veritas, tunc sine vllo scrupulo Ecclesiæ, sine latibulo ambiguitatis vllius absoluendus est, tunc est re vera de eius purgatione gaudendum.

Aug. Tom. 2. epist. 157. ad Optatum.

Te autem, si libenter vel patienter admittis, Charissime frater, admoneo ne hæresin nouam minùs cautus incurras, quæ antiquissimæ fidei stabilita molitur fundamenta conuellere, aduersùs Dei gratiam disputando, quam Dominus Christus pusillis & magnis ineffabili bonitate largitur: cuius vel auctores vel certè acerrimi notissimiq; suasores cùm Pelagius & Celestius extitissent, Conciliorum Episcopalium Vigilantia in adiutorio Saluatoris, qui suā tuetur Ecclesiam, etiam à duobus venerabilibus Antistitibus Apostolicæ Sedis, Papa Innocentio, & Papa Zozymo, nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Christiano orbe damnati sunt. De quibus exempla recentium literarum, siue quæ specialiter ad Afros, siue quæ vniuersaliter ad omnes Episcopos de memorata Sede manârunt, ne fortè ad vestram Sanctitatem nōdum peruenerint, vobis curauimus mitti.

Pelagius & Celestius à duob. Sedis Apostolicæ Episcopis toto orbe damnantur.

Diploma Pont. Romanorum ad omnes vniuersaliter Episcopos.

Auguft. Ibidem cap. 7.

HANC EIVS prælocutionem venerabilis Papa Zozymus tenens, egit cum homine, quem falsæ doctrinæ ventus inflauerat, vt ea quæ illi à Diacono Paulino fuerant obiecta damnaret, atque vt Sedis Apostolicæ literis, quæ à sanctæ memoriæ suo Præcessore manauerant, præberet assensum. At ille noluit quidem Diaconi obiecta damnare, sed beati Papæ Innocentij literis non est ausus obsistere, imò se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit, atque ita velut Phreneticus, vt requiesceret tanquàm leniter fotus, à vinculis tamen excommunicationis, nondum est creditus esse soluendus.

Excommunicationis vinculis hęretici ligati.

Auguft. Ibidem cap. 8.

REFELLIT enim iudicium Palæstinum, propterea ibi videtur esse purgatus: Romanam verò Ecclesiam, vbi eum esse notissimum scitis, fallere vsquequaque non potuit, quamuis & hoc fuerit vtrunque conatus, sed, vt dixi, minimè valuit. Recoluit enim beatissimus Papa Zozymus, quid imitandus Præcessor eius de ipsis senserit Gestis. Attendit etiam quid de illo sentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, quorum aduersùs

Prædicanda Romanorum fides.

uersùs eius errorem pro veritate Catholica, studia consonantia concorditer flagrare cernebat: inter quos ille diu vixerat, & quos eius dogmata latere nō poterant: qui Celestium eius esse discipulum sic nouerant, vt fidelissimum & firmissimum possent de hac re testimonium perhibere. Quid ergò de Palæstinæ Synodi Gestis, quibus se Pelagius absolutum esse gloriatur, Sanctus Papa Innocētius iudicauerit, quamuis & in literis eius, quas nobis rescripsit, legere possitis, & commemoratum eum Venerabili Papæ Zozymo Synodus Africana respondit, quod vestræ charitati, cum cæteris instructionibus misimus, tamen nec in hoc opere prætereundum videtur.

De Palæstinæ Synodi Gestis, Rom. Pōtifex iudicabat.

ADVERSVS Pelagianistas quoque nouos nostrorum temporum hæreticos & disputatores callidos, arte magis subtili noxia scribentes, & vbicunque poterant publicè per domos loquentes, per Annos fermè decem laborauit, librorum multa condens & edens, & in Ecclesia populis ex eodem errore frequentissimè disputans. Et quoniam ijdem peruersi, Sedi Apostolicæ per suam ambitionem eandem perfidiam persuadere conabantur, instantissimè etiam Conciliis Africanis Sanctorum Episcoporum gestum est, vt Sancto Papæ vrbis Romæ, & priùs Venerabili Innocentio, & posteà Sancto Zozymo eius Successori persuaderetur, quòd illa secta Catholica fide & abomināda, & damnanda fuisset. At illi tantæ Sedis Antistites, suis diuersis temporibus eosdem notantes, atq; à membris Ecclesiæ precidentes, datis literis ad Africanas, Orientis & Occidentis Ecclesias, eos anathematizandos & deuitandos ab omnibus Catholicis censuerunt.

August. Tom. 1. Posidonius in vita Aug. ca. 18.

Romani Pōtifices Orientis, & Occidentis Ecclesiarū curam habent.

MISSÆ SVNT itaque de hac re (*aduersùs hæresin Pelagianam*) ex duobus Conciliis Carthaginensi & Mileuitano, relationes ad Apostolicam Sedem, antequàm Gesta Ecclesiastica, quibus ad Episcopos prouinciæ Palæstinæ Pelagius perhibetur esse purgatus, vel in manus nostras, vel in Africam peruenissent. Scripsimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, præter Conciliorum relationes literas familiares, vbi de ipsa caussa aliquantò diutius egimus. Ad omnia nobis ille rescripsit, eodem modo quo fas erat, atq; oportebat Apo-

August. Tom 2. epist. 106. Bonifacio, propè initiū. Carthaginensis & Mileuitanæ Synodi Patres, sua gesta referebant ad Apostolicam Sedem.

ſtolicæ Sedis Antiſtitem. Quæ omnia modò legere poteris, ſi eorum fortè ad te vel nulla, vel non cuncta peruenerant: vbi videbis ſeruata erga hominem moderatione, quæ debuit, ne damnaretur, ſi praua damnaret, ipſum tamen nouellum & perniciosum errorem, ſic Eccleſiaſtica auctoritate compreſſum, vt multùm miremur, adhuc eſſe quoſdam, qui per quemlibet errorem, gratiæ Dei conentur obſiſtere.

Error Eccleſiaſtica autoritate cõpreſſus, non eſt defendendus.

HÆC AVTEM, quę duabus epiſtolis eorũ reſpondeo, vni, ſcilicet, quam dicitur Romam miſiſſe Iulianus, credo, vt per illam quos poſſet, ſuos aut inueniret, aut faceret: alteri autem quam decem & octo, velut Epiſcopi participes eius erroris, nõ ad quoslibet, ſed ad loci illius Epiſcopum ſua calliditate tentandum, & ad ſuas partes, ſi poſſet fieri, traducendum, auſi ſunt Theſſalonicam ſcribere: Hæc ergò quæ iſtis, vt dixi, duabus epiſtolis illorum iſta diſputatione reſpõdeo, ad tuam potiſsimùm dirigere ſanctitatem, non tàm diſcenda, quàm examinanda, & vbi forſitan aliquid diſplicuerit, emendanda conſtitui.

Aug. Tom. 7. cõtra duas epiſt. Pelagianorum, ad Bonifacium Roman. Pontif. li. 1. ca. 1.

QVAMVIS tuæ Sanctitatis nullas ad meipſum datas acceperim, tamen quia illæ quas ad Mauritaniã Cæſarienſem miſiſti, me apud Cæſaream præſente venerunt, quô nos iniuncta nobis à Venerabili Papa Zozymo Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo, Eccleſiaſtica neceſsitas traxerat, factum eſt, vt ea quæ ſcripſiſti, etiam ipſe perlegerem.

Aug. Tom. 2. epiſt. 157 Optato, ſtatim in principio. Iuſſu Rom. Pont. cogebatur Synodus in Mauritania.

FINIS.



Liber hic Apologeticus D. Henrici Blyſſemij Theologi Societatis IESV, *quia Catholicam Fidem fideliter fortiterq́; propugnat, & veram ac Sacroſanctam Christi, quam habet in terris Eccleſiam militantem, vel luce meridiana clariùs ob oculos proponit, digniſsimus eſt, qui Typis procuſus in publicum emittatur, adeoq́; à quàm plurimis legatur.*

Ita teſtor ego Albertus Hungerus, S. Theologiæ Doctor & Profeſſor Ordinarius, Collegiique Theologici pro tempore Decanus in Academia Ingolſtadiana.

